ST. MARY'S
COLLEGE LIBRARY
CALIFORNIA

BQ
6861
Q62B4
1922

DE

VERBO INCARNATO.

COMMENTARIUS IN TERTIAM PARTEM

S. THOMAE

AUCTORE

LUDOVICO BILLOT S. I.
S. R. E. CARDINALI
OLIM IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
THEOLOGIAE PROFESSORE

Editio sexta

WITHDRAWN
A. T. Duffy
52742

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
IN « VIA DEL SEMINARIO 120 »
MCMXXII

ST. MARY'S
COLLEGE LIBRARY
CALIFORNIA

PROOEMIUM

Initium dicendi de admirabili illo incarnati Verbi mysterio convenienter sumi potest a symbolica visione Ezechielis, quando sub ipso prophetiae exordio aperti sunt ei coeli, viditque visiones Dei: ventum scilicet turbinis venientem ab aquilone, et nubem magnam et ignem involventem et splendorem in circuitu eius, et in medio ignis animalia quatuor quadriformia et quadrupennata; et iuxta ea rotas pariter quatuor, quae stantibus animalibus stabant, et ipsis ambulantibus ambulabant, et iisdem sese a terra elevantibus similiter elevabantur; denique supra animalia et rotas, similitudinem throni, et super similitudinem throni, quasi speciem hominis conflatam ex electro.

Hic erat, ut dicitur Eccli. XLIX-10, conspectus gloriae quam vidit Ezechiel in curru Cherubim, id est, apparitio Dei gloriosi secundum quod propter nos homines et propter nostram salutem descensurus erat de coelis atque in terras venturus, factus homo. Hinc prophetae in captivitate posito, in spem futurae redemptionis con-

solatoria ista visio apparet. Hinc etiam qui super currum sedere dicitur, speciem habet electri in forma humana; nam electrum, ut Gregorius ait [1], quaedam est auri et argenti compositio per quam argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit. Unde, cum in Unigenito Dei Filio naturae divinitatis unita est natura nostra, quasi facta est species electri, pro quanto humanitas in maiestatis gloriam excrevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit. Hinc demum, omnia in visu ostensa magnum quemdam hostem superatum indicant, similitudine ducta a triumphis in quibus imperatores sella curru imposita vehebantur, circumstabant hastati, praecedebant subiectae nationes, prodibant trophaea cum armis victoriae.

Et primo quidem, veniebat visio e partibus aquilonis. Porro aquilo in Scripturis accipitur ut sedes diaboli, cuius haec vox est in Isaia: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis*. Bene enim regio tenebrosa et frigida regnum diabolicum repraesentat, quia, ut iterum Gregorius dicit, Satanas frigidus et tenebrosus spiritus est, frigidas et duras possidens hominum mentes. Ab Aquilone ergo pompa triumphalis procedit, quasi Christo regrediente a desolata sede Satanae, et a duello inito cum principe tenebrarum. Sed et ventus turbinis et nubes magna et ignis et fulgur, impenetrabilem huius arcani profunditatem, necnon et summam in nostrae redemptionis opere divinae virtutis manifestationem significant. Denique, ne putares tam grande negotium virtute magis et potentia quam bonitate et misericordia absolvi, ideo circa

(1) Greg. M. in Ezech. l. 1, hom. 2. n. 14.

turbinem fulgurantem splendor ponitur; nam splendor ad iucunditatem oculorum facit, suavitatem divinae miserationis erga hominem ab infernalibus inimicis potenter eripiendum symbolice demonstrans; vere enim in visceribus misericordiae visitavit nos oriens ex alto.

Attende nunc mystica illa animalia quae apparent in medio ignis sub firmamento in quo Filius hominis sedet; sine dubio sunt quatuor evangelistae, in quorum etiam persona omnes quotquot gloriam Christi in hoc mundo annuntiant, figurantur. Sed cum in Apocalypsi eadem illa describuntur animalia, non praetereunda occurrit diversitas. Nam in Apocalypsi habent formas singula singulas; primum enim simile est leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilae volanti, quia ibi singuli evangelistae ex prooemio sui evangelii, proprio quasi charactere notantur. Similis homini Matthaeus, quia incipit ab humana genealogia Salvatoris; similis leoni Marcus, quia incipit a voce clamantis in deserto; similis vitulo Lucas, quia incipit a victima seu holocausto quod offerebatur in templo quando Zachariae Gabriel apparuit; similis demum aquilae volanti Ioannes, quia ad ipsum principium statim evolat dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum ». Ita ergo se habent animalia in Apocalypsi. Hic autem unumquodque animal quaternas habet facies: *Facies hominis*, inquit, *et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilae desuper ipsorum quatuor*. Cuius differentiae haec ratio esse videtur, quod in visione Ezechielis, quaternae facies iam non proprios characteres singulorum evangelistarum designant, sed varia mysteria ipsius Christi Redemptoris, quatenus,

ut Gregorius ait [1]: « Unigenitus Dei Filius veraciter fa-
« ctus est *homo*, ipse in sacrificio nostrae redemptionis
« dignatus est mori ut *vitulus*, ipse per virtutem suae
« fortitudinis surrexit ut *leo*, ipse etiam post resurrectio-
« nem suam ascendens ad coelos, in superioribus est ele-
« vatus ut *aquila*. Totum ergo simul nobis est, qui et na-
« scendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo.
« et ad coelos ascendendo aquila factus est ». Cum itaque haec symbola sint mysteriorum quibus vicit diabolum et in Patris gloriam intravit, recte et convenienter symbolicae facies omnibus et singulis attribuuntur evangelistis, utpote qui praedicatores sunt Christi, insignia illius ferentes quem concordi praeconio annuntiant. Sed et quaternas facies quaternae etiam pennae comitantur, quia dum Christi in carne mysteria patefaciunt (nativitatem dico, passionem, resurrectionem et ascensionem), ex his nos evocant ad altiora, id est, quibusdam quasi pennis in cognitionem invisibilis eius divinitatis attollunt et sublevant; per incarnati enim Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux claritatis eius infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Unde Gregorius dicit [2]: « Evangelistarum ergo facies ad hu-
« manitatem Domini pertinent, pennae ad divinitatem,
« quia in eo quem corporeum aspiciunt, quasi facies in-
« tendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum ex divi-
« nitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in
« aera levantur. Quia itaque et una fides incarnationis
« eius in omnibus, et par contemplatio divinitatis eius in

(1) Greg. M. in Ezech. l. 1, hom. 4, n. 1.
(2) Greg. M. in Ezech, l. 1, hom. 3, n. 2.

« singulis, recte nunc dicitur: quatuor facies uni et quatuor pennae uni ». Ex quo tandem fit ut mystica illa animalia quasi scintillas igneas aeri candenti similes emittant, eo quod doctrina et praedicatio ipsorum ad inflammandum amorem versus Deum singulariter valet, iuxta illud quod dixit ipse Christus: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? »

Sic igitur quasi in curru triumphali suis evangelistis insidens, per totum orbem vehitur Christus Deus noster incarnatus, iudicans in nationibus, conquassans capita in terra multorum; data enim est ei omnis potestas, non solum in coelo, sed et in terra. In cuius signum, sub ipsa sella in qua triumphator sedet, et iuxta quatuor animalia de quibus mox dictum est, quatuor etiam rotae conspiciuntur. Et quid per rotas illas mysticas significatum censebimus nisi cuncta temporalia? Ut enim Hieronymus observat, omnes res huius saeculi in rotis aguntur: « Solis « annuum circulum per singulos menses luna decurrit; « lucifer qui ipse vesper est, dum ad Orientem et ad Occidentem rutilus micat, et noctis tenebras parvo tem« perat lumine, duobus annis eumdem conficit cursum...., « et quidquid fulget in coelo, segetum quoque herbarumque « varietates per quatuor tempora suis currunt rotis, nihil« que aspicimus quod ante non fuerit. Girans girando « vadit spiritus, ait Ecclesiastes, et in circulos suos re« vertitur. Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non « adimpletur. Quare? Quia ad fontes suos de matrice « abysso revertuntur » (1). Bene ergo per quatuor rotas quidquid in hoc mundo est, et accidit, et fit, significatum

(1) HIERONYM., in Ezechiel. l. I, c. I.

intelligitur. Et quia temporalia omnia Christo et cooperatoribus eius subiecta sunt, (omnia enim, inquit, subiecisti sub pedibus eius, et nihil, ut Apostolus addit, dimisit non subiectum ei), non solum rotae ponuntur subter triumphalem sedem Christi, sed etiam, stantibus mysticis animalibus pariter stare, ambulantibus illis pariter ambulare, iisdemque a terra sese elevantibus pariter elevari perhibentur, ut perfecta denotetur subordinatio eorum omnium quae in praesenti saeculo, vel volente vel permittente Deo, quocumque tandem modo eveniunt, ad gloriam Verbi incarnati et ad salutem corporis eius mystici quod est Ecclesia.

Quae cum ita sint, tria in hac visione distinguuntur, praecipua consideratione digna. — **Primo** quidem, similitudo hominis in electro, qua ipsum incarnationis mysterium figuratur, et sic prima sumitur huius disputationis divisio, iuxta illud quod habet S. Thomas in prooemio: « Prima, inquit, consideratio est de ipso incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo » (Quaest. 1-26). — Tum **secundo,** quaternae veniunt facies animalium, per quas nativitas, passio, resurrectio, et ascensio Filii Dei in carne assumpta significantur, et sic, altera accipitur huius materiae consideratio: « Secunda est, ait S. Thomas ubi supra, de his « quae per ipsum Salvatorem nostrum, id est Deum incarnatum, sunt acta et passa » (Quaest. 27-59). — **Tertio** demum attendendae sunt mysticae illae rotae quibus designantur res temporales mysterio Christi deservientes, et in credibilitatem incarnationis eius variis mirisque modis dispositae: et sic tertia succedit pars, hisce nostris temporibus apprime necessaria. Cum enim procedat scien-

tia theologica ex principiis fide creditis, iisdemque rationi imperviis, demonstrandum tandem superest, haec ipsa principia non caeca credulitate accipi, sed rationabile esse obsequium nostrum, propter tot tantaque signa quae divinae revelationis existentiam commonstrant. Et hoc quidem, quod ad praesens mysterium attinet, cum confidentia divini auxilii, ultimo loco, praeter ordinem quaestionum S. Thomae, praestandum remanebit.

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

Agitur de mysterio proprie dicto, id est de re quae nobis revelata est ut credenda, excedens intellectum humanum. In tantum autem dicuntur res fidei excedere intellectum humanum, in quantum nec possunt a nobis apprehendi ut in se sunt, nec cum obiectis naturaliter notis eam connexionem habent quae nos in demonstrationem existentiae ipsorum manuducat.

Hic enim recolendum est ex philosophia, duos esse modos quibus una res cognosci potest. Primus est per propriam et adaequatam speciem, sicut quando Socrates praesentialiter per seipsum videtur; secundus est per speciem alterius, sicut quando imago specularis utcumque cognoscitur a caeco per speciem imaginis sculptae. Prima cognitio vocatur quidditativa et propria, altera impropria et analogica. De mysteriis ergo divinis quae vel aeternaliter in ipso Deo continentur, vel in tempore praeter omnem naturae ordinem a Deo sunt facta, non possumus scire quid sint in seipsis, sed solum valemus illa utcumque apprehendere, sumpta analogia a rebus nostrae experientiae subiectis. Sciendum tamen est, non esse hanc solam et sufficientem causam propter quam res fidei dicuntur transcendere rationem. Cum enim Deus O. M. nullius intellectus creati obiectum proportionatum sit, quidquid de ipso Deo est intellectui creato naturaliter co-

gnoscibile, non est cognoscibile nisi analogica et impropria cognitione. Non ergo distinguuntur mysteria rationem superantia, ab iis quae de rebus divinis naturaliter sunt noscibilia, quatenus ista possumus apprehendere ut in se sunt, illa vero minime; sed quatenus ea quae sunt nota Dei, nexu causalitatis connectuntur cum rebus quas propria et immediata cognitione attingimus, adeoque per illas demonstrantur tanquam causa per effectum. At contra, ea quae naturali rationi impervia sunt, nullam habent causalitatis habitudinem ad praedicta. Quo fit ut non existat via per quam intellectus noster, seclusa revelatione, certificetur an sint vel etiam esse possint, et ideo recte dicitur quod talia « sic « homini revelantur, ut tamen non intelligantur, sed solum quasi « audita credantur ».

Verum, cum audis non revelari ista ut intelligantur, cave ne propterea supervacaneam reputes curam in iis perscrutandis collocatam. Equidem verissimum est illud quod Scriptura dicit apud Iob XXVI-14: nos scilicet vix parvam aliquam stillam sermonum Dei capere posse, et neminem in huius vitae statu valere tonitruum magnitudinis intueri. Mysteria quippe divina ea sunt vel maxime, quorum ratione dictus est Deus posuisse tenebras latibulum suum, habitare in caligine, esse in densa nube. Et simile quid accidit quando sol est in meridie et lucet in virtute sua; tunc enim in seipso quidem praeclarissimum lumen est, sed respectu noctuae et vespertilionis quaedam caligo est; porro Philosophus dixit, et vere dixit, quod intellectus noster est ad manifestissima Dei, sicut oculus noctuae ad lumen solis. Attamen, etsi loquatur nobis Deus magnalia mysteriorum suorum quasi de medio nebulae, loquitur profecto, et non est verbum eius sonus inanis et vacuus, sine re et sine sensu; nec est omnino nihil modica illa stilla « de profluvio perfectae cognitionis « qua divina veritas in seipsa videtur, ad nos usque descen- « dens » (1), sed potius magnum aliquid aestimabile super alias scientias humanum intellectum perficientes, eo quod minima cognitio de rebus altissimis praestat maximae scientiae de infimis.

(1) S. Thom. l. 4 c. Gent. c. 1.

Quare, praeaccepta per revelationem notificatione mysteriorum, quorum positiva possibilitas vel exsistentia non demonstratur sed creditur, tria omnino per rationem fide regulatam in illis considerari et possunt et debent, (de iis mysteriis nunc loquor, quae a Deo sunt contingenter facta, ut opus incarnationis). **Primum** est id quod praesupponi debuit ad decretum et executionem mysterii, scilicet convenientia eius cum divinis attributis et fine universi. Nihil enim Deus decernit et exsequitur, nisi quod congruit suae sapientiae et bonitati. **Secundum** est ipsa in se mysterii substantia, ut nimirum, quantum fieri potest. distinctam quidditatis eius notionem assequamur, et inde ostendamus nihil in eo assignari posse quod rationi naturali repugnet evidenter, sed argumenta ab infidelibus allata, vel ex falso supposito, vel ex ignorantia terminorum procedere. **Tertium** denique est id quod ex radice mysterii consequitur, et se habet ad illam sicut effectus ad causam, vel conclusio ad principium.

Et haec est ratio divisionis a S. Thoma, in prooemio primae quaestionis, assignatae: « Circa ipsum Incarnationis my-
« sterium, inquit, tria consideranda occurrunt: Primo quidem de
« convenientia incarnationis (**Quaest. 1**). Secundo de modo unio-
« nis Verbi incarnati (**Quaest. 2-15**). Tertio de his quae conse-
« quuntur ad hanc unionem (**Quaest. 16-26**) ».

CAPUT PRIMUM

QUAEST. I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS

Convenientia incarnationis dupliciter consideratur, vel quoad substantiam, vel quoad circumstantias. Et iterum, si quoad substantiam consideretur incarnatio, quaeri potest utrum fuerit conveniens tum absolute tum relative: absolute quidem, id est in seipsa, praescindendo a qualibet accidentali hypothesi, relative vero, id est, supposito hominis lapsu, in ordine ad finem nostrae reparationis. Manifestum est autem quod absoluta consideratio est prior. Hinc:

THESIS I.

(Art. I).

Incarnatio de sui ratione nullam habet in quacumque hypothesi disconvenientiam cum divinis attributis; sed absolute dicenda est convenire Deo, et non dedecere eius Maiestatem.

Notandum hic est quod convenientia consequitur possibilitatem, quia nihil est conveniens nisi possibile, licet aliquid sit possibile quod non est conveniens. Non tamen mirum alicui videri debet, si praetermissa quaestione de possibili, statim circa convenientiam nostra versetur disputatio. Ratio sumitur ex dictis, quia possibilitas demonstrari non potest nisi pure negative, id est refutando argumenta quae ab adversariis fidei afferuntur; et hoc quidem in capite sequenti, quando modus unionis distinctius erit explicandus, cum Dei auxilio praestabimus. Nunc ergo, iuxta generale principium quo theologica scientia regitur ([1]), oportet supponere ex auctoritate revelationis positivam huius mysterii possibilitatem, et sic procedere ad expositionem rationum convenientiae.

Videretur autem dicendum non esse absolute conveniens, Deum incarnari. Nam si incarnatio est conveniens, negatio incarnationis erit inconveniens; inconveniens autem in Deum cadere non potest. Ergo incarnatio foret eo ipso absolute necessaria; quod nec ratio approbat, nec fides.

Praeterea, si conveniens esset Deum incarnari, Deus foret unibilis creaturae, seu in potentia ad unionem. Sed Deus, utpote actus purissimus, nullo modo est in potentia.

Praeterea, inconveniens esset corpori humano cervicem iungere equinam, ut poeta dicit. Multo ergo magis inconveniens est ut infinite distantia, id est Deus et creatura, in unum coniungantur.

([1]) Cf. 1ª Part. Quaest. 1, a. 2 in corp.

Denique, per incarnationem Deus exinanivit semetipsum, ut loquitur Apostolus ad Philipp. II·7. Ergo hoc mysterium absolute conveniens non fuit, sed debuit excusari seu cohonestari ex quadam accidentali causa. Sicut si nobilis duceret plebeiam, aut mancipii officium susciperet, non esset congruum, nisi forte id exigente communi bono et totius reipublicae salute ([1]).

Sed contra est quod incarnatio de sui ratione nullam importat mutationem aut minorationem divinitatis, sed solum ineffabilem quamdam elevationem creaturae, per quam novo modo manifestatur infinita Dei virtus et bonitas, iuxta illud quod cantatur in missa: *Quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis*

([1]) Hoc est argumentum Lessii, de Praedestinatione Christi, n. 13: « Cum incarnatio, inquit, includat humiliationem et exinanitionem divi« nitatis, ut Apostolus loquitur, nullo modo fuit per se expetenda..., « sed solum ob aliam causam extrinsecam maioris momenti, cui alia ra« tione consuli non poterat. Nec obstat quod hac ratione natura humana « ad infinitam evehatur excellentiam, quia etsi adferat summam excel« lentiam humanitati, per se minus decere videtur divinitatem; imo vi« detur fieri cum quadam, ut sic dicam, iniuria illius Maiestatis. Per se « enim indecorum videtur ut Creator fiat creatura, et Dominus fiat « servus; sicut si rex assumeret habitum et officium rustici aut man« cipii, et demitteret se ad illorum consuetudinem, nobilitaretur quidem « rusticorum et mancipiorum ordo; id tamen non erat regi per se ex« petendum, quia cedit in quamdam iniuriam regiae maiestatis et au« ctoritatis. Similiter, si copularet sibi servam aut mendicam in uxorem, « eamque efficeret reginam et regni sociam, illa quidem mirifice extol« leretur, haec tamen illius excellentia non erat per se regi expetenda, « sed solum ob causam extrinsecam maioris momenti, cui alia ratione « non poterat subveniri: ut si regnum vel pars aliqua regni salva esse « aliter non poterat: quo casu id esset maxime laudabile, et summo« pere regis illius amorem in suos commendaret. Simili modo, cum « Deus genus humanum peccato perditum statuisset salvare, neque id « perfecto modo fieri posset, nisi ipse carnem assumeret, (aliter enim « condigna satisfactio pro peccato exhiberi non poterat), statuit ut Fi« lius naturam nostram indueret, et nos redimeret ». Quae omnia valde difficilia videntur, quia si verum est quod incarnatio non fit *nisi cum quadam iniuria divinae Maiestatis*, statim quaeritur, quaenam ratio extrinseca esse possit, quae tantum inconveniens valeret unquam compensare.

nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit. Unde absolutam eius convenientiam recte ostendit Angelicus sequenti argumento.

Absolute convenit Deo id quod pertinet ad rationem boni simpliciter. Atqui communicare se pertinet ad rationem boni simpliciter. Ergo convenit Deo communicare se creaturae. Sed incarnatio invenitur in latitudine communicationis Dei ad creaturam; imo est vertex et summum veluti fastigium omnium communicationum ad extra. Ergo absolute conveniens est Deum incarnari.

Duae priores praemissae sufficienter constant ex principiis quae in philosophia traduntur de natura boni. Nam bonum, qua tale, idem est ac appetibile; unde natum est movere ad volendum sui communicationem, et sic est diffusivum sui in ratione causae finalis. Ex consequenti autem, cum sit perfectum in actu, natum est etiam efficere hanc sui communicationem per quam alia a se perficit et bonificat, et sic est diffusivum sui in ratione causae efficientis. Observandum autem quod dicta communicatio non affert perfectionem communicanti, sed illis solum quibus communicatur. Unde ipsa communicatio in actu non pertinet ad naturam boni quasi intrinsece constituens aut complens eam, nec quasi necessario consequens perfectionem infinitam, sed solum ut congruens ei secundam abundantiam benignitatis eius, sicut de Deo universorum Creatore sana docet philosophia.

Ad declarationem autem minoris subsumptae, adverte cum Caietano, esse tres modos plus quam genere diversos, quibus Deus intelligi potest communicare se creaturae. — Primus est per ipsam creationem et gubernationem rerum. Nam per creationem res consistunt in suis propriis naturis, quae sunt aliquales imitationes essentiae divinae. Per gubernationem vero adducuntur ad suam ultimam perfectionem, quam ab eo oportet esse participatam, qui solus est per essentiam bonus et perfectus. Et ideo dici solet quod omnia appetunt divinam bonitatem in quadam eius similitudine, et quod ipsa divina bonitas, dum ad se trahit universa, sese etiam aliquo modo communicat universis. Verumtamen, iuxta hunc primum modum, communicationes Dei in solis eius participationibus seu deficientibus imitatio-

nibus constant; Deus autem ipse, extra et supra totum universum, solus est in sui ipsius possessione ac fruitione beatus. — Succedit itaque modus alter, idemque supernaturalis et multo excellentior, dum scilicet assumit Deus intellectuales creaturas in sui consortium per gratiam et consequentem gloriam, easque elevat ad ea quae sunt propria naturae suae, videre Deum, frui Deo. Nam visio Dei est soli divino intellectui connaturalis, et constituit propriam beatitudinem eius qui est ipsum esse per essentiam. Iam igitur in hoc communicationis modo, non attenduntur amplius merae quaedam participationes seu similitudines divini boni, sed ipsa quoque divina bonitas *ut in se est* communicatur, dum essentia divina immediate unitur intellectui finito ut eius intelligibile, et creatura intellectualis attingit ac possidet Deum in seipso, conregnans cum eo beata. — Verum, tam excellens est communicativus ille amor Summi Boni, ut non satis ei fuerit creare universum, et assumere intellectualem creaturam in divinae consortium naturae, sed ad id unum quod reliquum erat elevavit ipsam, trahendo eam ad suam subsistentiam, ut qui ab aeterno subsistebat in natura propria, hoc est divina, ille idem inciperet subsistere in natura creata. Porro tertius ille gradus pertinet ad summum modum communicandi se, eumdemque soli actui purissimo possibilem, ut suo loco videbitur, nec est alius quo Deus possit communicari melius. Nam in *primo* modo communicatur tantum secundum creatas sui participationes; in *secundo* communicatur quidem secundum seipsum, sed ita ut non uniatur nisi in ratione formae intelligibilis; in *tertio* vero, communicatur uniendo sibi naturam creatam substantialiter, id est in unitate hypostasis seu personae. Ita fere Caietanus in 3am Part. q. 1, a. 1. Vide etiam pulcherrimum prooemium S. Thomae in III Sent. super illud Eccl. « Ad locum unde exeunt flu- « mina revertuntur, ut iterum fluant » (1).

(1) « Ex verbis istis, inquit Angelicus, duo possumus accipere..., « scilicet divinae incarnationis mysterium, et eius copiosum fructum. « Mysterium incarnationis insinuatur in fluminum reversione, cum di- « citur: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur*. Sed incarnationis « fructus ostenditur in iterato fluxu, cum dicitur: *Ut iterum fluant*. Flu-

Ad 1um ergo dicendum quod conveniens dupliciter dicitur: cuius scilicet oppositum est inconveniens, et cuius oppositum non est inconveniens, sicut cum dicimus conveniens fuisse Deo creare universum: per hoc profecto non intendentes quod dedecuisset ipsum nihil ad extra operari, sed solum significantes opus creationis congruere divinae suae perfectioni, licet si non creasset, perfectio ista eodem semper modo se haberet.

Ad 2um dicendum quod Deus est unibilis creaturae, in quantum absque ulla sui mutatione potest esse terminus realis unionis naturae creatae ad ipsum, ut infra dicetur. Et ideo non sequitur, ipsum esse in potentia ad aliquem actum, sicut non sequitur aliquid detrahi de puritate divini esse, ex hoc quod Deus in tempore fit dominus vel creator, atque ita porro.

Ad 3um dicendum quod exemplum non est ad rem. In dicta enim pictura, humanum corpus et cervix equina iunguntur ut duae partes ex quibus unum totum efformatur, utique monstruo-

---

« mina ista sunt naturales bonitates, quas Deus creaturis influit, ut esse, « vivere, intelligere, et huiusmodi. De quibus fluminibus intelligi potest « quod dicitur Isa. XLI-18: *Aperiam in supremis montium flumina.* « Montes enim supremi sunt nobilissimae creaturae, in quibus prae- « dicta flumina aperiri dicuntur, quia in eis et copiosissime recipiuntur, « et sine imperfectione ostenduntur. Sed locus unde ista flumina exeunt, « est ipse Deus, de quo potest intelligi quod dicitur Isa. XXXIII-21: « *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes,* ac si diceret: In loco ortus « fluviorum, rivi naturalium bonitatum eminenter inveniuntur... Ista flu- « mina in aliis creaturis inveniuntur distincta, sed in homine inveniun- « tur quodammodo aggregata; homo enim est quasi horizon et confi- « nium spiritualis et corporalis creaturae, ut quasi medium inter utras- « que, bonitates participet et corporales et spirituales... Et ideo, quando « humana natura per incarnationis mysterium Deo coniuncta est, omnia « flumina naturalium bonitatum ad suum principium reflexa redierunt... « Sequitur, *ut iterum fluant,* in quo notatur incarnationis fructus. Ipse « enim Deus qui naturalia bona influxerat, reversis quodammodo om- « nibus per assumptionem humanae naturae in ipsum, non iam Deus « tantummodo, sed Deus et homo, hominibus fluenta gratiarum abun- « danter influxit, quia de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam « pro gratia. Et de isto influxu legitur Eccli. XXXIX: *Benedictio illius* « *quasi fluvius inundabit* ».

sum et disproportionatum. Non sic autem intelligenda est incarnatio divina, quasi Deus et creatura convenerint ut partes; non enim unio ista facta est in natura, sed *solum in persona,* quemadmodum ex dicendis de modo unionis Verbi incarnati satis superque apparebit.

Ad 4um denique dicendum quod nullo vero sensu dici potest ipsa divinitas per incarnationem exinanita, quia incarnatio nullam ponit mutationem in esse divino, sed solum habitudinem specialem naturae creatae ad Deum. Unde in tantum dicitur Filius Dei exinanivisse semetipsum, in quantum parvus effectus est, non quidem amittendo magnitudinem suam, sed assumendo inanitatem nostram, et trahendo ad suum esse personale naturam humanam, in qua sola imitandum hominibus humilitatis exemplum proponeret. Quapropter similitudines propositae iterum nihil concludunt, tum quia non in forma propria suscepit Filius Dei officium servi, tum quia per unionem suam cum natura creata nullo modo perfici potuit aut deprimi. Nec est simile de unione coniugali, eo quod homo natus est perfici per societatem, et ideo, absolute loquendo, non est conveniens intima societas viri cum muliere inferioris conditionis, aut vice versa, sed indiget cohonestari quibusdam rationibus extrinsecis, quin hoc idem de divina incarnatione dici queat. Omnibus ergo modis neganda paritas.

THESIS II.

(Art. 2).

Fuit etiam convenientissima incarnatio in ordine ad reparationem generis humani lapsi. Imo, ut divinae iustitiae pro peccato condigne satisfieri posset, omnino requirebatur.

Post demonstrationem absolutae convenientiae incarnationis, sequitur quaestio de convenientia eius in ordine ad specialem finem; illum dico finem qui in symbolo enuntiatur his verbis: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis.* Et licet S. Thomas in praesenti videatur loqui de necessitate, tamen quia in corpore dividit necessarium in id sine quo

aliquid esse non potest, et id per quod melius et convenientius pervenitur ad finem, addens non fuisse primo modo necessariam incarnationem Verbi: constat necessitatem illam omnino contineri intra terminos simplicis convenientiae. Similiter in secunda propositionis parte asseritur quidem omnimoda incarnationis necessitas ad condignam pro peccato satisfactionem. Sed quia haec ipsa condigna satisfactio nonnisi ad maiorem perfectionem nostrae reparationis requirebatur, semper quaestio versatur circa *convenientiam* incarnationis Verbi in ordine ad finem salutis humanae ([1]).

§ 1.

Quoad primum igitur, videri posset non fuisse conveniens Verbum incarnari ad reparationem nostram, quia inconvenienter maius ordinatur ad minus. Sed incarnatio est quid maius et nobilius genere humano reparando. Ergo inconvenienter ad huiusmodi finem incarnatio fuisset ordinata.

Sed contra est quod decebat humanam naturam reparari, et quod nullus esse potuit melior atque efficacior reparationis modus.

Decebat, inquam, humanam naturam reparari, tum quia per unius delictum fuerat tota collapsa, tum quia, cum Deus sit summe bonus et misericors, conveniens fuit ut nulli naturae negaret id ad quod positivam habet aptitudinem. Natura autem humana erat apta reparationi, quia quamdiu homo in hac mortali vita vivit, sicut nec confirmatur in bono immobiliter, ita nec immobiliter obstinatur in malo. Et non est simile de angelo, iuxta illud Damasceni, l. 2 de Fide orth. c. 4: « Hoc est hominibus mors, quod angelis casus ». Nam angelus ex conditione

([1]) Omnino singularis est in hac parte sententia Anselmi, qui vult Deum plane non potuisse reparare hominem, nisi exigendo perfectam pro peccato satisfactionem. Ratio eius est quia Deus non potest omittere opus iustitiae. Sed facile respondetur quod dupliciter intelligitur omitti opus iustitiae: uno modo, ut fiat *contra* iustitiam, alio modo *praeter*. Et non exigendo satisfactionem condignam, fecisset Deus praeter, non contra, ut bene ostendit Petavius de incarn. l. 2, c. 13, solvendo argumenta Anselmi.

suae nature statim adhaeret fini fixe et immobiliter, et ideo via eius unico actu concluditur, quo actu posito, statim est in viae termino, non secus ac homo, morte interveniente. Sicut igitur homo non est reparabilis post mortem, ita nec angeli reparabiles fuerunt post suum peccatum, ut docet S. Thomas, 1ª Part. q. 64, a. 2. in corp.

Nunc autem, si possibile, imo et decens fuit ut humana natura repararetur, constat quod nullo meliori atque efficaciori modo reparari potuit, sive quoad remotionem mali, sive quoad promotionem in bono, quam per incarnationem Verbi. Rationes a S. Thoma variis in locis declarantur. — Prima est quia, ut homo lapsus ad suum finem supernaturalem reduceretur, ante omnia oportebat dari unde peccatum auferretur. Id autem optimo modo factum est, dum in humana natura institutus est ille qui pro peccato perfecte satisfacere posset, Deus simul et homo exsistens, quandoquidem homo purus hoc praestare non poterat, ut mox dicetur. — Secunda est quia oportebat hominem a conscientia offensae praeteritae liberatum, tum beatitudinem caelestem, tum viam ad illam certo cognoscere. Quod quidem nulla meliori ratione procurari potuit quam per Deum incarnatum, qui praeceptor noster factus, secundum modum humanum nos de altissimis mysteriis regni caelorum personaliter instrueret, iuxta illud : « Et erunt omnes docibiles Dei ». — Tertia est quia oportebat efficaciter erigere hominum mentes in spem perveniendi, non obstante infinita distantia naturarum, ad illius beatitudinis participationem qua solus Deus est naturaliter beatus. Per hoc igitur quod Deus humanam naturam sibi unire voluit in persona, datum est homini quoddam exemplum beatae illius unionis qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo unietur. Non enim restat incredibile quin intellectus creatus Deo uniri possit, eius essentiam videndo, ex quo Deus homini unitus est, naturam eius assumendo; unde et videmus homines post incarnationem coepisse magis ad caelestem beatitudinem aspirare — Quarta est quia oportebat ut virtutibus insisteremus; ad virtutem autem verbis et exemplis provocamur; exempla autem alicuius et verba tanto efficacius ad virtutem inducunt, quanto

de eo firmior bonitatis habetur opinio; de nullo autem homine puro infallibilis opinio bonitatis haberi poterat. Quapropter, ut Augustinus dicit: « Homo sequendus non erat qui videri po-« terat; Deus sequendus erat qui videri non poterat: ut ergo « exhiberetur homini, et qui videretur ab homine, et quem homo « sequeretur, Deus factus est homo ». — QUINTA demum ratio est quia oportebat vel maxime ut per caritatem Deo inhaereremus: porro ante incarnationem bonitas Dei refulgebat de longinquo, in invisibili latebat, et ideo non attendebatur. Homo quippe habens intellectum et affectum ad corporalia depressum, ad ea quae supra se sunt, de facili elevari non poterat; considerare enim divinam altitudinem, et in eam ferri per debitum amorem, non est omnium, sed eorum qui per Dei auxilium cum magno studio et labore a corporalibus ad spiritualia sublevantur. Volens igitur Deus patere omnibus facilem viam ad ipsum, factus est homo, ut etiam infirmi Deum cognoscere et diligere possent quasi similem sibi, atque hoc modo, per incarnati Verbi mysterium in invisibilium amorem raperentur. — Convenientissime ergo per incarnationem suam fugitivum hominem Deus ad se reducebat, ipsum a servitute peccati redimens, a conscientia praeteritae offensae liberans, iter ad beatitudinem demonstrans, ad virtutem verbis et exemplis provocans, nostrum affectum in se commovens, donec vicissim ardore dilectionis a nobismetipsis deficiamus, et in dilectum Deum transmutemur, et cum eodem summo Deo unus spiritus aeternaliter efficiamur (1).

(1) S. Thom. l. 4, c. *Gent.* c. 54 passim; et *Comp. theol.* c. 201. — Porro, ex tam perfecta convenientia huius mysterii in ordine ad reparationem perditi generis humani, rationem accipies quare ab antiquis Patribus, et praesertim a Graecis, consueverit incarnatio appellari *oeconomia:* vel absolute, vel cum addito, puta *oeconomia inhumanationis, oeconomia in carne,* vel *secundum carnem.* Est enim οἰκονομία idem ac dispensatio qua paterfamilias congruo et convenienti modo ea quibus familia indiget dispensat. Unde apud veteres oeconomia dicebatur quidquid liberali ac benefica providentia disposuit divina Bonitas, nostrae infirmitati atque indigentiae accommodatum. Et quia in hoc genere principem locum obtinet incarnatio, ideo oeconomiam quasi per excellentiam illam appellabant. De qua re vide Petavium de incarn. l. 2, c. 1.

Ad illud ergo quod in contrarium obiiciebatur dicendum est, finem alicuius rei esse duplicem, nempe id quod principaliter intenditur, et id cui res utilis est. Aliquid potest esse propter aliud dupliciter, ait S. Thomas in II, D. 15, q. 1, a. 1, ad 6um. Uno modo quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem, et sic inconveniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se, cum finis sit potior his quae sunt ad finem. Alio modo quia ordinatur ad illud, sicut ad id cui provenit utilitas secundum intentionem et ordinem agentis, sicut potest dici rex esse constitutus propter rusticum cui provenit bonum pacis ex regimine regis; et sic non est inconveniens quod aliquid sit propter minus se, quia hoc modo non ordinatur ad inferius quasi ei subiectum, sed magis quasi excellens causa bonitatis in eo. Quare, si in reparatione generis humani consideres ipsam divinam perfectionem, videlicet iustitiam, sanctitatem, et misericordiam excellenti modo manifestatam, habes quidem proprium et principalem incarnationis finem; sed non est iste finis minus nobiiis quam sit incarnatio ipsa, ut constat. Si autem consideres homines in quorum utilitatem cedit bonum redemptionis, sic significatur solum finis cui provenit utilitas secundum intentionem et providentiam Dei, et iuxta haec principia facile tibi erit in forma ad argumentum respondere.

§ 2.

Restat nunc inquirendum an, seclusa incarnatione, impossibile omnino fuerit hominem reparari *per viam condignae satisfactionis pro peccato.*

In quo quidem per prius notandum est, nihil aliud ex testimoniis Scripturae et Patrum concludi posse, nisi quod incarnatio necessaria fuit ad perfecte satisfaciendum *in praesenti ordine providentiae:* supponendo scilicet quod in natura humana inveniri debuerit qui satisfaceret, et quod omnis purus homo post Adae praevaricationem, vel fuit in peccato, vel certe debitum habuit peccatum contrahendi. Et hoc modo ratio impossibilitatis est satis in aperto. Constat enim neminem sub peccato quolibet modo constitutum, sufficere potuisse ad solvendum pro se, mul-

toque minus pro aliis, eo quod immunitas seu liberatio a culpa necessario praesupponitur ad omnem condignitatem sive meriti sive satisfactionis [1]. Unde Basilius, Hom. in Psalm. 48, n. 3, dicit: « Animam omnem humanam succubuisse malo servitutis « iugo communis omnium inimici, et ea quam a Creatore acce- « perat libertate privatam, captivam ductam esse per peccatum. « Iamvero captivo omni opus est redemptionis pretio ad liber- « tatem recuperandam. Neque igitur frater fratrem suum potest « redimere, neque ullus seipsum, eo quod redemptorem, eo qui « captivus est et iam servit, oportet esse longe praestantiorem. « Sed et ne ullo quidem modo eam facultatem habet homo erga « Deum, ut pro peccatore eum placet, cum et ipse peccati sit « reus. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, iustificati « gratis per redemptionem quae est in Christo Iesu...* Neque igitur « fratrem in redemptionem quaere, sed aliquem qui tuam exce- « dat naturam, neque hominem nudum, sed hominem Deum Ie- « sum Christum, qui solus pro nobis omnibus Deo dare potest « placationem, quod eum proposuit Deus propitiationem per fi- « dem in sanguine ipsius ». Et in eodem sensu loquuntur alii Patres [2], ita ut nullus hic remanere possit controversiae locus. Nunc autem ulterius quaeritur, utrum condigna satisfactio fuisset in potestate alicuius purae creaturae, quae cogitaretur nostrae contaminationis omnino expers. Et hoc modo quaestio est scholastica potius, quam ad fidei doctrinam pertinens; unde inveniuntur quidam theologi in affirmativam partem propendisse.

Videretur ergo, purum hominem sufficere potuisse ad perfecte satisfaciendum Deo, aut certe si purus homo sufficere non potuit, nec sufficere etiam hominem Deum. Etenim primo, quantum malum est aversio a Deo per peccatum, tantum bonum est conversio ad Deum per caritatem. Ergo per caritatis actum cuius homo purus est capax, omnino redditur aequivalens, et suppo-

[1] Cf. de Sacramentis, Tom. 2, de effectu poenitentiae quoad remissionem mortalium et recuperationem virtutum.

[2] Leo Magnus, Serm. 4 et 5 de Nativ. Domini; Augustinus, Tract. 120 in Ioan.; Athanasius, Orat. 2 et 3 contra Arianos, etc.

sita acceptatione Dei, condigne satisfit. — Praeterea secundo, homo purus potest condigne mereri a Deo praemium vitae aeternae. Ergo et potest condigne satisfacere, quia si infinitas peccati in causa esset cur non posset satisfacere, etiam infinitas vitae aeternae impediret quominus eam mereretur. — Praeterea tertio, quod homo possit sufficientem satisfactionem Deo exhibere, concedit S. Thomas in IV, D. 15, q. 1, a. 2. — Denique quarto, meritum Christi fuit bonum finitum, quia non fuit bonum increatum. Ergo si infinita peccati malitia prohibet satisfactionem puri hominis, etiam prohibet, posita incarnatione Verbi. — Ita fere Scotus, Durandus, Aureolus, et qui ipsos sequuntur.

Ad huius itaque rei evidentiam sciendum est quod condigna satisfactio est illatae iniuriae recompensatio ad aequalitatem, ut scilicet quantae gravitatis fuit laesio honoris per offensam, tantae aestimabilitatis sit restitutio per obsequium. Manifestum est autem quod laesio honoris aestimatur ex dignitate personae offensae, quatenus, ut S. Thomas dicit in resp. ad 2um, tanto est offensa gravior, quanto maior est ille in quem delinquitur. Sed quoad restitutionem honoris est e converso; mensuram enim habet, non ex dignitate personae honoratae, sed personae honorantis. Sic igitur satisfactio condigna esse nequit, nisi persona satisfaciens conveniat cum persona offensa in eodem ordine, eodemque dignitatis gradu. Sed hoc est impossibile cum de Deo et creatura sermo est. Quapropter divinae Maiestatis offensa semper excessum habebit prae qualibet purae creaturae satisfactione, eo quod infinita distantia personarum, ex qua fit ut reparatio tanto minoris aestimationis sit quanto maioris est offensa, pertransiri omnino non potest. Denique ex iisdem principiis sequitur condignam fore satisfactionem hominis Dei, quia habebit valorem infinitum, utpote procedens a persona infinite digna [1].

[1] Nota quod demonstratio ista minime supponit, gravitatem peccati *adaequare infinitam dignitatem Dei secundum se*. Et ideo cessant instantiae Lugonis, cui etsi doctrina ipsa probetur, non tamen ratio. « Cum ergo, « inquit de Incarn. Disp. 5, Sect. 3, n. 36, quodcumque peccatum mortale, « quantumvis ex perfecta deliberatione procedat, fiat tamen cum valde im-

Ad 1um ergo dicendum quod non tantum bonum est conversio purae creaturae ad Deum per caritatem, quantum malum est aversio a Deo per mortale peccatum, *si utrumque consideres sub formali ratione satisfactionis et iniuriae,* quorum valor ex habitudine personarum mensuratur, ut dictum est. Si autem caritas et peccatum considerentur sub absoluta ratione boni et mali, sic verum est quod caritas ponit illam ipsam perfectionem quam peccatum privat. Sed hinc nihil sequitur, quia cum de satisfactione pro peccato agitur, non oportet considerare bonum et malum absolute, secundum quod unum privative alteri opponitur, sed magis secundum quod in morali aestimatione, omnibus pen-

---

« perfecta cognitione divinae dignitatis, hinc est, nunquam contrahere « gravitatem infinitam pro mensura dignitatis Dei offensi; nam omnis « nostra cognitio, quaecumque illa sit, imperfectissime apprehendit Dei « magnitudinem. Quare, sicut puerorum offensae parvi aestimantur, nec « accipiunt adaequate gravitatem a persona offensa, propter imperfectum « modum apprehendendi quem habent; ita cum proportione dicere possu- « mus omnem nostram cogitationem de rebus divinis esse quasi puerilem... « Non ergo ponderatur moraliter nostra offensa in Deum pro gravitate « personae offensae adaequate, sed multo minus, decrescente scilicet of- « fensa ex imperfecta nostra apprehensione, quae infinite distat a perfe- « ctissima cognitione comprehensiva Dei ». Haec profecto, quod ad principalem assertionem attinet, ultro concedimus; non enim dicimus offensam peccati esse *simpliciter infinitam*, sed solum esse in ordine gravitatis excedentis omnem reparationem quam possit offerre pura creatura. Et ratio est quia, etsi peccans imperfectissime cognoscat Deum, comparatione facta cum cognitione quam Deus de seipso habet, absolute tamen cognoscit ipsum ut infinite dignum, idest, ut primum principium et necessarium finem rerum omnium; adeoque persona offensa vere apprehenditur ut digna ea dignitate quae est supra omne genus et omnem categoriam entium creatorum. Hoc autem plane sufficit ut offensa Dei, et quaelibet purae creaturae satisfactio, improportionabiliter omnino ad invicem se habeant. Sed et multo minus persuadet argumentum quod assumit Lugo ex consideratione peccati venialis, dicens veniale etiam peccatum esse offensam Dei, quin tamen inde contrahat ullam infinitatem, etiam secundum quid. Ad hoc enim dicendum est, *veniale non esse offensam Dei simpliciter*, quia non contrariatur charitati, et non praefert creaturam Deo, nec ponit finem ultimum in aliqua re extra Deum; unde nullo modo potest quoad gravitatem cum mortali peccato comparari.

satis circumstantiis, adaequabilia sunt, *ut tanti valeat reparatio prout a satisfaciente, quanti valuit iniuria prout contra offensum.* Porro etiamsi per gratiam Spiritus Sancti eliciatur actus caritatis perfectae, semper tamen est et manet obsequium a pura creatura Deo exhibitum, ideoque semper invenitur in infimo ordine reparationis respectu peccati quod est in summo ordine iniuriae ([1]).

Ad 2[um], transmisso antecedente, (non enim aliis, sed sibi soli meretur homo de condigno, per gratiam cooperantem quae gratuitam iustificationem consequitur), negatur consequentia. Non enim fundatur in praesenti argumentum super infinitatem peccati, (quae non est nisi infinitas secundum quid), absolute consideratam: sed supra excessum qui necessario invenitur in offensa *qua tali*, prae qualibet puri hominis satisfactione *in quantum satisfactio est.* Nunc autem, etsi vita aeterna habeat infinitatem quamdam secundum quod aeterna est fruitio infiniti boni, adhuc tamen non est nisi bonum creaturae, cum sit creaturae beatitudo. Atqui intelligitur creaturam posse de condigno mereri suum bonum, hoc est, suam beatitudinem, tametsi oporteat ut elevetur per donum gratiae, si de supernaturali beatitudine sermo sit. Sed infinitas peccati longe alterius rationis est. Attenditur enim in peccato infinitas in quantum est laesio divini

([1]) Cum hoc tamen stat quod si compares bonum charitatis et malum peccati per ordinem ad finem qui est gloria Dei, praevalet vel unus charitatis actus millibus et millies millibus actis peccatorum. Plus enim datur gloriae Deo, vel in uno opere gratiae, quam possit de illa per se subtrahi in millies millibus factis insipientium hominum. Sed nunquam mensuratur offensae gravitas ex damno vel quasi damno quod personae offensae infertur. Nam certe, quanto vilior est persona offendens, tanto minus est damnum vel quasi damnum offensi: et tamen offensa qua offensa, tanto est gravior. Nota igitur bene quod termini comparationis in praesenti non sunt actus charitatis et peccatum, quantum ad quasi emolumentum et quasi damnum respective emergens pro gloria Dei. Sed termini comparationis sunt: peccatum prout contra eum qui excedit totum ordinem creaturarum, et actus charitatis prout ab eo qui est in gradu purae creaturae. Hinc offensa, cui ut tali pondus dat laesa Dei maiestas; inde satisfactio, quam ut talem dignificat creatae tantum personae conditio; et haec duo inadaequaliter prorsus se habent inter se, ut fere in terminis evidens est.

iuris et infinitae Maiestatis offensa, quam non adaequat, ut dictum est, reparatio puri hominis, quantacumque gratia iste cogitetur praeventus. Ergo creatura potest cum gratia mereri de condigno vitam aeternam, id est, ponere opus quod sit dignum pretium beatitudinis caelestis; et tamen, etiam cum gratia, non potest de condigno satisfacere pro peccato, hoc est, dare compensationem quae in oculis iusti aestimatoris rerum, habeatur respectu peccati ut tantum redditum pro tanto.

Ad 3um dicendum quod S. Thomas in dicto loco docet purum hominem posse satisfacere Deo sufficienter, intelligendo per sufficientiam, non quidem aequalitatem inter reparationem et offensam, sed solum sufficientiam secundum acceptationem Dei qui est ea contentus, in quantum proportionatur hominis possibilitati. Animadvertendum tamen est quod satisfactio de qua nunc loquimur, est satisfactio pro formali culpae; alia est autem satisfactio pro materiali post culpae condonationem adhuc remanente, et de ea non procedunt rationes in praesenti propositae.

Ad 4um denique dicendum quod infinitas peccati non est infinitas entitativa, sed moralis aestimationis. Et ideo ad hoc ut satisfactio Christi sit sufficiens et superabundans, nullo modo requiritur ut sit bonum entitative infinitum; sed satis est ut habeat coram Deo acceptabilitatem praevalentem gravitati quorumlibet peccatorum, et hoc habet ex conditione personae satisfacientis, ut satis suo loco explicabitur, Quaest. 19, et iterum, Quaest. 46 et seq.

Hactenus de convenientia incarnationis pro variis hypothesibus quae possunt excogitari. Unde iam sponte sua enascitur dubium, quis ille finis fuerit propter quem *de facto* a Deo volita est et decreta, et ad huius quaestionis elucidationem sequens statuitur propositio.

THESIS III.

(Art. 3-4).

Quamvis, peccato non existente, sua adhuc incarnationi fuisset convenientia, ad factum tamen quod attinet, probabilius dicitur hoc divinum opus in reparationem humanae naturae lapsae ita ordinatum, ut vi praesentis decreti, si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.

Inquiritur quaenam ratio Verbo fuerit, ut caro fieret: an praecise manifestatio bonitatis divinae per viam misericordiae et iustitiae in redemptione hominum sub iugo diaboli exsistentium: an etiam, vel principalius, vel aeque principaliter, eiusdem bonitatis ostensio, nullo respectu habito ad casum generis humani. Si primum, constat quod *vi praesentis decreti,* Adamo non peccante, Verbum incarnatum non fuisset. Si secundum, e contra ([1]).

Fuerunt autem circa hoc diversae opiniones. Inter antiquos doctores scholasticos quidam dicebant, de incarnatione loquen-

([1]) Nota accurate sensum huius propositionis: *Vi praesentis decreti, Adamo non peccante, incarnatio non fuisset.* Hoc enim loquendi modo minime intendimus adstruere quid *absolute* fuisset vel non fuisset, hac vel illa conditione posita, quia nihil circa hoc per revelationem accepimus. Sed tota assertio restringitur ad decretum nunc exsistens, quod asseritur esse eiusmodi, ut, dempto peccato, non amplius persisteret eius ratio et finis. Unde propositio ista: *Si homo non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset*, nihil aliud est quem circumlocutio quaedam, exprimens finem adaequatum ad quem Deus *de facto* incarnationem praeordinavit. Nihil igitur valet si dicas: Si homo non peccasset, fuisset alius providentiae ordo, in quo nescitur quid Deus disposuisset. Obiectio enim ex falso supposito procedit, quasi nos vellemus determinare quid evenisset in hac hypothesi, quod absit. Nam solum intendimus quod praesens decretum non respicit nisi reparationem peccati et caetera quae cum reparatione illa sunt connexa. Caeterum, si homo non peccasset, forsitan fuisset aliquod aliud decretum circa incarnationem, sed non idem decretum quod nunc est, respiciens eumdem finem, easdemque rationes.

dum esse dupliciter: aut *quantum ad substantiam,* aut *quantum ad defectum passibilitatis et mortalitatis.* Si fiat sermo de ipsa quantum ad defectum carnis passibilis, sic, aiebant, incarnationis praecipua ratio fuit humani generis redemptio. Si autem quantum ad assumptionem naturae humanae simpliciter, sic ratio principalis non fuit liberatio hominum, sed perfectio multiplex surgens ex dignitate illius operis. Hanc opinionem quae est Alensis (1), et Alberti (2), Scotus postea fecit suam (3). Nec fere dissimilis est opinio Suarezii, nisi quod vult incarnationem quoad substantiam fuisse aeque principaliter ordinatam a Deo, tam ad redemptionem nostram, quam ad perfectionem divinorum operum absque occasione vel remedio peccati, ita ut, inquit de Inc. Disp. 5, Sect. 4, « ratio seu motivum sufficiens et adaequatum « volendi incarnationem, non fuerit unicum tantum, sed plura, « non tantum partialia et quasi constituentia unum adaequatum « motivum, sed totalia et per se sufficientia ». Consequenter docet idem Suarez cum aliis nonnullis, Christum advenisse universale principium gratiae et gloriae, non solum hominibus, sed etiam angelis; item existimat gratiam status innocentiae fuisse ex meritis Christi; denique ad hanc suam opinionem accommodat id quod nonnulli Patres dixisse feruntur, malos scilicet angelos occasione huius mysterii per superbiam et invidiam excidisse, indigne ferentes tantam naturae humanae exaltationem, et Christo subiici recusantes. Verum, quidquid nunc sit de habitudine Christi et meritorum eius ad angelos, quaestio praesens versatur tantum circa rationem propter quam incarnatio in sua substantia considerata, fuit de facto divinitus praeordinata. Porro sententia negans talem esse finem in praesenti decreto praestitutum, ut remoto lapsu nostri generis, adhuc exsequendae incarnationis perstaret ratio, sententia est longe communior apud theologos post SS. Thomam et Bonaventuram; et haec est sententia quae hic defenditur, non quidem ut omnino certa, sed ut magis consona auctoritatibus Scripturae et dictis Sanctorum.

(1) Alensis, Part. 3, Quaest. 2, Membr. 13.
(2) Albertus Magnus, in III, D. 20, a 4.
(3) Scotus, in III, D. 7, 9, 3, et D. 19. q. 1, et D. 32, q. unic.

Videretur tamen opinio affirmans potius amplectenda. Etenim primo, ordinate volens per prius vult finem, et post hoc, quod est fini propinquius. Sed gratia et gloria est propinquior fini quam permissio peccati. Ergo priusquam voluit Deus permittere peccatum, voluit gloriam omnibus electis, et maxime voluit Christo gloriam quasi Unigeniti a Patre. Si autem ita, ergo Christus fuit praedestinatus antecedenter ad omnem permissionem et praevisionem peccati, et per consequens, etiamsi homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. Accedit quod redemptio hominum non est tantum bonum quantum est incarnatio; ergo non propter illam solam causam Deus praedestinavit Christum. Item non est verisimile, tam magnum bonum fuisse pure occasionatum, et quasi per accidens. Ita Scotus ubi supra.

Praeterea secundo, Cyrillus l. 15 Thes., contra Arianos ita argumentatur: « Si, ut haeretici dicunt, ut nos produce-« ret Deus, Filium produxit, erit ipse propter nos factus, non « nos propter ipsum; cur ergo nobis non aget gratias, qui « propter nos est? » Et infra: « Si propter nos Filius factus « est, primi nos erimus apud Deum; sic enim Deus nos « primo, deinde Filium propter nos intendisse videbitur ». Similiter ergo, si Deus praedestinavit Christum hominem propter solam salutem nostram, ita ut, genere humano non labente, incarnatio non fuisset, Christus homo erit propter nos, non nos propter ipsum, et nos erimus illo priores in intentione Dei. Quae omnia, praeterquam quod absurda sunt satis, adversantur Apostolo in 1 Cor. III dicenti: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Item Tridentino, Sess. 6, c. 7, ubi edocemur gloriam Christi esse causam finalem nostrae iustificationis, et non e converso. Ita Suarez, l. c.

Praeterea tertio, etiamsi Scriptura explicando causas incarnationis, de sola nostra redemptione meminisset, adhuc nihil sequeretur; sicut ex eo quod Apostolus dicat angelos esse administratorios spiritus in ministerium missos propter eos qui haereditatem capient salutis, non sequitur ipsos non fuisse creandos si nulli fuissent homines in quorum custodiam destinarentur. Sed neque concedendum est, penitus praetermissas esse in scri-

ptura alias incarnationis causas a peccato vel redemptione independentes, ut cum dicitur Christus praedestinatus in gloriam nostram (1 Cor. II 7); vel ut sit nostra iustitia et sanctificatio (1 Cor. I-30); vel ut sit caput omnium angelorum et hominum (Eph. I-22, et Coloss. I 18). Ergo, etiam homine non peccante, vi praesentis decreti, Deus incarnatus fuisset.

Sed contra est quod dicitur in Symbolo: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis*: ubi videtur assignari propria et adaequata causa adventus Christi in mundum, quam expressius etiam attestantur multa loca Scripturarum, ut mox apparebit. Verum, ad convenientem argumentorum expositionem nonnulla per prius occurrunt observanda.

Primum omnium considerare oportet quod quaestio proposita nullo modo solvi potest a priori. Sive enim cogitemus incarnationem provisam pure et simpliciter in remedium peccati, sive cogitemus illam vel magis vel aeque principaliter ordinatam in divinam gloriam, nulla ex peccato sumpta occasione, apparet hinc et inde aequalis saltem possibilitas. Fatendum sane est conveniens fuisse Deum incarnari, etiam propter solam perfectionem intrinsecam huius mysterii, in quantum per se solam confert sufficienter ad excellentem divinae bonitatis manifestationem; et hoc ostendunt rationes superius traditae in ipso tractatus postliminio. Sed quia convenientia huiusmodi non infert inconvenientiam oppositi: sicut non fuit impossibile vel inconveniens Deum nullo modo incarnari, ita etiam possibile fuit et conveniens incarnationem non decerni, nisi quatenus manifestationi bonitatis quae ab hoc mysterio inseparabilis est, adiungeretur manifestatio summae misericordiae erga homines ab aeterna vita exclusos, et summae iustitiae cui aliter quam per Hominem Deum poterat pro peccato perfecte satisfieri. Negari ergo nequit quin potuerit incarnatio ita ordinari in peccati remedium, ut peccato non exsistente, ipsa non fieret. Imo, si rationibus quae maiorem minoremve convenientiam adstruunt plus iusto fideremus, dicendum potius esset cum S. Bonaventura in III, D. 1, a. 2, q. 2, quod posterior modus videtur incarnationis mysterium magis commendare, dum dicitur hoc mysterium tantum esse ut

non debuerit fieri nisi ex maxima causa, utpote propter placandam divinam iram, et instauranda omnia sive quae in coelis sunt, sive quae in terra. Item, plus inflammat affectum animae fidelis quod Deus sit incarnatus ad delenda scelera nostra, quam ad consummanda inchoata opera sua. Denique, plus erigit spem peccatoris, dum recogitat nulla esse peccata tam gravia vel tam enormia quae non capiant curationem illius qui non venit nisi ad instaurandas ruinas.

Cum igitur omnis ratio a priori sit necessario inefficax, restat ut ex positivis testimoniis quaestio resolvatur, quia quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt nisi quatenus in Sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Sed in Sacra Scriptura et in dictis Sanctorum expositorum, ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. Ergo probabilius dicitur incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non exsistente, incarnatio non fuisset.

Minor declaratur. — Nam primo, in V. T. causa adventus Christi manifestissime dicitur esse ut conterat caput serpentis ([1]), ut afferat remedium humanae miseriae ([2]), ut finem imponat peccato ([3]), ut auferat iniquitates terrae ([4]), ut pacem hominum cum Deo conciliet ([5]); et sicubi aliae rationes afferuntur, semper inveniuntur pertinere ad remedium malorum quae protoparentis peccatum invexerat, sicut cum dicitur Christus futurus doctor et praeceptor hominum, congregaturus gentes divisas, novum atque aeternum foedus initiaturus, etc. — Maxime vero in N. T., quoties ratio incarnationis ex professo explicatur, toties assignatur hominum liberatio, et nulla alia assignatur quae cum ista non sit per se connexa. Nam, *venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* (Luc. XIX-10); *Misit Deus Filium*

([1]) Genes. III-15.
([2]) Isa. LXI-1.
([3]) Dan. IX-24.
([4]) Zach. III-9.
([5]) Isa. LIII-5; Mich. V-5; Agg. II-10.

suum ut salvetur mundus per ipsum (Ioann. III-27); *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (1 Tim. I-15); *Non veni vocare iustos, sed peccatores* (Matth. XIV-14); *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum* (Heb. II-14). Unde ibidem Apostolus introducit Filium Dei in incarnatione sua quasi imminentem dorso fugitivorum suorum, dicens: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* « Quid est enim « *apprehendit?* ait Chrysostomus, Hom. 5 in ep. ad Heb. Non « enim apprehendit, inquit, illam angelorum naturam, sed no- « stram. Cur autem non dixit *suscepit*, sed usus est hac dictione « *apprehendit?* A metaphora eorum qui persequuntur aversos, « et omnia faciunt ut fugientes comprehendant et resilientes « apprehendant. Ab ipso enim fugientem naturam humanam et « procul fugientem, ipse persecutus comprehendit ». — Porro, quod haec sola fuerit principalis incarnationis causa, apparet etiam ex parabola Christi Luc. XV, et Matth. XVIII, de ove perdita. Nisi enim Deus centesimam ovem perdidisset, non reliquisset in montibus alia nonaginta novem, id est, coelestes angelos, nec de coelo unquam ad terram assumendo carnem descendisset. Sed et valde efficax videtur ratio desumpta ex nomine Iesu quod coelitus inditum interpretatur Salvator ([1]). Temere enim impositum nomen quod est super omne nomen, cogitare nefas. Quin imo recte diceres ipsum significasse adaequate principale munus gratiae Christo homini collatum, et fuisse instar definitionis, quae ut sit bona, debet convenire definito *soli* et *toti*. Unde, si alia multa nomina Christi inveniuntur tradita in scripturis prophetarum, ex hoc ipso quod nomen Iesu divinitus imponitur tanquam maxime proprium, caetera omnia in illud collineare convincuntur sicut quaedam eius explicationes. Verbi gratia, « in hoc quod dicitur *Emmanuel* (Is. VII-14), « designatur **causa salutis** quae est unio divinae et humanae « naturae in persona Filii Dei, per quam factum est ut Deus

([1]) Matth. I-21.

« esset nobiscum, quasi particeps nostrae naturae. Per hoc autem « quod dicitur: *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina « praedari* (ibid. VIII-3), designatur **a quo nos salvavit**, quia a « diabolo cuius spolia abstulit, secundum illud Coloss. II-15: « Exspolians principatus et potestates traduxit confidenter. In « hoc autem quod dicitur: *Vocabitur nomen eius admirabilis, « consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis* « (Is. XI-6), designatur **via et terminus nostrae salutis**, in « quantum scilicet admirabili divinitatis consilio et virtute ad « haereditatem futuri saeculi perducimur, in quo erit pax per- « fecta filiorum Dei sub ipso principe Deo. Quod vero dicitur: « *Oriens nomen eius* (Zach. VI-12), ad idem refertur ad quod « primum, secundum quod exortum est in tenebris (h. e. in nocte « peccati) lumen rectis corde ». Ita S. Thomas infra, Quaest. 37, ad 1um. Sic igitur, ex impositione nominis Iesu concludi potest Christum non fuisse praedestinatum nisi ut salvatorem seu redemptorem, et quia redemptor non est si non sint creaturae peccato obnoxiae, ergo peccato non exsistente, Deus de facto incarnatus non fuisset (1).

(1) Crescit argumentum si considerentur loca Scripturae quae pro opposita sententia passim afferuntur.

Primus locus est, Prov. VIII-22: *Dominus possedit me in initio* (vel initium) *viarum suarum*. Ubi, aiunt, incarnata Sapientia est quae loquitur, quaeque seipsam absolute dicit principium viarum Domini, id est viarum gratiae per quas ad gloriam pervenitur. Si autem absolute, ergo tam quoad homines qui redempti sunt, quam quoad angelos qui redempti non sunt. Unde consequens est, incarnationem fuisse decretam, non propter solam hominum reparationem, sed etiam propter iustificationem et glorificationem angelorum, ac per hoc, adhuc habituram fuisse locum, quantum est ex vi praesentis decreti, etiamsi homo non peccasset.

Verum argumentatio ista multiplici defectu laborat. Primo quia sine fundamento supponitur locum hunc esse de aeterna Sapientia ut incarnata, cum nihil in toto contextu sit ad hunc sensum determinans. Secundo quia, hoc praetermisso, incarnationem esset initium viarum seu operum Domini, intelligi optime potest, non in ordine causalitatis, sed in ordine excellentiae: sumendo initium in eodem sensu quo sumitur Iacob. I-18, cum dicitur Deus voluntarie genuisse nos, *ut simus initium*

Quae omnia adeo decretoria visa sunt Patribus, ut incarnationis causam in nostra redemptione agnoscentes, formulis exclusivis passim utuntur. « Si non haberet caro salvari, ne« quaquam Verbum Dei caro factum esset », ait Ireneus l. 3 cont. haeres. c. 14. Et Athanasius, orat. 2 cont. Arian. n. 54:

---

aliquod creaturae eius. id est, ut principalitatem quamdam habeamus inter caeteras creaturas. Et sic sensus esset, incarnationem esse excellentissimum omnium Dei operum; quod utique nemo negat et semper verum manet, quacumque hypothesi facta circa rationem propter quam fuit a Deo decreta. Tertio demum, quia dato iterum et non concesso quod initium viarum Domini poneretur hic pro causa earumdem, sufficeret intelligere principium earum viarum de quibus intendit Scriptura specialiter instruere nos. Scriptura autem instruit nos de viis quae ad nos spectant et circa nos sunt, hoc est, de viis reparationis et restaurationis post Adae peccatum. Omnibus ergo modis nulla est aut esse potest ex huiusmodi testimoniis conclusio.

Alter locus est, Coloss. I, 15-21. Ex quo eruere volunt quod si *in ipso*, i. e. in Christo, *condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes*, etc., ergo incarnatio tam independens esse debuit ab hominis lapsu, quam ab eo independens fuit creatio universi. Sed ad hoc dicendum est quod, quidquid nunc sit de nexu consequentiae, locus ille non est ullo modo ad rem. Ut enim esset quomodolibet ad rem, oporteret praecitata apostoli verba (vers. 15-17) dici de Verbo qua incarnato, seu in quantum est homo. Id autem non solum non probatur, sed positive refutatur, quia sunt intelligenda de Christo secundum divinitatem, posteriora autem tantum (vers. 18-21), de Christo secundum humanitatem. Et ideo solent trahere inde argumentum pro unitate personae, dum scilicet de uno eodemque praedicantur tam quae divinitatis sunt, quam quae humanitatis. Vide l. 4 c. Gent. c. 54 circa finem. Et sane, sicut ad Christum hominem evidenter referuntur ista vers.[li] 18[i], *et ipse est caput corporis Ecclesiae, primogenitus ex mortuis:* ita ad Christum Deum non minus manifeste referuntur praecedentia vers.[li] 15[i], *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt*, etc. Ubi nota quod non dicit, primogenitus *ex* omni creatura, quasi de numero creatorum exsistens, sicut postea dicit, primogenitus *ex* mortuis. Sed dicit, primogenitus omnis creaturae, πρωτοτοκος πασης κτισεως, i. e. genitus prior omni creatura, sicut alias, Ioan. I-15, πρωτος μου ην, *prior me erat:* ut scilicet significaretur generatio qua genitus est ante creationem universi, seu, ut habetur in Symbolo, ante omnia saecula.

« Dominus non habuit causam ut esset Verbum, nisi quod Pa-
« tris esset germen... Cum tamen homo efficitur, tunc causa sub-
« stituitur cur eum oporteat carnem gestare; necessitas quippe
« indigentiaque hominum anterior est quam illius nativitas;
« qua sublata, carnem non induisset ». Rursus Chrysostomus, hom. 3 in Gen. n. 4: « Propter nihil aliud Deus induit car-
« nem nostram... nisi ut nos peccato obnoxios a maledicto li-
« beraret ». Item Leo Magn., serm. 3 de Pent.: « Si homo ad
« imaginem et similitudinem Dei factus in suo honore mansisset,
« Creator mundi creatura non fieret ». Et Augustinus, serm. 175, n. 1: « Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi pecca-
« tores salvos facere ». Et iterum, serm. praec. n. 2: « Si homo
« non peccasset, Filius hominis non venisset ». Caeterum vide alios plurimos citatos apud Petavium, de Inc. l. 2, cap. ult., et ne dicas, (quod adversariis unicum manet effugium), particulas exclusivas restringi ad accidentalem circumstantiam carnis passibi-

---

Tertius locus est Heb. II-10: *Decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Qui tamen, si stemus lectioni vulgatae quae omnino legitima videtur, ne a longe quidem praesentem attingit quaestionem, quia supposita lectione activa *consummare*, ly *propter quem omnia et per quem omnia*, in quo tota vis probationis resideret, non ad Filium refertur, sed ad Patrem. Cum tamen vox graeca τελειωσαι posset etiam habere sensum passivum, (quo in casu sermo esset de Filio, quem in carne assumpta decebat per passionem *consummari*), hanc versionem eligunt, ut in ea fundent suam de incarnatione independente ab hypothesi peccati sententiam. At frustra, quia etiam sic, auctoritas illa non esset ad rem. Sumeretur enim ratio ex verbis *propter quem omnia et per quem omnia*, quae accipi nequaquam possunt de Filio qua incarnato. Et si quidem solum diceretur *propter quem omnia*, res forsitan foret in dubio posita. Nunc autem dicitur, *propter quem et per quem*. Quis autem feret, incarnationem esse *per* quam sunt omnia? Nisi forte illud quoque Ioannis, *omnia per ipsum facta sunt*, de incarnatione accipias, cum tamen evidentius constet de Verbo dici prout erat ab aeterno apud Patrem.

Sic ergo subtrahuntur omnes auctoritates Scripturae, et non relinquuntur adversariis nisi argumenta a priori, quae in subiecta materia nihil valent, praetereaque nihil.

lis, quia hoc esset omnino volontarium, id est, gratis et sine fundamento dictum, ut cuilibet testimonia diligenter consideranti patebit.

Ad 1um ergo dicendum quod ratio Scoti tota nititur in falso supposito, quia in divina praescientia et praedestinatione nulla est prioritas aut posterioritas naturae ex parte actus divini, nec ex parte obiectorum ut cadunt sub actu intellectus aut voluntatis; sed Deus uno simplicissimo actu simul vult et decernit et permittit omnia, puta hunc numero ordinem prae aliis in infinitum possibilibus. Considerandum enim est quod in scientia simplicis intelligentiae, simul videt Deus omnia quae sunt possibilia habere esse; ea autem quae sunt possibilia habere esse, non sunt solummodo res individuae seorsum sumptae, sed etiam ordines rerum et omnes compositiones earumdem. Unde, ille ipse ordo qui nunc de facto exsistit, cum omni concatenatione liberorum agentium atque operum, necnon et cum omni exitu seu eventu eius, fuit unum ex infinitis possibilibus quorum ratio lucebat apud Deum in sua scientia aeterna. Et quia aliunde nequit esse ut in Deo una voluntas influat in aliam, hinc est quod aeterno indivisibilique decreto omnia quae in dicto ordine continentur, fuerunt simul a Deo aut volita aut permissa. Falsum igitur est quod prius natura voluerit Deus gloriam Christi vel aliorum, quam permiserit aliquid circa peccatum, quia falsum est quod in divinis actibus sit ordo naturae, h. e. causalitatis, ex parte actuum in se, vel ut tendunt in obiecta creata. Sed in eo deceptus est Scotus, quod transtulit in ipsam divinam volitionem, ordinem prioritatis et posterioritatis qui in solis obiectis praevisis et praevolitis invenitur: in quantum Deus qui ordinatissime vult, hoc est, vult rectissimum ordinem in suis volitis, praevoluit hunc effectum esse propter alium, et ordinari ad alium, et causari ab alio, causalitate efficientis, aut finis, aut materiae, aut formae. Si qua ergo esset difficultas, haec non esset repetenda ex parte divinae voluntatis prius natura tendentis in bonum incarnationis quam in permissionem peccati, sed solum ex parte ordinationis volitorum inter se: quatenus inconvenienter diceretur res fuisse ita dispositas a Deo, ut prioritatem habeat peccatum permissum supra incarnationem, et genus hu-

manum reparandum supra Christum. Verum hic diligenter considerandum est, prius et posterius dici in multiplici ordine, et nihil obstare quin aliquid sit secundum quid natura posterius, quod tamen est prius simpliciter, id est in via perfectionis et actus. Voluit igitur Deus peccatum esse prius incarnatione secundum ordinem causae occasionalis; sed in hoc non est vera prioritas naturae, quia occasio non est proprie dicta causa. Voluit insuper, reparandum humanum genus esse prius Christo secundum ordinem causae materialis, qui est ordo prioritatis in linea imperfectionis et potentiae. In triplici autem ordine causae efficientis, formalis, et finalis, qui est ordo perfectionis, omnino est prior Christus. In ordine quidem efficientis, quia est constitutus a Deo auctor salutis nostrae. In ordine etiam causae formalis, quia ordinatus est exemplar nostrae iustificationis et glorificationis. In ordine demum causae finalis, quia ipse est cui tanquam fini omnes assimilari debemus, et in cuius maximam gloriam redundat nostra redemptio, iuxta illud Philipp. II: « Humiliavit « semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod « et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super « omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coele- « stium, terrestrium et infernorum ». Et per hoc patet solutio ad principale argumentum Scoti. — Ad id autem quod addit, non tantum bonum esse redemptionem hominum quantum est incarnatio, iam fuit sufficienter responsum in art. praec. — Item, si per bonum occasionatum intelligatur quoddam bonum quod esset praeter intentionem agentis, sic negatur suppositum. Si autem intelligatur bonum quod Deus de facto non voluit nisi sumpta occasione ex peccato, sic conceditur quidem incarnationem posse dici occasionatam: sed in hoc sensu nullum est inconveniens.

Ad 2um dicendum in primis, quod incarnationis causam in redemptione nostri generis Cyrillus ubique reponit. « Unam qui- « dem, inquit (1), veram et generalem incarnationis Unigeniti « causam divinus Paulus nobis exponens aiebat: *Placuit Deo ac*

(1) Cyrill. l. 9 in Ioan.

« *Patri instaurare omnia in Christo.* Ubi instaurare significat in « pristinum statum revocare, quae in diversum plane exitum ce- « ciderant ». Et alibi (1): « Sacrae Scripturae incarnationem Verbi « factam esse aiunt ad emendationem atque instaurationem car- « nis, universaeque naturae humanae ». Et rursus (2): « Semen « Abrahae apprehendit, ut per omnia fratribus assimilatus mor- « tem devincat. Hunc enim ad finem et scopum, universum in- « carnationis mysterium refertur ». In his ergo et similibus testimoniis tutius quaeres sententiam Cyrilli de incarnationis fine, quam in loco obiecto, ubi nihil aliud est quam argumentum aliquod dialecticum pro consubstantialitate Verbi contra impietatem Arianam.

Caeterum ratio in argumento proposita procedit adversus eos qui ponebant Filium a Patre creatum instar cuiusdam puri instrumenti fabricationis universi (3). Unde ibidem Cyrillus subdit: « Et nos quidem opus, ipse vero (Filius) operis instrumen- « tum ». Quo posito, sequeretur Filium ordinari ad universum tanquam ad proprium ac principalem finem, sequerentur et alia absurda a Cyrillo hic notata; purum enim instrumentum nequaquam est propter se, sed solum propter perfectionem operis quod ultimo intenditur. Nos autem non ponimus *Christum hominem* instar nudi instrumenti redemptionis hominum, quia licet humanitas assumpta recte dicatur instrumentum coniunctum divinitatis, id tamen sensu largiori, qui infra, ubi de operatione theandrica, explicabitur. Si ergo consideremus primarium ordinem a Deo in rebus institutum, secundum quem omnia ordinantur ad divinam bonitatem suo modo participandam et manifestandam, dum inferiora intendunt assimilari melioribus et meliora

(1) Thesaur. Assert. 13.

(2) Homil. Pasch. 8.

(3) « Cum, inquiunt (Ariani), Deus vellet creaturarum naturam con- « stituere, cum illa immensam ipsius vim ac virtutem capere non pos- « set, primum creavit Filium, ut per illum quasi medium reliquae crea- « turae tantae virtutis capaces efficerentur. Erat enim alioqui absurdum « ineffabilem Dei virtutem ad haec minima pervenire, et circa adeo « exilia laborare ». Cyrill. Thesaur. Assert. 15.

Deo, sic non ordinatur humanitas Christi ad aliquid minus se. Quantumcumque enim dicatur ordinata ad salutem hominum, proprius eius finis est assimilatio ad Deum, cuius perfectam similitudinem consequitur per hoc ipsum quod toti generi humano excellens causa bonitatis efficitur. Si autem consideremus ordinem secundarium, iuxta quem una creatura ordinatur ad aliam ut illam iuvet in consequenda participatione divinae bonitatis, sic non est inconveniens perfectius esse propter vilius, ut iam ostensum est, et caeteroquin evidenter patet exemplo angelorum qui in ministerium mittuntur ut Deo cooperentur in reductione inferiorum ad ipsum. Verum est igitur quod Christus in quantum homo, propter nos est, non equidem ut nudum instrumentum propter opus efficiendum, sed potius sicut perfectum propter imperfectum cui provenire debet utilitas. Nos vero e converso sumus propter Christum sicut propter finem cui assimilemur, et cuius gloriam in nostra iustificatione et salute procuremus.

Ad 3um denique dico: Etiamsi Scriptura de angelis nihil aliud doceret nisi quod sunt in custodiam hominum deputati, adhuc tamen recte teneretur custodiam hominum non esse principalem rationem creationis angelorum, quia angeli pertinent ad ordinem naturae et ad perfectionem universi, et ideo principaliter intelliguntur effecti ad hoc ut universitas rerum omnibus entium gradibus compleretur. Sed incarnatio est supra omnem ordinem naturae, imo et communis gratiae; unde iterum nulla est paritas. « Alia opinio dicit, ait S. Bonaventura in III, D. 1, a. 2, q. 2, « quod Deum congruebat incarnari ad perfectionem universitatis, « et ideo quodammodo Deum intra perfectionem universi con- « cludit, et quamdam necessitatem incarnationis ponit ei, cum « dicit opera eius aliter ad perfectionem non perduci. Hic autem « modus dicendi, cum dicit quod incarnationis mysterium est « super omnem perfectionem, ponit Christum esse supra omnem « perfectionem universitatis, sive quantum ad naturam, sive quan- « tum ad gratiam, sive quantum ad gloriam. Et hoc recte facit, « quia Deus super omnem universi ordinem ponendus est, sicut « non dicitur esse dux de exercitu, sed supra exercitum ». Non est igitur in tali materia aliquid affirmandum praeter positivas

auctoritates Scripturae. Porro auctoritates allatae intentum adversariorum non evincunt. Non prima, quia in tantum dicitur Christus esse in gloriam nostram, in quantum est dux et auctor salutis nostrae quae in aeterna gloria terminatur. Non secunda, quia iustitia et sanctificatio hominum pertinent ad remedium peccati. Non denique tertia, quia nullibi dicitur Christus venisse ut esset caput angelorum, sed (quod idem non est), fuisse constitutus a Patre caput supra omnes angelos: in quo non assignatur causa cur facta est incarnatio, sed tantum declaratur id quod ad illam necessario consequitur. Incarnatione enim supposita, debitum est ut Christus homo habeat principatum supra omnes creaturas, tam humanas quam angelicas, seseque habeat ut finem respectu omnium quae sunt in universo (1).

(1) Cum de fine universi agitur, distingue bene finem *ex parte Dei*, et finem *ex parte operum*. Et ex parte quidem Dei finis dicitur id quo Deus movetur ad volendum. Unde non potest esse aliquid a Deo distinctum, sed est necessario sola divina et increata bonitas manifestanda, quin locus sit possibili distinctioni inter finem ultimum et finem proximum sive intermedium. Sed ex parte operum, finis dicitur quidquid se habet ut cuius gratia, vel proxime vel ultimato, aliquid aliud est. Et sic, sub fine ultimo Deo possunt esse alii fines intermedii, sicut homo est finis proximus inferioris creaturae, quam eius gratia Deus produxit in esse: utputa plantarum, animalium, et caeterorum quae sunt super faciem terrae sita. Hoc igitur modo sumendo finem, dicendum omnino est Christum secundum carnem esse finem operum Dei, iuxta illud 1 Cor. XV-26: *Omnia subiecit sub pedibus eius*, et rursus Heb. II-8: *In eo quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei*. Porro, nihi omnino est in iis quae de ratione incarnationis hactenus dicta sunt, quod rite possit in oppositum afferri: modo tamen de Deo praeordinante restaurationem a ruina peccati, non tamquam de homine cogitemus. Quidam enim rem concipiunt quasi praeordinato per prius universo absque Christo, praevisoque deinde peccato absolute futuro, tunc incepisset Deus priorem ordinem corrigere, et secunda veluti molitione Christo reparatori utcumque accommodare. Quo quidem modo difficile revera esset intelligere Christum finem operum Dei. Sed est lusus imaginationis, quia primo et semel ferebatur decretum divinum supra totum ordinem qui nunc de facto est: in quo foret peccatum, et Christus ad reparandum peccatum, et subiectio omnium ad ipsum, quantumvis non exsistentem nisi in suppositione peccati, caelestium scilicet, terrestrium, et infernorum.

Nota. — Articulus sequens non habet difficultatem. Praesupponit S. Thomas, tam pro originali peccato quam pro peccatis actualibus hominum, incarnatum esse Deum. Deinde instituendo comparationem inter utrumque peccati genus, docet actuale esse quidem maius intensive, quia est voluntarium voluntate propria illius in quo est peccatum; sed originale esse maius extensive, quia ex capite naturae in omnia eius supposita propagatur, et ideo tollit bonum totius generis humani. Ex quo demum sequitur, stando scilicet formali comparationi eorum quae *per se* utrique peccato conveniunt, principalius venisse Christum propter originale, in quantum bonum gentis est divinius et eminentius quam bonum unius, ut Philosophus dicit.

THESIS IV.

(Art. 5-6).

Conveniens demum fuit ut incarnatio nec statim fieret ab origine mundi, nec etiam differretur in finem saeculorum, sed in medio temporum perficeretur, sicut reipsa effecta est.

Quaestio ista pertinet ad convenientiam incarnationis quoad circumstantiam temporis. Caeterum, quia satis superque intelligitur non debuisse differri redemptoris adventum usque in finem mundi, sufficiet nunc breviter inquirere an saltem decuerit ut retarderetur usque in illam plenitudinem temporis de qua Apostolus, Gal. IV-4. Praecipua enim ratio dubitandi esse posset illa quam olim Augustino obiiciebat quidam Porphyrius: Si propter amorem et salutem hominum Deus homo factus est, cur non antea venit, ne tanta hominum multitudo periret.

Nihilominus dicendum est tempus incarnationis fuisse a divina providentia convenientissime praefinitum. Quod quidem apparet ex tribus: primo ex dignitate Verbi incarnati, secundo ex utilitate hominum quibus incarnationis remedium parabatur, tertio ex decentia ordinis servandi in reductione humani generis e statu peccati ad perfectionem gloriae.

Ex dignitate Verbi incarnati, quia « oportuit adventum

« Dei in terras multa praecedere, quibus homines essent parati « ad eum reverentius suscipiendum » (1). Unde Augustinus dicit: « Per multam seriem temporum et annorum praedicendus fuit; « non enim aliquid parvum venturum fuit: diu fuerat praedi- « candus, semper tenendus; quanto maior iudex veniebat, tanto « praeconum longior series praecedebat » (2). Et re quidem vera, ad maiestatem tanti Redemptoris pertinebat ut in medio annorum innotesceret quasi eminens in summo culmine totius historiae generis humani, dum ad ipsum omnia antecedentia tempora per prophetiam currunt, et ab ipso novus de integro saeculorum nascitur ordo. In cuius figuram, ingrediente Domino sanctam civitatem, « turbae quae praecedebant et quae sequebantur « clamabant dicentes: hosanna filio David, benedictus qui venit « in nomine Domini ». Nam turbae quae praecedebant, significabant generationes praeteritas inde ab origine mundi, quatenus semper in eis fuerunt qui in venturum credentes, decantaverunt illi hosanna et salutem ab ipso consecuti sunt, iuxta fidem defuncti, ut dicit Apostolus, licet non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes. Turbae autem quae sequebantur, significabant generationes futuras ab adventu Christi ad consummationem saeculi, consona Iesum confessionis voce laudantes, iuxta Hieronymum in c. 21 Matth. Conveniens igitur fuit Deum non incarnari statim ab initio, ne tanta Christus gloria careret, quae solius Regis saeculorum propria esse potuit.

Ex utilitate hominum quibus incarnationis remedium parabatur. Nam spirituale remedium tanto maiorem habet efficaciam, quanto magis infirmus agnoscit infirmitatem suam, et pro curatione morbi gratus exsistit; nisi enim superbia retundatur, peccatum non aufertur. Et ideo debuit Deus beneficium incarnationis differre, ut homo convinceretur de ignorantia et in lege indita et in lege scripta, ut sic convictus confugeret ad divinam gratiam, et confugiens curaretur efficaciter. De quo vide Rom. II-III, ubi Apostolus postquam commemorasset nefanda scelera Gen-

(1) S. Thom. l. 4 c. Gent. c. 55.
(2) August. Tract. 31 in Ioan., n. 5.

tium, necnon et Iudaeorum, concludit dicens: « Omnes peccave-
« runt et egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius,
« per redemptionem quae est in Christo Iesu ». Hic tamen ob-
servabis quod cum S. Thomas ait Deum reliquisse prius homi-
nem libertati arbitrii in lege naturali... etc., sensus non est quod
homo relictus sit omnino sine auxilio gratiae; sed quod Deus
permisit plurimos, tam Gentiles, quam Iudaeos, deficere a fide
et spe spiritualis Redemptoris, et non uti gratia quae iam ex
tunc, licet non ita abundanter, offerebatur, ut hoc modo inno-
tesceret quid valeat liberum arbitrium absque medicina redem-
ptionis. Nam aliunde certissimum est, tam in lege naturae quam
in lege scripta, concessum fuisse auxilium gratiae, per quamdam
anticipationem Novi Testamenti. De quo vide S. Thom. 1-2,
Q. 98, a. 2, ad 4um; S. Bonav. in III, D. 25, a. 1, q. 2, ad 5um;
Suarez de legibus, l. 1, c. 8, etc.

Ex decentia ordinis servandi in reductione generis humani
a miseria peccati ad perfectionem gloriae filiorum Dei. Imper-
fectum enim non statim perducitur ad perfectionem actus, sed
gradibus quibusdam, sicut in homine praecedit infantia, succedit
iuventus, adest tandem maturitas. Et ideo oportuit ut in genere
humano reducendo in suum ultimum finem, praecederet primo
status servitutis et infantiae, qui fuit ante incarnationem (1);
deinde succederet status iuventutis qui fuit post incarnationem (2);
donec tandem veniat status perfectae maturitatis, qui erit in ae-
terna gloria (3).

(1) « Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo... Dico autem:
« Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit
« dominus omnium; sed sub tutoribus et actoribus est usque ad prae-
« finitum tempus a patre: ita et nos, cum essemus parvuli, sub ele-
« mentis mundi eramus servientes » Gal. III-24; IV, 1-3.

(2) « At ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo.... Ubi
« venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere,
« factum sub lege..., ut adoptionem filiorum reciperemus... Itaque iam
« non est servus, sed filius; quod si filius, et haeres per Deum ». Gal.
III-25; IV, 4-7.

(3) « Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum
« autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,
« etc. » I Cor. XIII, 9-12.

Ad illud ergo quod obiiciebatur, scilicet non debuisse Christum post tam longam moram venire ne tanta hominum multitudo periret, negandum est suppositum. Suppositum enim est, ideo periisse istam multitudinem quia Christus non statim ab initio venit; quod est apprime falsum, quia nunquam defuit divinus succursus, sed « ipsa exspectatio et fides futuri adventus « erat antiquis in remedium salutare et sustentationem, quousque « veniret ille qui consummaret » (1). Religio quippe christiana coepit ab Adam, statim ac Gen. III promissus est Redemptor; et statim data est hominibus potestas accedendi ad Deum per Christum mediatorem, tametsi alia sint sacramenta quibus nunc mysterium Christi annuntiatur impletum, alia vero fuerint ea quibus in futuro complendum praenuntiabatur. Simili enim modo alii sunt soni verborum quibus exprimitur aliquid futurum esse, alii vero illi quibus exprimitur aliquid iam esse, sicut illa duo quae dixi, *facienda* et *facta,* nec paribus morarum intervallis, nec iisdem nec totidem litteris syllabisve sonuerunt, ut dicit Augustinus l. 19 cont. Faust., c. 16. Non ergo dilatio incarnationis fuit causa perditionis antiquorum. — Urgent tamen dicentes quod *aliquibus saltem patuisset magis* via ad salutem, si Christus ante fuisset incarnatus; afferuntque exemplum de illis Tyriis et Sidonibus de quibus dicit Dominus, Matth. XI, quod olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent si apud eos factae essent virtutes quae factae sunt in Capharnaum. Sed facile respondetur cum Bonaventura l. c., quod Deus bonum commune praeponit bono privato. Et ideo cum ordinis exigentia hoc requireret, ut Deus in medio temporum incarnaretur, usque ad sextam aetatem fuit dilatum; neque propter utilitatem aliquarum personarum existentium in prioribus aetatibus accelerari debuit divinum beneficium. Caeterum potuisset omnino Deus, etiam absque acceleratione incarnationis efficacem poenitentiae gratiam illis hominibus concedere; quare autem de facto eam non concesserit, non est ullatenus a nobis inquirendum, quia hoc esset idem ac quaerere praedestinationis causam quae nulla est nisi voluntas Dei,

(1) S. Bonavent. in III. D. 1, a. 2, q. 4.

ut ex Augustino insinuat S. Thomas in resp. ad 2um. — Denique si quis opponeret quod ipsum bonum commune exigebat incarnationis accelerationem, eo quod Christo statim veniente, plures numero homines salvandi erant quam nunc salvantur: dicendum sane hoc gratis omnino affirmari, imo contrarium potius apparere ex multis rationibus quae in promptu sunt. Nam, ut recte notat Suarez, de Inc. Disp. 6, Sect. 2, si Christus in principio venisset, pauci tunc essent homines qui ab ipso vel discipulis eius instrui potuissent; et cum conditio hominum sit ut non longo tempore in primo fervore perseverent, fidei et caritatis fervor tunc incepisset languescere, quando genus humanum plenius propagatum fuisset, et maior hominum multitudo tanto remedio indiguisset. Accedit quod certitudo humana de miraculis et conversatione Christi in mundo quae inter praecipua ad fidem praeambula profecto recensetur, multum fuisset imminuta si in ipsis mundi primordiis potius quam in pleno lumine historiae facta esset incarnatio. Rursus, defuissent pleraque signa ex quibus nostrae fidei consurgit credibilitas, puta signum maximae mutationis quam Christus adveniens induxit in mundo, praesertim vero divinissimum illud argumentum prophetiae qua *multifariam, multisque modis, olim,* ipse Redemptor praenuntiatus est (1). Unde, nisi Deus alium providentiae ordinem elegisset, quod est extra hypothesim, non essent tam multa et tam mira divinitus disposita quibus nunc homines inducuntur ad fidem. Ex quo demum sequitur, incarnationem non potuisse convenientiori tempore fieri quam quo reipsa facta est, attenta hominum utilitate et auxilii opportunitate. Bene igitur Leo M., Serm. 3 in Nativ. Dom. c. 4: « Cessent itaque illorum querelae, qui impio mur-
« mure divinis dispensationibus obloquentes, de Dominicae na-
« tivitatis tarditate causantur, tamquam praeteritis temporibus
« non sit impensum, quod in ultima mundi aetate sit gestum.

(1) « Quem non moveat ad credendum, tantus ab initio ipse rerum
« gestarum ordo, et ipsa connexio temporum, praeteritis fidem de prae-
« sentibus faciens, priora posterioribus et recentioribus antiqua confir-
« mans? Eligitur unus ex gente chaldaeorum, etc. ». August., epist. 137 ad Volus. n. 15-16.

« Verbi enim incarnatio hoc contulit faciendum, quod factum, et « sacramentum salutis humanae nulla unquam antiquitate ces- « savit. Quod praedicaverunt apostoli, hoc annuntiaverunt pro- « phetae, nec sero est impletum quod semper est creditum. Sa- « pientia vero et benignitas Dei hac salutiferi operis mora ca- « paciores nos suae vocationis effecit, ut quod multis signis, « multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat saecula prae- « nuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum; et « nativitas Salvatoris quae omnia miracula, omnemque humanae « intelligentiae erat excessura mensuram, tanto constantiorem in « nobis gigneret fidem, quanto praedicatio eius et antiquior prae- « cessisset et crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus hu- « manis, nec sera miseratione consuluit, sed a constitutione mundi « unam eamdemque omnibus causam salutis instituit. Gratia enim « Dei qua semper est universitas iustificata sanctorum, aucta est « Christo nascente, non coepta; et hoc magnae pietatis sacra- « mentum quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam « in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint qui illud « credidere promissum, quam qui suscepere donatum ».

Et per hoc patet solutio ad principalem difficultatem, Caetera vero quae habet S. Thomas, expositione non indigent.

SCHOLION.

Sunt et qui convenientiam incarnationis impugnant quoad circumstantiam loci. Quibus incredibile videtur, tale ac tantum opus, quale et quantum fuisset incarnatio, theatrum habere potuisse hunc nostrum orbem qui in comparatione mundialis immensitatis vix arena est exigua. Supponunt siquidem, vitam esse cum profusione sparsam per totum universum; mundos caelestes sicut et terram nostram inhabitari volunt, et quaerunt quid veri dissimilius cogitari queat, quam quod Deus in incarnatione sua ad minimam hanc portiunculam rationalium creaturarum, stirpem scilicet terrigenam descenderit. Sed responsio non ita ardua est, et duplici observatione constabit.

Prima et per se sufficiens observatio est: incarnationem esse

supra omnem exigentiam cuiusvis creaturae, ac per hoc, nequaquam esse consequens, si incarnatio est facta, ergo debuit fieri pro universitate aut maiori parte rationalium creaturarum; Deum esse absolutissimum dominum suarum communicationum, et uni dare quod alii denegat pro sua summa libertate; huius summae libertatis ostensionem natam esse praevalere omni alii rationi convenientiae; denique, non magis debere haerere nos in praesenti, ac si quis quaereret cur *nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit,* aut quare ad genus humanum in peccato exsistens venit Deus incarnatus, qui ad genus humanum in innocentia perseverans, vi saltem praesentis decreti non venisset, etc. In omni ergo hypothesi, argumentum casso vulnere, aerem ferit.

Nunc autem, ut magis magisque obiicienti satisfiat, altera sit observatio circa ipsam suppositionem in medium allatam de habitatione mundorum caelestium, quae ad trutinam frigidae rationis revocata, partim falsissima, partim vero maxime hypothetica seu dubia ostenditur. Dicendum enim in primis est quod innumerabiles illae stellae quas nos in firmamento conspicimus, viventium sedes nequaquam esse possunt. Sunt enim totidem soles in statu igneo, cum quo nullus organismus vivens compossibilis est. Quin imo, nullam earum, etiam post extinctionem suam, idoneam vitae sedem in futurum fieri posse, inde compertum est, quod ratione immensae distantiae qua omnes ab invicem distant, non esset sol sat vicinus qui astro extincto sufficientem impertiret calorem et lucem.

Itaque, si de habitatione mundorum sermo sit, quaestio iam restringitur ad solos planetas qui forte circa stellas istas gyrant sicut nostra terra circa solem. Sed iam considera, quot et quantae conditiones simul unitae requirantur in proposito: conditiones, inquam, astronomicae, mechanicae, geologicae, chimicae. — Quoad conditiones astronomicas, oportebit planetam esse semper in iusta distantia a sole suo, ut semper sit temperies quaedam moderata et constans, media inter nimium frigus et nimium calorem. Quo ex capite excludenda sunt astra omnia, quorum orbita nec circularis est, nec ad circularem accedens, sed prorsus ex-

centrica, cuiusmodi sunt cometae. Oportebit insuper, axem rotationis non esse super planum orbitae, ne scilicet, sicut contingit in planeta *Uranus,* ad statum regionum polarium duo hemispheria successive transeant. — Quoad conditiones mechanicas, requiretur rotatio quae non sit concitata nimis, ne gravitas in aequatore per vim centrifugam superetur. Requiretur quoque massa sufficiens, ne idem contingat ac in tercentis illis minoribus planetis, inter orbitas Martis et Iovis gyrantibus, in quibus lapis manu pueri proiectus fieret ipsius planetae satelles. — Quoad conditiones geologicas, desiderabitur atmosphera quae in luna deest. Desiderabitur et densitas media densitate aquae maior, ne, sicut accidit in *Iove,* crusta careat sufficienti firmitate, aut sicut in *Saturno,* non sit constans et fixa divisio inter aquas et aridam. — Conditiones quoque chimicae multiplices. Et analysis quidem spectralis demonstrat prima corporum elementa esse ubique eadem, sed et ostendit quoque, maxime diversam esse repartitionem eorum in mundis caelestibus, quin possit aliquis definire, utrum necne, exigentiis vitae organicae quae nunc est, apte respondeant.

Quisquis igitur haec et alia plura quae adiici possent, rite perpenderit, videbit famosam positionem de habitatione mundorum coelestium esse revera ex parte falsissimam, et ex parte in mera hypothesi cui nullum suffragatur argumentum, repositam. Et dico nullum argumentum, nam si altius repetens principium, quaereres ad quid tunc immensitas universi, si in illis innumeris mundis silentium esset, et mors, seu melius negatio vitae, non absurde forsitan responderem : Hominis gratia haec omnia fuisse facta, *ut a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter possit Creator horum videri.* Hominis gratia, inquam : at non solum pro tempore praesentis vitae, sed maxime pro statu aeternitatis, post resurrectionem corporum et omnium renovationem, quando iusti in interminatis spatiis *tamquam scintillae in arundineto discurrent,* et locus erit dicto Psalmistae : *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti !*

Nihil itaque modernae etiam scientiae positive repugnans in hypothesi secundum quam terra nostra diceretur verificare

sola multiplices conditiones ad vitam quae nunc est necessarias. Nihil revera absurdi in sententia eorum qui olim asserebant terram centrum universi visibilis: centrum autem dico, non sensu astronomico seu mechanico, (quis enim post Copernicum, Newtonium et alios, id iam somniaret?), sed sensu philosophico, ut quae sola esset viventium sedes, et viventium rationalium.

Et haec quidem ad labefactandam ipsam suppositionem e qua procedebat difficultas, suum procul dubio valorem habent. Quae tamen ad abundantiam iuris, potius quam ad necessitatem causae dicta velim accipias. In omni enim modo satis est responsio primo loco data.

CAPUT SECUNDUM

(QUAEST. II-XV).

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI

Nunc agendum est de ipsa substantia mysterii, id est de unione Verbi cum natura humana. Procedit autem S. Thomas ordine optimo, primum quidem exponendo modum unionis secundum se (**Quaest. 2**); deinde vero, magis specialiter considerando unionis terminos, scilicet personam assumentem (**Quaest. 3**), et naturam assumptam (**Quaest. 4-15**).

QUAEST. II.

DE IPSA UNIONE HYPOSTATICA

Duo sunt errores extremi quibus catholicum dogma de unione hypostatica penitus destruitur. Primus est error eorum qui solvunt Iesum, ut S. Ioannes ait, duas in eo personas vel duo supposita affirmantes. Alter eorum qui confundunt vel componunt naturas, dicentes ex unione Dei et hominis unam tertiam rem resultasse ab utroque componente diversam. Hae sunt haereses fundamentales ad quas aliae fere omnes facili negotio reducuntur. Communis autem fons erroris fuit quia nescierunt distinguere inter naturam et hypostasim. « Hoc demum est quod « haereticis errandi causa est, ait Damascenus de fide orth. l. 3, « c. 3, quod naturam et hypostasim esse idem statuunt ». Et S. Thomas in III, D. 5, q. 1, a. 3: « Ex hoc deceptus fuit (Ne« storius), quia credidit idem esse personam et naturam... et ex « eodem fonte processit error Eutychetis » ([1]). Videtur ergo ne-

([1]) Uterque vult tot esse naturas quot hypostases. Sed rationalista Nestorius assumpsit in doctrina de incarnatione id quod ratio assequitur, id est, dualitatem naturarum, et concludit esse etiam duas hypostases. Eutyches e converso assumpsit id quod est supra rationem, id est unitatem personae, et concludit unam pariter esse naturam.

cessarium ad maiorem doctrinae claritatem, quasdam praemittere notiones circa naturam et hypostasim, caeterasque res ad hanc difficilem materiam pertinentes ([1]). Nunc autem, non eadem apud omnes viget philosophia de natura et persona, et licet catholici doctores quoad generales notiones inter se conveniant, tamen quando devenitur ad metaphysicam conceptuum analysim, incipit apparere sat magna diversitas. Opus igitur erit distincta expositione, et ne ulla suboriatur confusio, primum omnium expo-

([1]) Nec dicas quod notiones istae, utpote philosophicae, non pertinent ad theologiam, aut si in theologia admittuntur, iam accommodatur theologia philosophiae. Hanc calumniam alibi iam confutatam ex aequo aestimabit quisquis rite consideraverit quod dogmata fidei a Deo revelante expressa sunt in idiomate naturalium nostrorum conceptuum. Revelatio siquidem nobis non attulit novas ideas elementares, vel novas species intelligibiles per quas illae acquirerentur ; sed idioma, ut sic dicam, doctrinae revelatae ab eo quod in communi nostro usu est minime dissidet, utpote constans iisdem notionibus quas aliunde a natura comparavimus, quae etiam iuxta communes grammaticae regulas, in subiectum et praedicatum per copulam connexa disponuntur. Ex quo quidem consequens est, revelationem de rebus divinis nobis factam habere modum valde imperfectum, inadaequatum, et infinite elongatum a proprio modo divinorum ut in se sunt : id tamen, sine detrimento veritatis seu conformitatis cum obiecto : nisi forte adeo desipias ut dicas defuisse Deo potestatem exprimendi veritatem mysteriorum suorum in lingua quantumvis inope et deficiente qua nos utimur. Et haec sane certa atque indubitata sunt. Nunc autem, ex hoc ipso quod usus est Deus conceptibus nostris, notionibus nostris, vocabulis nostris, per quae nobis sua mysteria revelaret, consequitur quod quidquid iuvat ad accuratam horummet conceptuum analysim, iuvat quoque ad intelligentiam et expositionem revelatae veritatis : eodem plane modo quo ad intelligentiam et explicationem textus cuiuspiam, iuvat lexicon in quo rationes nominum dilucide, enucleate, et exacte proponuntur. Proinde, si ad philosophiam pertinet classificare, definire, et in prima elementa resolvere communes nostras ac vulgares notiones : proportionaliter se habebit usus eius in theologia, sicut usus lexici in re exegetica. Et sicut exegeta non accommodat expositionem suam lexico, ex hoc quod in lexico quaerit unde sensum sui auctoris magis penetret, aut magis declaret : ita nec accommodamus nos doctrinam sacram ad philosophiam, ex hoc quod philosophia utimur ad exponendum distincte, ordinate, et scientifice dogma revelatum.

nenda erunt principia S. Thomae. Declaranda deinde ea in quibus aliae scholae ab eo dissident. Ultimo indicandae opiniones quae cum immediate et veluti in terminis regulae fidei repugnent, nullo prorsus modo, salva orthodoxia, possunt consistere ([1]).

([1]) Philosophia quidem ancilla theologiae. Interest tamen qua philosophia utaris, sicut etiam quo lexico. Ut aliquo exemplo utar, legis homiliam vel tractatum in quo sermo est de presbyteris et de diaconis, et tu nescis quid sit diaconus. Recurris ergo ad quoddam lexicon in quo invenis : Diaconus, *espèce de prêtre*. Tale lexicon non tibi usui erit ad recte intelligendum tractatum, qua parte de diaconis tractat, et de habitudine eorum ad presbyteros. Simili quoque modo, quaedam philosophiae sunt, quae nulli alii usui esse possunt quam depravando, imo penitus corrumpendo dogmati, nedum conferant ad intelligentiam eius. Quippe : « ex connubio falsae philosophiae cum fide, illorum (moder- « nistarum) systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit ».

At nunc quaeres : Quis ergo mihi bonam et rectam philosophiam demonstrabit ? Respondeo : Bona philosophia in primis ea est, quae nec cum sensu communi pugnat, nec a veritatibus ab Ecclesia in sua doctrina, suis symbolis, suisque definitionibus traditis discordat. Puta : Aliqua philosophia est, quae dicit personalitatem in conscientia esse repositam. Quaero : infans ille unius diei qui nullam conscientiam habet, est persona, vel non est ? Sensus communis dicit quod revera est. Pessima illa philosophia quae contradicit. Item, in Deo una conscientia, quia unus intellectus et unus actus intellectivus. Si personalitas est conscientia, una quoque in Deo personalitas. Revelatio autem et Ecclesia dicunt : non una, sed tres. Pessima iterum philosophia ista. Adhuc, alia in Christo conscientia divina, et alia humana, quia alius et alius intellectus, divinus et humanus. Duae ergo personalitates ? Revelatio et revelationis interpres Ecclesia dicunt : non duae, sed una. Et semper ruimus in peius.

At, inquies, illae etiam philosophiae quae non habentur ut oppositae revelatis dogmatibus, inter se dissident. Respondeo : in quibusdam, *conc.* Simpliciter, *neg.* Exemplum est in ea ipsa quaestione quam nunc aggredimur. Putasne, catholicos doctores simpliciter discordare quoad notionem naturae et personae ? Falsum est, quia concordant omnes in *formali ratione* utriusque. Omnes dicunt, notionem personae esse ontologicam, non psychologicam ; personam esse individuum subsistens in natura intellectuali : naturam esse, quo unumquodque in certa entium specie constituitur, etc. Diversitas incipit tantum, quando ad penitiorem analysim proceditur, et inquiritur quae sint determinata ele-

I.

PRINCIPIA S. THOMAE DE NATURA ET SUPPOSITO.

Tribus punctis expositio ista constat: **Primum** est de natura et de iis quae in rebus creatis naturae adiuncta inveniuntur. **Secundum** de supposito et persona. **Tertium** de discrimine naturam inter et hypostasim.

§ 1.

De natura et iis quae apud nos cum natura componuntur.

Primum omnium sciendum est quod hoc nomen *essentia* impositum est ad significandum id quo unumquodque in certa entium specie constituitur ([1]). Et quia propriam rationem speciei declarat definitio indicans quid sit res, inde est quod nomen essentiae a philosophis in nomen *quidditatis* mutatur. Ad idem etiam significandum impositum est nomen *natura,* ab eo quod est nasci, quia in viventibus essentia est formale principium et formalis terminus naturalis generationis; neque enim quantum ad principia individualia, sed quantum ad solam essentiam speciei generans assimilat sibi genitum, ut constat. Quare idem sonant tria haec nomina, *essentia, quidditas, natura.* Sed essentia (quasi forma et ratio essendi), illud significat per ordinem ad esse; quidditas (quasi id quod respondet quaestioni *quid*), per ordinem ad intentionem quam format intellectus; natura demum

---

menta seu constitutiva, ex quibus in creatis consurgit individuum subsistens. Primo igitur accipias ea in quibus concordia est. Quoad caetera, habebis campum relictum sententiis quae salva fide disputantur: inter quas tu eliges eam quae solide tibi in ratione fundata videbitur, et explicationi dogmatis perquam idonea.

([1]) Hic nota quod Deus nec in specie est, nec in genere. Et tamen consideratur in eo id quod *quoadmmodo* respondet essentiae specificae in aliis, videlicet ipsa absoluta ac pura essendi perfectio quae tribus relativis personis communis est.

(quasi id quod nativitate communicatur), per ordinem ad operationem, quatenus scilicet principium intrinsecum motus generationis viventium extensum est ad significandum intrinsecum principium cuiuscumque actionis in quacumque specie. Denique, etsi nomina praedicta dicantur tam in genere substantiae quam in genere accidentis (nam etiam accidentia suam essentiam et quidditatem habent), tamen per prius attribuuntur substantiae quae est maxime et principaliter ens, et hoc modo sumuntur semper in praesenti.

« Et si quidem, ait S. Thomas, q. 2, a. 2, his quae ad ra-
« tionem speciei pertinent nihil aliud adiunctum inveniri posset,
« nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturae
« quod est individuum subsistens in natura illa, quia unumquodque
« individuum subsistens in natura aliqua esset omnino idem cum
« natura sua ». Nunc autem contingit inveniri in rebus creatis plura quae non pertinent ad rationem speciei seu naturae, scilicet: *primo* principia individualia, *secundo* esse, *tertio* accidentia. Prius ergo per ordinem videndum est qualiter unumquodque praedictorum naturae superaddatur, quia hinc maxime pendet notio suppositi et personae, quae postmodum erit expolienda.

I. — De compositione naturae et principiorum individualium [1].

Modo dictum est naturam secundum se consideratam significari in abstracto, ut quo aliquid formaliter est homo, planta, lapis, atque ita porro. Hinc, ubicumque datur in eadem specie materialis multiplicatio individuorum solo numero differentium, principia individualia sunt praeter rationem naturae, et non includuntur in definitione eius. Oportet ergo considerare ibi quamdam compositionem naturae specificae et principiorum individui, de qua, si ad unionem incarnationis exponendam directe inserviret, multa hic dicenda essent. Nunc autem doctrina de individuatione fere usui non est in proposito nobis mysterio, nisi quod attinet ad varios modos significandi et loquendi. Insuper non re-

[1] Hoc compositum vocatur *res naturae,* quasi una ex rebus quae in aliqua communi natura inveniuntur. Cf. S. Thom. 1, Quaest. 29, a. 2.

fert quam sententiam teneas, si forte circa rem difficilem et subtilem valde, occurrat opinionum diversitas. Ideoque satis erit indicasse potius quam explicasse doctrinam S. Thomae in hac materia, quinque, ut videtur, sequentibus punctis comprehensam.

Primo, nulla sunt in immaterialibus creaturis principia individualia praeter rationem naturae specificae, quia unaquaeque natura incorporea (utpote expers materiae quae est radicale principium divisionis in partes quantitativas), ex ipsa ratione suae speciei individuatur. Quare non habetur ibi gradus individualis ultra gradum specificum, sed unumquodque individuum est ipsa species. In corporalibus vero, sicut rationi genericae adiungitur differentia specifica, ita naturae specificae superadditur id quod ipsam contrahit ad esse individuum. Si enim Socrates per id esset homo per quod est hic homo, quemadmodum non possunt esse plures Socrates, sic etiam non possent esse plures homines. Ergo praeter compositionem generis et differentiae occurrit ibi ulterior compositio naturae speciei et principiorum individualium.

Hinc secundo, compositio ista, non secus ac illa prior generis et differentiae, si formaliter et non tantum fundamentaliter consideretur, nequaquam realis est, quia principia individualia, puta *haec* anima et *hae* carnes et *haec* ossa, a principiis quibus natura individui constituitur non sunt realiter distincta, sed ex eadem omnino realitate Socrates est Socrates et homo et animal et substantia et ens ([1]).

([1]) Nota bene quod apud S. Thomam apprime distinguuntur *principia individualia* et *principium individuationis*. De principio individuationis ubique docet quod est materia quantitate signata. De principiis vero individualibus, 1, q. 29, a. 2, ad 3um dicit: « Anima et caro et os « sunt de ratione hominis, sed haec anima et haec caro et hoc os sunt « de ratione huius hominis, et ideo hypostasis et persona addunt supra « rationem essentiae principia individualia ». Nimirum principia individualia sunt illud quo formaliter natura speciei contrahitur ad gradum individualem, sicut differentia est illud quo formaliter contrahitur genus ad gradum specificum. Et quia nihil esse potest a parte rei quod particulare non sit (universale enim in quantum huiusmodi, tantummodo in intellectu est), constat principia individualia a natura individui realiter non distingui, id est, non distingui in Socrate animam ab hac anima,

Nihilominus tertio, licet praefata compositio sit, sensu indicato, rationis tantum, omnino tamen fundatur in reali compositione materiae et formae, quae sola in causa est cur possibile sit plura individua a parte rei specifice inter se convenire, et solo numero differre ([1]).

carnes ab his carnibus, atque ita porro. — At vero principium individuationis designat illud unde *radicaliter* provenit, quod unum individuum ab aliis eiusdem speciei solo numero distingui possit, seu quod in una specie possint materialiter multiplicari individua. Et hoc principium S. Thomas dicit esse, non naturam ipsam, sed partem potentialem et determinabilem naturae, id est materiam, prout ex ea fluit quantitas, de cuius ratione est ut sit per se divisibilis in partes individuas eiusdem rationis. — Aliter ergo loquendum de principio individuationis et de principiis individualibus. Principium enim individuationis distinguitur a natura individui distinctione reali inadaequata, ut realis pars eius existens; principia vero individualia, sola distinctione rationis cum fundamento in re. Unde per S. Thomam, duplex tantum datur *secundum rem* in rebus corporalibus compositio substantialis, scilicet materiae et formae tamquam principiorum intrinsecorum essentiae, ac deinde ipsius essentiae compositae et esse. Si autem distinctio naturae a rationibus individuantibus esset realis, daretur secundum rem compositio triplex, quod alienum videtur a doctrina Angelici. (Cf. *de Spirit. creatur. a. 1*). Denique animadverte S. Doctorem nusquam dicere rationes individuantes realiter distingui a natura in uno eodemque individuo, sed dicit tantum quod in corporalibus individuum naturae secundum rem differt a natura speciei, hoc est, a natura prout in multis, imo infinitis aliis, potens est existere. Sicut si dicerem speciem humanam realiter distingui a genere animalis, quia species humana includit rationem animalis, et addit aliquid aliud per quod ratio illa contrahitur; quo fit ut genus animalis latius pateat quam species humana in natura rerum. Sed sicut realis distinctio speciei humanae a genere animalis non facit ut in uno eodemque homine animalitas realiter distinguatur a rationalitate, ita realis distinctio inter individuum naturae et naturam speciei non facit ut in uno eodemque individuo principia individualia aliud sint secundum rem a natura individui. Quoties igitur S. Thomas distinguit formas separatas a naturis compositis ex materia et forma, quatenus in istis individuum secundum rem differt a natura, in illis vero minime: differentia assignata consistit in hoc, quod in compositis unum individuum non est ipsa species, in simplicibus e contra, quia in solis simplicibus id quo individuum constituitur nihil continet quod de ratione essentiae non sit.

([1]) S. Thom. de Spirit. creat. a. 8 in corp.

Imo quarto, si fiat comparatio inter rationes individuales et naturam specificam, non quidem prout est in Socrate, sed prout multis aliis est communicabilis, distinctio potest quodam vero sensu dici realis: pro quanto scilicet, natura speciei realiter invenitur in Paulo et Titio, etc., absque determinatione individuali quam in Socrate consequitur. Et simile esset si dicerem speciem humanam realiter distingui a genere animalis, quia natura animalitatis realiter exsistit in plurimis speciebus absque determinatione specifica quam habet in homine.

Hinc quinto, cum determinatio speciei sit a forma, determinatio vero individualis suam habeat radicem in individuationis principio quod est materia, ideo tandem in uno eodemque supposito principia individualia et natura specifica *concipiuntur* per modum *duarum partium,* quarum prima est ut materialis et determinabilis, alia autem ut formalis et perfectiva (1). Solemus enim apprehendere varias naturas tanquam singula individua informantes specifica differentia. Solemus etiam dicere hoc individuum esse talis naturae sive essentiae, non secus ac si essentia esset recepta in eo sicut forma in subiecto; cui modo loquendi se accommodat Apostolus, ubi ait: *Qui cum in forma Dei esset...*, *forman servi accipiens,* id est naturam.

Apparet itaque quo sensu in corporalibus natura secundum se considerata dicatur esse *quasi pars* individui, et significari in abstracto per modum partis; cur etiam non debeat praedicari de individuo, vel significari sicut id quod habet esse, eo quod pars de toto nunquam praedicatur, et quia proprie loquendo, ipsa esse non habet, sed totum habet esse secundum eam (2). Apparet praeterea quod in puris spiritibus eadem ratio non tenet. Quapropter, si in illis quoque natura significetur ut pars, tunc modus significandi non fundatur amplius in modo essendi rei significatae, sed provenit tantum ab intellectu nostro concipiente et nominante ea quae supra se sunt secundum analogiam corporalium, prout recte explicat Caie-

(1) Id. 3ª Part. Quaest. 2, a. 2 in corp.
(2) Id. III, D. 5, q. 1, a. 3, etc.

tanus in cap. 5 de ente et essentia, ubi essentias substantiarum simplicium cum essentiis compositarum inter se invicem confert.

Et hucusque quidem habes unde explicare possis varios loquendi modos spectantes suppositum in sua habitudine ad naturam. Nunc autem, magis ad rem accedendo, veniendum est ad compositionem ex essentia et esse, de qua, quia directe inservit ad theologicam explicationem mysterii incarnationis, accuratior esse debet disputatio.

II. — De compositione essentiae seu naturae individuae cum esse exsistentiae.

Haec compositio omnino realis est, et invenitur in omni creatura [1]. Ad cuius explicationem, fundamenti loco ponendum est quod *esse,* ut docet S. Thomas in I, D. 33, q. 1, ad 1um, tripliciter accipitur: primo pro esse quod est copula propositionis, secundo pro esse quod est essentia, tertio pro esse quod est actus essentiae, scilicet exsistentia. Cum itaque dicimus dari compositionem ex natura individua et esse, *esse* hic manifeste sumitur in tertia acceptione, quae etiam est principalis et maxime propria.

Sed iterum exsistentia, seu esse, non est eiusdem rationis in substantia et accidente. Non enim substantia eodem modo habet esse quo accidens, quia substantia habet esse in seipsa, accidens vero habet esse in alio, scilicet in subiecto iam constituto in primo esse suo, cui illa ipsa accidentis actualitas superadditur. Necesse ergo fuit invenire diversas voces ad significandum id quod pertinet ad esse accidentis, et id quod pertinet ad esse substantiae. Porro tota diversitas est penes ly *inesse* et ly *subsistere,* nam sicut proprium accidentis *esse* est quo accidens alii exsistenti inest seu *inexsistit,* ita proprium esse substantiae est quo substantia existit in se, id est *subsistit.* « Illa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se « exsistunt », ait S. Thomas, in 1a, Quest. 29 a. 2. Et iterum, de

[1] Praecipua loca S. Thomae sunt: l. 2 c. Gent. cap. 52-54 - In Boetium de hebdom. lect. 2 - De ente et essentia, c. 5 - 2 Metaphys. lect. 2, etc., etc.

Pot. Quaest. 9, a. 1: « Subsistere nihil aliud est quam per « se exsistere. Quod ergo exsistit solum in alio, non subsistit ». Et iterum, in I, D. 23, Quaest. 1, a. 1 ad 3um: « Subsistere « dicitur aliquid, in quantum est sub esse suo » (1). Unde inter substantiam et subsistentiam hoc interest, quod *substantiae* nomine significatur id cui naturali aptitudine et exigentia competit esse in se; nomine autem *subsistentiae* id quod re etiam et actu habet esse in se. Hoc tamen dico secundum quod *subsistentia* accipitur ut nomen concretum, iuxta illud S. Thomae, loco supra citato: « Substantia secundum quod per se exsistit, « et non in alio, dicitur subsistentia ». Cui consonum est id quod legitur in Quaest. 9, de Pot. a. 1, et alibi saepe. At vero, ipsummet subsistentiae nomen frequenter etiam sumitur in abstracto, scilicet pro actu essendi quo aliquid subsistit seu exsistit in se. Exemplum habes in tertia parte, Quaest. 6, a. 3, ubi refutans S. Thomas opinionem Origenis dicentis omnes animas a principio fuisse creatas: « Est inconveniens, inquit, si « ponatur quod (anima Christi) fuerit tunc creata, sed non statim « Verbo unita, quia sequeretur quod *anima illa aliquando habuis-* « *set propriam subsistentiam* sine Verbo; et sic, cum fuisset a « Verbo assumpta, vel non esset facta unio secundum subsis- « tentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animae praeexsistens » Quo in loco manifestum est subsistentiam significari ut habitam, adeoque hic sumi, non sensu concreto pro subsistente, sed sensu abstracto pro esse substantiali quo subsistitur (2).

(1) Nota etymon huius nominis *subsistere,* et analogiam cum voce *exsistere*. Nam subsistere est *sistere sub,* sicut exsistere est *sistere ex*. Unde exsistere dicit actualitatem qua sistitur *ex,* id est, extra causas; subsistere vero dicit actualitatem qua sistitur *sub,* id est, sub proprio actu essendi. Et in substantiis quidem, eadem est actualitas qua sistitur *ex* et *sub,* sicut in accidentibus idem est quo sistitur *ex* et *in*.

(2) Hic iam videre est principium dissensus inter theologos quoad scientificam expositionem unionis hypostaticae, quia unio hypostatica et unio secundum subsistentiam convertuntur. Nam, si quaeras a Caietano et Suarezio quid sit subsistentia, respondebunt quod subsistentia est *modus substantialis,* quodammodo claudens et circumscribens naturam singularem, ne possit amplius alteri supposito communicari. Si

Et hactenus quidem, omnia videntur clara, obvia, desumpta ex communi modo concipiendi et loquendi, qui profecto magnum veritatis criterium est. Sane vero, esse proprium substantiae ab omnibus apprehenditur ut sub quo substantia sistit, absolute in seipsa stans extra causas. E contra, tale est esse debitum accidenti, ut accidens non sistat sub illo, quia accidens est alterius, scilicet subiecti, ad quod pertinet non solum esse primum et substantiale, verum etiam omne esse superadditum secundum quamcumque accidentalem determinationem. Ergo rursus, *subsistere* dividitur contra *inesse,* et haec duo in naturali ordine rerum designant specialem exsistentiae modum qui vel substantiae competit vel accidenti.

Verum de esse accidentis in praesenti non est sermo, sed de solo esse substantiae. Huiusmodi autem *esse,* vel est subsistens ipsum, vel certe formale principium subsistendi. Dixi, vel subsistens ipsum, vel principium subsistendi. Nam duobus modis intelligi potest substantiam exsistere in se, sive subsistere: vel quatenus substantia *est* per identitatem sua exsistendi actualitas, vel quatenus proprium essendi actum *habet* in seipsa. Si primum, ipsum *esse* est subsistens, adeoque purum et absolutum ab omni comprincipio realiter distincto in quo recipiatur. Si secundum, *esse* non est subsistens, sed merum principium subsistendi, utpote receptum in essentia tamquam in reali essendi potentia, et non debet dici *id quod est,* sed tantum *id quo aliquid est.* Quaeritur ergo, utrum omnis actus exsistendi sit subsistens, hoc est, irreceptus et per se stans: quod est quaerere an omne *ens quod est* sit per identitatem suum exsistere, adeoque, an commentitia sit, vel certe indemon-

---

idem quaeras a Scoto, dicet quod subsistentia est *totalitas* quae naturae singulari ex hoc solo inest, quod alteri hypostasi actu non unitur. Sed iuxta S. Thomam, subsistentia in abstracto significata, nihil aliud est quam esse exsistentiae quod naturaliter debetur substantiae. Porro, singulis his dicendi modis necessario correspondent totidem sententiae, eaeque diversissimae, circa quidditatem unionis quam fides catholica docet factam esse secundum subsistentiam. Quod vel ab initio, quasi historice annotatum velim.

strata, realis illa compositio quam in creatis adstruimus, ex essentia et esse.

Respondet autem S. Thomas, impossibile esse ut omne ens sit suum *esse,* quia ens cuius essentia est esse, est primo infinitum simpliciter (1); est deinde singulare et prorsus immultiplicabile (2); est praeterea omnino immutabile, et incapax recipiendi quodlibet accidens (3); est etiam formaliter a se, cui repugnat causari ab alio (4); est demum eiusmodi, ut non possit poni sub genere cum aliis (5).

Et re quidem vera, ut solum illud argumentum attingam quod primo loco ex variis locis S. Thomae indicatum est, cuilibet diligenter consideranti apparebit quod ens cuius essentia identica est cum esse, habet necessario in se omnem perfectionis plenitudinem. Etenim, illud quod in linea essendi nullum limitem compatitur, est simpliciter perfectione infinitum. Nam cum esse sit perfectio universalissima, utpote ultima omnium perfectionum actualitas, quidquid est illimitatum secundum ipsam essendi rationem, eo ipso ostenditur infinitum simpliciter, et non solum secundum quid, id est, in aliquo particulari ordine perfectionis. Nunc autem considera quod *esse subsistens,* praecise quia subsistens et solutum ab omni comprincipio in quo sit receptum, non compatitur ullum limitem in ratione essendi; est enim ipsa pura essendi perfectio. Sed ipsa perfectio nunquam compatitur negationem alicuius quod in ambitu suae propriae rationis inveniatur, quia tunc negaret semetipsam, quod impossibile et contradictorium est. Sicut ergo, si daretur albedo subsistens, id est, albedo

(1) S. Thom. 1ª Part. Quaest. 7, a. 1 — L. 1 c. Gent. c. 43 — In. I, D. 43, Quaest. 1, a. 1 — Comp. theol. c. 18 — De Spirit. creatur. a. 1.

(2) Id 1ª Part. Quaest. 11, a. 3 — L. 1 c. Gent. c. 42, et l. 4, c. 48 — In I, D. 2, a. 1; et D. 34, Quaest. 1, a. 1 — De Pot. Quaest. 3, a. 6 — Comp. theol. c. 15.

(3) Id. 1ª Part. Quaest. 3, a. 6 — L. 1 c. Gent. c. 13, 14, 16, 23 — In I, D. 8, Quest. 3, a. 1 et 2 — Comp. theol. cc. 14, 16, 17, 124, 122.

(4) Id. de Pot. Quaest, 5, a. 3.

(5) Id. in II, D. 3. Quaest. 1, a. 1 ad 1um; et a. 5, in corp. — De Pot. Quaest. 7, a. 3, etc.

ipsa, soluta ab omni subiecto, perfectio albedinis in ea non terminaretur, sed haberet quidquid de perfectione albedinis haberi potest; sicut etiam, si daretur sapientia ipsa, iustitia ipsa, misericordia ipsa, atque ita porro, nihil eis deesset quod pertinere possit ad rationem sapientiae, iustitiae, misericordiae, etc.: ita profecto, si datur in natura rerum aliquod ens quod sit subsistens essendi perfectio, impossibile est ut aliquid ei desit de essendi ratione, et per consequens necesse est ut sit simpliciter et in omni perfectione infinitum. Neque enim dici potest, illud ens habiturum causam limitationis ab extrinseco, scilicet a causa efficiente, quia dato etiam quod causari ab alio non sit contra rationem esse subsistentis, adhuc stat quod omnis limitatio ab extrinseco supponit limitabilitatem intrinsecam, sicut possibilitas extrinseca supponit internam rei non repugnantiam. Nihil quippe ab extrinseco limitari potest, nisi secundum suam rationem propriam limitabile sit, quemadmodum nihil potest fieri a causa efficiente, nisi sit ex sua intrinseca conditione factibile. Atqui *esse subsistens,* ut ostensum est, intrinsece repugnat limitationi, quia nullum continet principium formaliter limitans seu coarctans ad aliquem particularem essendi gradum. Superest igitur ut purus ille essendi actus sit absolute et simpliciter illimitatus (1).

Ex hoc autem fundamentali principio statim consequitur quod *esse finitum* nec est, nec esse potest absoluta exsistentiae perfectio, sed oportet ut sit actus alicuius determinatae potentiae essendi, ad cuius capacitatem contrahatur. Quare entia creata realiter componuntur ex essentia et esse, et in tantum dicuntur *subsistere,* in quantum sunt, non quidem *esse* ipsum, sed habentia esse in seipsis. « Manifestum est, ait S. Thomas, de Spirit. creatur. « a. 1, quod primus ens quod Deus est, est actus infinitus, utpote « habens in se totam essendi plenitudinem, non contractam ad « aliquam naturam generis vel speciei. Unde oportet quod ipsum

(1) Cf. S. Thomam, locis supra citatis, praesertim vero, in I, D. 43. Quaest. 1, a. 1 in corp. Caeterum proprius locus huius demonstrationis est in tractatu *de Deo Uno,* Quaest. 7. Unde, quoad ampliorem declarationem et solutionem argumentorum in contrarium, videnda sunt ea quae ibi fuerunt exposita.

« esse eius non sit esse quasi inditum alicui naturae quae non « sit suum esse, quia sic finiretur ad naturam illam. Unde di- « cimus quod Deus est ipsum suum esse. Hoc autem non potest « dici de aliquo alio..... Omne igitur quod est post primum ens, « cum non sit suum esse, habet esse in aliquo receptum, per « quod ipsum esse contrahitur, et sic, in quolibet creato, *aliud* « *est natura rei quae participat esse, et aliud ipsum esse partici-* « *patum* ». Quod tamen ne absurde intelligas, cogita bene transcendendam hic esse imaginationem. Cum enim imaginatio non referat nisi res concretas, ipsa autem principia intrinseca ex quibus illae constituuntur nequeat ullatenus attingere, ideo omnem realitatem apprehendit per modum entis *ut quod,* scilicet ut quod est, et quod exsistit; ac per consequens, non assequitur distinctionem inter essentiam et esse, quae in hac via procedendo, penitus absurda et inconceptibilis est. Sed si praedicta imaginatio esset vera, sequeretur, ut alia multa praetermittam, nullam dari compositionem in rebus, aut certe omnem compositionem esse instar cuiusdam iuxtapositionis ex qua nunquam resultare posset unum per se, sed ad summum, unum per accidens. Oportet igitur corrigere phantasiam, et per rationem concipere quomodo inter nihilum et ens *ut quod,* mediet ens *ut quo,* id est, reale principium subsistentis, cui etsi reale sit, omnino tamen repugnat inveniri saparatum in natura rerum: quandoquidem, ex hoc ipso quod separatum inveniretur in natura rerum, esset ex sese *id quod est* et subsistit, cum tamen ex hypothesi tota eius ratio consistat in essendo *id quo* aliquid subsistit et est.

Dicendum itaque, quod **esse** in creaturis non se habet *ut quod,* sed *ut quo*, quia alias foret purus et subsistens essendi actus, adeoque simpliciter infinitus, ut supra ostensum est. Hinc S. Thomas, in Boet. de hebdom. lect. 2: « Sicut non pos- « sumus dicere quod ipsum currere currat, ita non possumus « dicere quod ipsum esse sit ». Et l. 2 c. Gent. c. 52: « Invenitur « in eis (angelis) aliqua compositio, ex eo quod non est idem « in eis *esse* et *quod est* ». Et rursus, ibid. c. 54: « Ipsum esse est « actus, et *quo est* ». — Simili modo **essentia** sive natura cui esse adiungitur, non est realis *ut quod,* si secundum se seorsum con-

sideretur. Nam si per se seorsum esset id quod est, non deberet ei adiungi esse, sed foret per identitatem suum exsistere, quod iam fuit exclusum. Relinquitur ergo ut sit et ipsa, *quo* aliquod subsistens est, sed non eodem modo ac esse, ad quod comparatur sicut potentia ad suum actum. Ex hoc enim quod *esse creatum* est reale, non ut ipsa per se subsistens exsistentiae perfectio, sed ut actus determinatae capacitatis et formae essendi necesse est ut aliud reale principium ei respondeat, quod sit illa ipsa essendi capacitas et forma secundum quam esse participatur. Et hoc principium (1) vocamus *essentiam*, quae secundum superius praemissa, est id quo unumquodque in proprio gradu et propria specie collocatur. Consequenter vero, est titulus habendi esse, et ratio exigitiva eius, scilicet *id quo aliquid habet esse* (2), vel etiam *forma determinativa ipsius esse* (3); denique, est id in quo esse recipitur, nam *natura est ut potentia respectu ipsius esse, in quantum est susceptiva eius* (4). Et haec quidem de essentia et esse, in quantum sunt principia subsistendi. — Nunc autem, si **ipsum individuum essentiae** consideretur prout unitum proprio suo esse, eidemque subiectum (5), sic tandem habetur id quod est et quod subsistit, quasi habens suum esse in se, et *sub esse sistens*. Unde S. Thomas, in Boet. de hebdom. lect. 2: « Sicut id quod currit significatur sicut subiectum currendi, sic « id ipsum quod est, significatur sicut subiectum essendi. Et ideo, « sicut possumus dicere de eo quod currit, sive de currente, quod « currat, in quantum subiicitur cursui et participat ipsum: sic « possumus dicere quod ens, sive id quod est, sit, in quantum « participat actum essendi. Et hoc est quod dicit (Boetius): ipsum

(1) Nota quod principium generaliter dicitur illud omne a quo aliquid quocumque modo procedit. Dantur autem principia intrinseca et extrinseca. Intrinseca sunt illa, ex quibus tamquam intimis constitutivis seu componentibus internis, exsurgit ens quod est.

(2) S. Th. 3ª Part. Quaest. 17, a. 2.

(3) Id. in Boet. de hebdom. lect. 2.

(4) Id. de Spirit. creatur. a. 1, in corp.

(5) Proprium *esse* dico illud, ad quod substantia aliqua creata transcendentalem ordinem habet, et quod vicissim refertur transcendentaliter ad substantiam illam.

« esse (creatum) nondum est, quia non attribuitur sibi esse sicut « subiecto essendi. Sed id quod est....., suscipiendo ipsum actum « essendi, est atque consistit, id est, in seipso subsistit ». Sed iam notanda occurrunt duo, ad intelligentiam doctrinae de supposito et natura apprime necessaria.

Primum est, quod cum subsistens creatum nihil aliud sit quam substantia habens suum proprium esse in se, ut saepe inculcatum est, duobus modis sumi et significari potest: *realiter* scilicet, et *denominative*. Realiter sumptum, dicit totum compositum ex essentia et esse, quorum utrumque in sui ratione intrinseca claudit. Denominative autem acceptum, dicit tantum substantiam individuam, connotando esse quod ab illa habetur, quandoquidem omne subiectum habens perfectionem a perfectione habita recte denominari potest. Et simile est de albo, quod realiter consideratum dicit compositum ex subiecto et albedine, sed denominative, dicit solum subiectum, connotando albedinem quae illud afficit et in eo recipitur. Et haec est ratio cur S. Thomas aliquando dicit quod *esse* pertinet ad ipsam constitutionem subsistentis (1), aliquando vero excludit *esse* ab eo quod importat in recto ratio suppositi (2). Sed nulla est ibi contradictio, quia ut bene animadvertit Capreolus in III, D. 5, Quaest 3 circa finem: « Album est duplex, denominativum et formale; ita etiam per« sona vel suppositum potest dici dupliciter. Primo modo *deno« minative*, et sic suppositum dicitur illud individuum quod per « se subsistit. Secundo modo *formaliter*, et sic suppositum dicitur « compositum ex tali individuo et ex sua subsistentia per se ».

(1) « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae », inquit Angelicus in tertia Parte, Quaest. 19, a 1 ad 4um. Et iterum, in Quodl. 9. a 3 ad 2um: « *Esse* est in quo fundatur unitas suppositi ».

(2) Puta, quando ait l. 2 c. Gent. c. 54, quod in substantiis intellectualibus « est unica tantum compositio actus et potentiae, quae sci« licet est ex substantia et esse, quae a quibusdam dicitur ex *quod est* et « *esse;* vel ex *quod est* et *quo est*. In substantiis autem compositis ex « materia et forma, est duplex compositio actus et potentiae; prima « quidem, ipsius substantiae quae componitur ex materia et forma; se« cunda vero, ex ipsa substantia iam composita et esse; quae etiam « dici potest ex *quod est* et *quo est* ».

Non mirum igitur videri debet si S. Thomas rem subsistentem modo una, modo altera ratione accipiat, et per consequens sibi semper constare dicendus sit, licet quandoque verba discordare videantur.

Alterum notandum in eo est, quod etsi *essentia individui* et *individuum essentiae* non sint duae realitates extra mentem distinctae, sed una eademque realitas, ut supra ostensum fuit, habent tamen formalitates diversas; quo fit ut non eadem indiscriminatim praedicata suscipiant. Et re quidem vera, in composito subsistente essentia seu natura non solum *recipit* actum essendi, verum etiam *determinat* ipsum, in quantum ad capacitatem essentiae esse contrahitur. Nunc autem, suscipere esse convenit essentiae praecise in quantum singularis est et individuata, quia esse non est nisi singularium. Non ergo essentia seu natura ut sic, sed individuum naturae significari debet ut *quod est,* pro quanto scilicet esse habetur ab individuo secundum quod huiusmodi. At contra, determinatio modi essendi non provenit ex essentia formaliter qua est singularis, quia alias omnia singularia tam accidentis quam substantiae haberent eumdem modum essendi, quod constat esse falsum. Dependet igitur determinatio ista a quidditate essentiae singularis, adeo ut ipsa natura individui, non autem e converso naturae individuum, debeat assignari tamquam id quo modus essendi determinatur: modum autem essendi nunc dico, qui est vel subsistere vel inesse, prout substantiae competit vel accidenti.

Sic igitur ex individuo naturae substantialis et proprio eius esse constituitur subsistens creatum, in quo tria veniunt accurate distinguenda. **Primo,** ipsum subsistens ut quod; **secundo,** id quo subsistit tamquam actu subsistendi; **tertio**, id quo subsistit tam quam ratione exigitiva subsistentiae. — Ipsum subsistens est *individuum naturae substantialis habens suum proprium esse in se.* Id quo subsistit tamquam actu subsistendi, est *esse substantiale debitum huic individuo.* Id demum quo subsistit tamquam ratione subsistendi, est *natura huius individui, quae in ordine essentiae, non accidentalis, sed substantialis, invenitur.*

Haec itaque diligenter commenda memoriae, quia in materia

de incarnatione valde necessaria, et fere continui usus erunt. Dico autem continui usus, non per modum fundamenti super quo theologica explicatio ipsius mysterii innitatur, sed tamen instar normae quae iuvet intellectum in efformandis et ordinandis conceptibus suis. Equidem realis distinctio inter essentiam et esse in creatis tantae est necessitatis, ut sine illa, unio duarum naturarum in uno eodemque divino supposito videatur undequaque inintelligibilis. Verum, doctrina de unitate actus essendi in Christo minime fundatur supra doctrinam *philosophicam* hactenus declaratam. Quin imo, quod apud nos esse exsistentiae non sit re idem cum natura, directe eruitur et solide deducitur vel ex sola veritate revelata unionis naturae creatae ad Deum secundum subsistentiam. Et ideo, etiamsi praefata distinctio non probaretur efficaciter ex argumentis pure rationalibus mox indicatis, adhuc maneret theologice demonstrata, ut suo loco videbimus, et firma semper consisteret theologia de Verbo incarnato. Igitur, ad abundantiam iuris praemissa sunt argumenta pure metaphysica, ut scilicet mens connaturalius praeparetur ad inveniendam fidei intelligentiam, et perfecta concordia rationis cum revelatione facilius ei appareat. Caeterum, quia conclusiones nostrae de unione hypostatica nequaquam innitentur demonstrationibus philosophicis quas plerique adversariorum pro inani systemate habere volunt, non est cur in iis firmandis ampliorem nunc operam collocemus; sed satis est, absolute loquendo, si a conclusione *theologica* de reali distinctione essentiae et esse postmodum demonstranda, removeatur *saltem* evidens contradictio.

Sunt autem qui existimant, repugnare in ipso conceptu praedictam distinctionem *realis essentiae* a *reali esse* exsistentiae. Quod ideo est, ut iam ab initio fuit insinuatum, quia non satis assequuntur conceptum *principii quo:* cuius scilicet tota realitas, necnon et intelligibilitas, consistit in essendo constitutivum elementum eius *quod* subsistit et est ([1]). Qua in re aliqualiter iuvari po

([1]) « Omnis difficultas quae fit contra distinctionem exsistentiae « ab essentia, oritur ex eo quod homines assueti per sensus tractare, « et numerare tantum individua subsistentia, aegre concipiunt aliquid ita « esse *ut quo*, quin simul sit *ut quod*. Propter quam ipsam rationem

teris sequenti similitudine, Duobus namque modis contingit aliquam molem ad sensum stare, seu erectam consistere. Uno modo, quatenus id quo stat nihil aliud est praeter ipsam, sicut videre est in obelisco apud S. Petrum. Alio modo, quatenus id quo erecta consurgit est aliquid ab ea realiter distinctum, sicut videre est in mole corporis humani, cui ad consistendum vitali vi opus est. In hoc autem casu, quid est, quaeso, quod consistit? Non virtus vitalis, quae solum est quo consistitur; non moles corporea seorsum considerata, quia ipsa statim concideret si sufficiens energia deesset; ergo id quod consistit, est corporis moles in quantum habet energiam in se receptam, sibique unitam ut principium consistentiae. Nunc ergo id quod dictum est in ordine consistentiae sensibilis, transfer in ipso ordine exsistendi seu subsistendi, et cum proportione ratiocinare. Exsistere enim nihil aliud est quam consistere extra causas in natura rerum; et iam quaeris an consistat extra causas essentia sive natura realis. Dico autem: Si realis est, profecto consistit, sed consistit materialiter, ut habens quo consistat, seu ut unita actui quo formaliter in exercitio suae realitatis sustentatur. Undé si auferretur quo consistit, simul cum materiali consistentia essentiae auferretur et realitas, quia exercitium realitatis essentiae et materialis eius consistentia profecto non distinguuntur. Itaque, si per exsistentiam intelligeremus hanc ipsam materialem consistentiam extra causas, sic profecto dicendum esset, essentiae realitatem et exsistentiam coincidere. Sed si per actum exsistentiae intelligimus principium quod communicatione sui consistentiam facit, sic exsistentia aliud principium est secundum rem ab essentia. «

Rursus si dicas: *Individuum realis naturae seipso formaliter reale est; ergo non est reale per distinctum actum exsistentiae; ergo seipso formaliter est exsistens,* respondeo: **Ad 1um** *dist.* Seipso formaliter reale est, ut quod per se seorsum est, *neg.* Ut quod in realitate consistit ratione unionis cum suo actu exsistentiae,

« veteres philosophi ante Aristotelem, et multi ex recentioribus negant « distinctionem accidentium in eodem supposito, et cuncta componunt « ex atomis incompositis ». Card. Pallavicini, de Deo l. 8, c. 3.

conc. **Ad 2um**: Non est reale per distinctum actum exsistentiae, quasi habens ab actu distincto intrinsecam constitutionem sui in propria sibi quidditate, *conc.* Quasi potens perstare in ordine realitatum absque unito sibi actu, a quo distinguitur *neg.* **Ad 3um** denique: Ergo eo ipso est exsistens, ut in unione cum suo actu materialiter consistens in natura rerum, *conc.* Ut absolutum a distincto comprincipio quo habet consistere, *neg.* — Ne ergo somnies terminos unibiles in priori naturae ab invicem seiunctos, et iam exercitio exsistentiae donatos. Sic enim iterum confunderes omne principium entis cum ipso ente per se subsistente, et sine ullo fundamento negares a priori intelligibilitatem entis contingentis, cui repugnat ut extra unionem cum suo essendi actu consistat in ordine exsistentium.

Ultimo tandem animadvertes, (quod ad doctrinam de Verbo incarnato plurimum confert), talem esse unionem essentiae cum esse existentiae, ut ex ea non resultet tertia res quae sit alterius naturae ab utroque componente. Etenim *esse* minime diversificat distinctivam essentiae rationem, sed pure et simpliciter tribuit ei consistentiam et sustentationem in proprio suo ordine et gradu. Sed quia de his opportunior disserendi locus dabitur infra, superest nunc ut de accidentibus quae enti post primum esse superveniunt, aliquid dicamus. Ibi enim est ultima ex tribus compositionibus quae initio capituli fuerunt commemoratae.

III. — **De compositione naturae substantialis cum accidentibus.**

Tria tantum animadversione digna hic occurrunt. Primum est quod accidens dupliciter dicitur, *logice* nimirum, et *physice*. Accidens logicum est quidquid quocumque modo praeter essentiam speciei est. Et in hoc sensu S. Thomas saepe commemorat principia individualia, imo ipsum *esse*, inter accidentia. Sed accidens physicum *de quo solo hic agitur*, non est nisi forma quae nata est advenire subiecto in suo primo esse iam praeconstituto [1]. Alterum est quod accidens non constituit subsistens, sed

[1] Sensu logico accidens sumit Damascenus, Dialect. c. 30, cum ait: « Hypostasis essentiam cum accidentibus, et ut per se subsistat

praesupponit ipsum, uti ex ipsa definitione constat. Tertium denique est, quod nihilominus pertinet ad subsistens ut aliquid eius. Quidquid enim invenitur in natura rerum, si non est subsistens, est certe subsistentis.

Nota. — In Deo non datur ulla ex tribus supradictis compositionibus: nec subiecti et accidentis, quia in Deo nullum est accidens; nec essentiae et esse, quia essentia Dei est ipsum suum esse; nec tandem illa mere logica quae primo loco recensita est, naturae scilicet et principiorum individualium. Ratio est quia compositio huiusmodi haberi nequit, nisi ubi principia individualia ponunt realitatem per quam natura contrahitur. At vero in Deo, ea quae *quodammodo* respondent principiis individualibus in corporeis, (relationes dico distinguentes personas), non afferunt realitatem condistinctam a realitate essentiae, sed ipsa realitate naturae absolutae reales sunt, ut in tractatu de Trinitate late explicatur. Cum ergo in materialibus natura sit per se indifferens ad plura vel pauciora individua, ad hanc individuationem aut ad illam, (tum quia ibi omnes individuationes radicaliter proveniunt ex divisione materiali, tum quia natura ipsa secundum illas numerice multiplicatur, et per consequens potest esse in qualibet designata quin sit in aliis): divinitas numero una et penitus immultiplicabilis exsistens, est per summam identitatem realem Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Quapropter ratio essentiae divinae et ratio relationis personalis non sunt rationes separabiles sicut ratio humanitatis et ratio Socrateitatis, nec se habent ullatenus per modum partium. Eodem igitur pacto quo removetur a Deo logica compositio generis et differentiae, removeri etiam debet compositio naturae et principii individualis, quae etsi rationis sit, suum tamen fundamentum habet in quadam compositione reali, ut supra sub num. 1 explicatum est. Hoc tamen non obstante, modus intelligendi personam divinam conformis est modo quo intelligimus individua

« exigit... Nec vero fieri potest ut duae hypostases inter se non dif-
« ferant ratione accidentium, numeroque inter se distinguantur ». Accidentium enim nomine principia individualia hic designari constat.

naturae corporalis, quia Deum nonnisi ex sensibilibus cognoscimus, et ideo per quamdam analogiam ad compositionem naturae cum principiis individualibus primo loco recensitam, distinguimus in eminentia divini suppositi essentiam communem et relationem personalem quae est quasi ratio individuans.

Sed ex his quae dicta sunt, facilis est transitus ad *suppositum*, de quo sit paragraphus sequens.

§ 2.

De supposito et persona.

I. — De notione suppositi et personae.

Oportet ordiri a definitione, et melioris intelligentiae gratia, methodo divisiva, per successivas eliminationes, cui competat suppositi et personae ratio investigandum est.

Primo igitur ens dividitur in *substantiam* et *accidens*, sumendo nunc substantiam, non prout est aliquid univocum constituens speciale praedicamentum, sed prout analogatur ad omnia quae non sunt nata inhaerere subiecto, et sub hac notione negativa, ad ipsum ens divinum seu increatum extenditur ([1]). Porro a ratione suppositi et personae excludi accidens, evidentius est quam ut probatione indigeat. Ergo suppositum est substantia.

Secundo, substantia dividitur in *primam* et *secundam*. « Philosophus ponit substantiam dici dupliciter. Dicitur enim uno « modo substantia ipsum subiectum ultimum quod non praedi- « catur de alio, et hoc est particulare in genere substantiae; « alio modo dicitur substantia forma vel natura subiecti. Huius « autem distinctionis ratio est quia inveniuntur plura subiecta « in una natura convenire, sicut plures homines in una natura

([1]) Substantia sensu praedicamentali est id cui competit habere esse in se; substantia vero prout dicitur de Deo, est ipsum esse subsistens. Ut igitur notio personae quam tradere intendimus conveniat etiam Deo, necesse est accipere substantiam quadammodo transcendentaliter, secundum quod analogice dicitur de eo omni cui non competit subiecto inhaerere.

« hominis » [1]. Itaque substantia *secunda* est natura speciei, seu natura communis, praecisis principiis individualibus. Substantia vero *prima* est singulare substantiae, cui per prius substantiae nomen competit et ratio, quandoquidem natura speciei nonnisi in singularibus est. Atqui iterum manifestum est, notionem suppositi et personae nequaquam substantiis secundis convenire, quia « nunquam in universalibus persona dici poterit, sed in « singularibus tantum atque individuis; generalis enim hominis « nulla persona est, sed vel Ciceronis, vel Platonis, vel singu- « lorum individuorum personae singulae nuncupantur ». Suppositum igitur est substantia prima.

Tertio, substantia prima seu individua, alia est *individua secundum quid*, alia vero *individua simpliciter*. Individuam secundum quid dico illam quae minime universalis est ut genus vel species; quin imo est prorsus determinata in ordine singularium, sed non habet incommunicabilitatem requisitam ut omnino distincte subsistat, sitque ultimum quoddam subiectum attributionis. Cum enim individuum dicatur quasi indivisum in se et divisum a quolibet alio, illud tantum simpliciter individuum agnoscitur, quod de nullo alio praedicatur et a nullo habetur vel haberi potest. Porro triplex est communitas repugnans huic perfectae rationi individui. **Prima**, *quae aliquam habet analogiam cum communitate universalis*, consideratur in natura divina praecisive sumpta sub formalitate absoluti. Divina enim essentia, etsi maxime singularis et ab omni indeterminatione elongata, adhuc tamen realiter identica est pluribus relativis inter se oppositis de quibus praedicatur. Dicimus namque Patrem esse Deum, et Filium Deum, et Spiritum Sanctum Deum, sicut dicimus Socratem esse hominem, et similiter Caium, Titium, atque ita porro. Unde, cum divinitas pluribus communis exsistat, quamvis longe alio modo ac humanitas, non est sub omni respectu individuum quid. **Secunda** est *communitas partis*. Haec consideratur potissimum in anima humana, quae etiam separata retinet ordinem transcendentalem ad corpus, et semper attribui potest perfecto

[1] S. Th. de Pot. Quaest. 9, a. 1.

composito, cuius est de sui ratione intrinseca partiale constitutivum. **Tertia** demum est *communitas assumptibilis,* si forte aliqua substantia integra assumeretur a praeexsistente supposito, et pro tanto non sisteret in seipsa, sed deberet attribui assumenti ut aliquid eius, prout de facto contingit in humanitate Christi.

Sola igitur substantia singularis, cui nulla ex praedictis communicabilitas manet (1), rationem habet *substantiae simpliciter individuae,* et ipsa etiam sola est, quae a S. Thoma ut talis agnoscitur. Ait enim in Quaest. 29 primae partis, substantiam individuam idem esse ac distinctam atque incommunicabilem (2), Et iterum, animam humanam, etiam separatam, non posse dici substantiam individuam quae est hypostasis vel substantia prima, quia retinet naturam unibilitatis, quasi pars cuiusdam totius (3). Et similia habet in aliis locis frequenter. Quibus praemissis, statim apparet rationem suppositi, vel personae minime convenire substantiae quae omni ex parte individua non est, quia huiusmodi substantia adhuc est alicuius, et praedicari potest de aliquo, adeoque nondum constituit ultimum attributionis subiectum quod per ipsum suppositi nomen importatur. Recte igitur suppositum dicitur *substantia individua,* quatenus ly *individua* in plena et adaequata huius nominis acceptione sumitur.

Tandem, inter substantias simpliciter individuas, aliae sunt in genere intellectualium, aliae vero in genere irrationalium. Et quia in iis quae sunt naturae intellectualis, excellentiori modo verificatur propria perfectio suppositi, nempe esse sui ipsius,

(1) Nota quod praeter tres assignatos communicabilitatis modos, habetur etiam communicabilitas quae dicitur *assumentis.* Sed ista non est contra perfectam rationem individui, neque ex consequenti contra rationem suppositi et personae, quia si aliquis praeexistens ad suam personalitatem trahit naturam extraneam, non ideo desinit esse sui ipsius, et distincte in seipso subsistere, sed solum incipit subsistere secundum plura. Unde S. Thomas, in III, D. 5, Quaest. 2, a. 1 ad 2um: « Tri« plex incommunicabilitas est de ratione personae... Non est autem « contra rationem personae communicabilitas *assumentis* ».

(2) S. Thom. in prima parte, Quaest. 29, a. 1 ad 3um. Et de Pot. Q. 9, a. 2 ad 12um.

(3) S. Th. 1^{a} Part. Quaest. 29, a. 1 ad 5um.

seu in se et per se, (ipsa enim habent dominium sui actus, et non ordinantur principaliter in aliorum utilitatem, sicut irrationalia), ideo speciale nomen ad dignitatem pertinens eisdem inditum fuit, quod est personae nomen ([1]). Concludendum itaque, legitimam esse notionem personae a Boetio assignatam: **Rationalis naturae individua substantia**. In qua quidem definitione vox *substantia* accipitur communiter, prout abstrahit a prima vel secunda. Vox *individua* determinat substantiam ad standum pro substantia prima, et quidem sensu strictissimo, prout excludit omnem communicabilitatem repugnantem ultimo attributionis subiecto. Denique vox *rationalis* accipitur generatim pro intellectivo, eo scilicet modo quo ipsi angeli a Patribus nonnunquam rationales appellantur.

Ad hanc autem definitionem omnino reducitur illa alia quam saepe tradit Angelicus: **Distinctum subsistens in aliqua natura**, (utique intellectuali, si de supposito quod est persona, sermo sit). Et sane, in hoc quod dicitur *subsistens*, significatur substantia individua prout excludit communitatem assumptibilis, quia illud quod in se subsistit, quamdiu in se subsistit, ab alio praeexsistente supposito nequaquam assumi potest. Praeterea, cum additur *subsistens in aliqua natura*, signatur substantia individua prout excludit communitatem partis, quia subsistens in natura possidet totam naturam, et non est solum aliqua naturae pars quae toti attribuitur. Denique per appositum *distinctum*,

([1]) Persona et suppositum in intellectualibus quoad rem significatam omnino convertuntur, quia persona non addit nisi determinationem naturae rationalis. Differunt tamen quoad significationis modum, quia suppositum est nomen *intentionis*, persona vero est nomen *rei*. Suppositum, inquam, est nomen intentionis, quatenus rem significat a conditione quam habet in intellectu. Non enim dicitur *suppositum* quasi realiter *positum sub* omnibus quae hypostasi insunt, sed quasi subiectum cui in propositionibus quas format intellectus attribuuntur et natura, et subsistentia, et principia individualia, et esse, et accidentia, etc. E contra, persona est nomen rei, quatenus hypostasim rationalis naturae significat ab eo quod competit ei in seipsa, hoc est, a dignitate ei propria, ut bene explicat S. Thomas in prima parte, Quaest. 29, a. 3 ad 2um.

designatur substantia individua prout excludit omnem aliam communitatem quae esset contra rationem suppositi, (puta communitatem quae invenitur in natura divina), quia id quod distincte subsistit in aliqua natura, nullo modo communicabile est pluribus huius naturae suppositis, ut ex terminis evidens est. Igitur definitio ista cum illa Boetii est omnino idem.

Hactenus de notione suppositi et personae in communi. Sequitur nunc quaestio de eo in quo haec notio salvatur.

II. — **De eo quod verificat rationem personae, sive in divinis, sive in creatis.**

Sciendum in primis est, « quod aliquid significat dupliciter: « uno modo formaliter, et alio modo materialiter. Formaliter « quidem significatur per nomen, id ad quod significandum nomen « est principaliter impositum, quod est *ratio nominis*, sicut hoc « nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima « rationali. Materialiter vero significatur per nomen, *illud in quo* « *talis ratio salvatur,* sicut hoc nomen homo significat aliquid « habens cor et cerebrum, et huiusmodi partes sine quibus non « potest esse corpus animatum anima rationali. Secundum hoc « ergo dicendum est quod hoc nomen *persona* communiter sumpta « nihil aliud significat quam substantiam individuam rationalis « naturae. Et quia sub substantia individua rationalis naturae « continetur substantia individua, id est incommunicabilis, tam « Dei, quam hominis, quam etiam angeli, oportet quod persona « divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut « persona humana significat subsistens distinctum in natura hu- « mana, et haec est formalis significatio tam personae divinae, « quam personae humanae » (1). Sed formalis significatio non determinat quid sit illud in quo secundum varias naturas ratio subsistentis distincti salvatur; et ideo superest inquirendum de materiali significato personae, in Deo primum, deinde in creaturis.

Et primo quidem quoad personam divinam, observandum est quod essentia seu natura Dei est formaliter ipsum esse subsistens; est insuper ex necessitate quidditatis suae prorsus

(1) S. Thom. de Pot. Quaest. 9, a. 4.

singularis, immultiplicabilis, divisa atque distincta ab omni supposito quod in numerica eius unitate non sit. Quapropter si esset incommunicabilis pluribus, etiam ad intra, verificaret ex sese rationem substantiae undequaque individuae, et ex consequenti personam constitueret eo modo quo Iudaei in Deo personam intelligunt. Ast non ita est, ut ex fide Trinitatis edocemur. Et ideo ratio subsistentis distincti in natura divina non salvatur nisi in eo quod est *subsistens* propter realem identitatem cum essentia, et aliunde, id est, ex propria sua ratione, potest esse distinguens ac *distinctum* in divinis. In divinis autem non potest esse distinctio secundum rem absolutam, sed solum secundum relationes, ut in materia de Trinitate fuse ostenditur. Superest ergo ut persona in Deo dicat relationem prout est re idem cum essentia seu subsistentia divina (1). Unde S. Thomas ubi supra: « Persona divina formali significatione significat distinctum sub« sistens in natura divina, et quia hoc non potest esse nisi re« latio vel relativum, ideo materiali significatione significat re« lationem vel relativum ». Et si quidem relatio significetur nomine concreto per modum rei subsistentis, tunc ponitur in recto in notione divinae personae, quae est *relativus*, puta Pater vel Filius, *in natura divina subsistens.* Sin autem nomine abstracto et per modum formae, tunc ponitur oblique in significatione divinae personae, quae nihil aliud est quam *subsistens in natura divina, relatione distinctum*, puta paternitate, filiatione, processione. Sed amplior horum declaratio pertinet ad proprium tractatum de Deo trino in personis. Interim vero unum hoc specialiter investigandum restat, videlicet quid sit in divinis personalitas abstracte significata, puta esse personale Verbi de quo in sequentibus mentio saepius habebitur. Nec difficilis sane resolutio est, quia si persona divina est *subsistens relatione distinctum*, ergo personalitas nihil aliud importat praeter *subsistentiam distincto modo habitam per relationem personalem,* adeoque

(1) In his semper supponitur quod relatio divina non est de formali subsistentia, sed identice tantum. De quo vide Tractatum de Deo Trino, praesertim in epilogo, § 2.

esse personale Verbi bene assignatur cum dicitur: subsistentia divina prout distincto atque incommunicabili modo per relationem filiationis habita a Verbo [1]. Et de supposito quidem divino, hactenus.

Nunc autem si ad principia constitutiva suppositi creati, puta humanae personae, animum convertas, facile intelliges duo requiri et sufficere ut verificetur ratio distincti subsistentis in natura: primo quidem individuum naturae, sive naturam completam prout ad gradum individualem contractam per individualia principia: tum secundo esse proprium huius individui, quod scilicet in eo sit receptum ut proprius actus in propria potentia. Ex primo enim horum habetur *distinctum in natura*, quia differentia individualis, puta socrateitas, facit distinctum in specie seu natura humana. Ex altero autem habetur *subsistens*, quia ut supra praemisimus, subsistens in creatis nihil est aliud quam substantia habens suum proprium esse in se. Quodcumque horum tollas, perit ratio suppositi; ubicumque haec duo coniuncta inveniuntur, constituitur suppositum, et in intellectualibus, persona. Hoc certe sensu dixit auctor de totius logicae Aristotelis summa Tract. 2, cap. 2, inter opuscula S. Thomae: « In creaturis, esse « essentiae et esse actualis exsistentiae differunt realiter ut duae « diversae res... Unde in quacumque substantia creata est com « positio esse et essentiae, quae non est compositio materiae et « formae sed est *compositio duorum principiorum suppositi*, quo« rum essentia est potentia, et esse est actus. Unde *esse* respectu

[1] Est et alia ratio significandi personalitatem divinam, quae tamen a priori non differt quoad rem significatam, sed quoad logicam compositionem terminorum tantum, dum scilicet enuntiatur in recto quod prius ponebatur in obliquo, et vice versa. Porro si persona divina consideretur formaliter et reduplicative secundum quod est *distincta in communi natura*, et facit numerum in divinis, tunc personalitas explicari debet ponendo in recto id quod est distinctionis principium, utputa si dicas quod personalitas divina est distinctus modus relativus subsistendi. Si autem consideretur reduplicative ut est *subsistens*, quo modo consideratur semper in materia de incarnatione quae est unio naturae creatae ad divinam personam secundum subsistentiam, tunc in recto poni debet subsistentia ipsa, ut supra in textu.

« essentiae dicitur accidens (logicum), quia est extra essentiam « rei, et dicitur substantia (reductive) quia est in genere substan- « tiae sicut principium suppositi ». Cui doctrinae conforme est, quod ipse S. Thomas dicit in tertia parte, Quaest, 19, a 1 ad 4um : « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ». Et in Quodl. 9, a 4um: « *Esse* est id in quo fundatur unitas suppositi; « unde esse multiplex praeiudicat unitati essendi ». Certum igitur est, non solum ex principiis, sed etiam ex diserta et explicita S. Thomae doctrina, quod *esse* est principium suppositi constitutivum. Certum etiam est apud ipsum, quod naturae individuae non habenti *suum esse* in se, nec suppositi nomen competit, nec ratio. Quo posito, iam non videtur tanti momenti controversia inter quosdam exsistens, an *esse* includatur intrinsece in significatione personae, an tantum de connotato. Caeterum, utrumque dicendum est conformiter ad doctrinam Angelici, prout suppositum vel denominative vel formaliter accipitur, iuxta superius praemissa cum de subsistentia ageretur.

Verumtamen, etiam atque etiam considerandum est quod *esse* non recte diceretur principium suppositi, si sumeretur pro exsistentia sine addito. Nam in intellectu exsistentiae praecisive qua talis, nihil revera est quod ad propriam personalitatis rationem pertineat, et ideo, qui inde fundamentum accipiunt adversarii, nimis facilem sibi victoriam adsciscunt, imputantes nobis quod nostrum non est. Itaque, illud *esse* de quo nunc loquimur, non fest quodcumque esse, sed *esse proprium* huius vel illius numero substantiae : ad quod scilicet ipsamet transcendentaliter reertur ut potentia ad suum actum, et quo babet exsistere, non quavis ratione, sed determinate *in se*. Sicut igitur subsistentia addit supra exsistentiam in communi determinationem modi ex sistendi, ita etiam *esse* quod dicitur principium suppositi non tam late patet quam actus essendi generaliter acceptus, quia non est nisi *esse* quod ad unamquamque substantiam comparatur *ut suum*, adeoque praestat *existere per se*, id est, subsistere. Porro, etsi nuda exsistentiae notio non inveniatur in notis quae supposito et personae propriae sunt, at certe *exsistentiam in se* sive subsistentiam primo et principaliter in iis includi, nemo est qui infi-

ciabitur. Unde Damascenus, Dialect. c. 43: « Sciendum, inquit, « sanctos patres, hypostasim et individuum et personam pro eo- « dem usurpasse: nempe pro eo *quod per se atque in propria « subsistentia constat et subsistit*, numeroque differt, ac certum ali- « quem significat, ut Petrum, Paulum, aliquem equum, etc. ».

Recte ergo assignata fuerunt principia suppositi apud nos. Sed quia in supposito non solum illa sunt per quae constituitur, verum etiam alia quae post primum esse superveniunt, ideo:

III. — **De iis quae praeter constitutiva supposito insunt.**

Omnia fere sequuntur ex dictis. Etenim accidens nullo modo est principium suppositi constitutivum, nec principium distinctionis, nec principium subsistentiae eius. Si ergo accidentia sunt suppositi, fatendum sane est multa inesse supposito praeter principia quibus constituitur. Atqui revera accidentia omnia ad suppositum pertinent, quia eius est esse secundum quid, cuius est esse simpliciter. Et facile confirmatur, nam *suppositi* nomen eatenus fuit impositum rei incommunicabiliter subsistenti, quatenus supponitur omnibus quae in se sunt, eorum praedicationem recipiendo (1). Hinc S. Thomas, in III, D. 5, Quaest. 1, a 3: « Est ergo ratio personae, quod sit subsistens distinctum, « *Et omnia comprehendens quae in re sunt* ». Non tamen omnia titulo aequali, sed quaedam ut constitutiva, quaedam vero ut superaddita. Unde in tertia parte, Quaest 10, a 2, idem S. Doctor dicit: « Est considerandum quod si est aliqua forma vel natura « quae non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis « illud esse non dicitur esse illius personae simpliciter, sed se- « cundum quid, sicut esse album est esse Socratis, non in « quantum est Socrates, sed in quantum est albus. Et huiusmodi « esse nihil prohibet multiplicari in una hypostasi vel persona... « Sed illud esse quod pertinet ad ipsam hypostasim vel perso- « nam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona « multiplicari, quia impossibile est quod unius rei non sit unum « esse ». Quotiescumque igitur suppositum menti obversatur, non solum considerare oportet quid de eo debeat praedicari, verum etiam qua ratione et quo titulo praedicetur attendendum est.

(1) S. Thom., in tertia parte, Quaest. 2, 3.

Sed iam pronum est assignare discrimen inter naturam et hypostasim; cuius discriminis neglectus fuit haereticis occasio errandi in mysterio incarnationis, ut ab initio praemonuimus. Hinc:

§ 3.

De discrimine naturam inter et personam.

Discrimen illud considerari potest, vel quoad rem, vel quoad modum significandi.

Quoad rem, natura et suppositum in Deo minime differunt, ut constat. Sed in creaturis quibuslibet distinguuntur distinctione reali inadaequata, quatenus suppositum dicit naturam individuam in quacumque specie, et addit aliquid aliud, scilicet esse proprium huiusmet individui ut constitutivum, et accidentia ut integrantia. « In solo Deo non invenitur aliquod accidens (sive logicum, sive physicum), praeter eius essentiam, quia suum esse « est sua essentia, ut dictum est, et ideo in Deo est omnino idem « suppositum et natura. In angelo autem, (ac per consequens in « qualibet creatura), non est omnino idem, quia aliquid accidit ei « praeter id quod est de ratione suae speciei, quia et ipsum *esse* « angeli est praeter eius essentiam seu naturam, et alia quae« dam ei accidunt quae omnino pertinent ad suppositum, non au« tem ad naturam » ([1]).

Nunc autem, **quoad modum significandi**, necesse est ut tam in creatis quam in divinis natura a supposito differat, quidquid aliunde sit an in Deo una tantum persona absoluta, vel plures

([1]) S. Thom. Quodl. 2, a. 4. — Et nota bene quod ubicumque ait S. Thomas quod in angelo suppositum a natura non differt secundum rem, (puta l. 4 c. Gent. c. 55, et alibi possim), tunc sumit suppositum sensu denominativo, ut explicatum est supra: nimirum pro eo quod sistit sub esse suo; ita ut esse sub quo sistit, sit solum de connotato. Et iuxta hanc acceptionem verum est quod suppositum, quoad ea quae importat in recto, non distinguitur in angelo secundum rem a natura. Quia in substantiis separatis non sunt principia individualia contrahentia naturam a gradu specifico ad individualem, sed unicum individuum est tota natura sive tota species.

personae relativae inveniantur. Et ratio est quia res divinas nominamus secundum analogiam inferiorum. Porro naturam semper significamus per modum formae, et cum praecisione eorum omnium quae de constitutivo eius non sunt. Suppositum vero significamus per modum perfecti subsistentis, nihil praecidendo ex eis quae ei insunt quocumque modo, sive sint principia ipsius constitutiva, sive non. Et hinc accipitur fundamentalis illa differentia inter unionem creaturae ad Deum *in natura* et unionem *in persona*. Hinc apparet vera ratio cur duae illae uniones in tantum distare dicantur, ut altera exhibeat absurdum et monstruosum doctrinae commentum, altera vero sublime illud arcanum quod fides catholica veneratur. Diversitas enim non provenit ex hoc quod natura divina et persona divina sint aliud et aliud, absit; sed ex hoc quod ratione discriminis in modo significandi, alius atque alius unionis modus designatur cum dicitur unio in natura et unio in persona. Si enim dicerem unionem humanitatis ad Deum factam esse *in natura*, dicerem Deum et creaturam convenisse ut partes constitutivas alicuius novae essentiae, quae amplius nec Deus esset nec creatura, sed quoddam tertium ex iunctione utriusque resultans. E contra cum dico unionem hanc factam esse *in persona*, non eam unionem designo ex qua nova debuerit persona exsurgere, quia si quid significatur ut inclusum in persona, non ideo significatur ut constitutivum, quo variato, ipsum constitutum varietur necesse est.

Hinc tandem realis distinctio personae et naturae in creatis explicat qui fieri potuerit ut una natura creata assumeretur a Verbo, nam si natura et persona apud nos essent re omnino idem, natura semper haberet incommunicabilitatem quae est propria personae et ideo, non secus ac persona, foret inassumptibilis. Distinctio autem personae et naturae tam in divinis quam in creatis quoad modum significandi, rationem exhibet cur secundum fidem dicendum sit, unionem incarnationis factam fuisse solum in persona, nequaquam vero in natura.

Sed haec ut summarie nunc dicta accipias velim. Adhuc enim versamur in praeambulo, in quo ne aliquid dissimulare videamur, post declarationem principiorum S. Thomae de na-

tura et supposito, oportet commemorare principia sat diversa quae a quibusdam theologis defenduntur, et pro hac expositione ponitur sequens capitulum.

II.

DE NATURA ET SUPPOSITO
PRINCIPIA AB ALIIS THEOLOGIS PROPUGNATA.

1. Opinio Caietani.

Fere consentit Caietanus quoad principia hactenus exposita, nisi quod ad constitutionem suppositi seu personae in creatis requirit modum realiter distinctum tum a natura, tum a principiis individualibus, tum ab esse exsistentiae (1), per quem substantia singularis fit incommunicabilis, ultimo in seipsa terminata, ac per hoc, susceptiva proprii actus essendi. « Est igitur *personalitas*, inquit in tertiam Partem, Quaest. 4, a. 2, realitas constitutiva personae ut sic; et ideo ad eam consequuntur « negationes et repugnantiae ad esse *quo*, et esse partem, et « capacitates ad personales realitates, ut sunt actus essendi, et « quod est, et habens esse, et reliqua quae hypostasi attribuuntur. « Est autem huiusmodi realitas in genere substantiae reductive, « sicut reliquae rationes constitutivae substantiarum, ut rationale « et huiusmodi, quamvis non sit differentia proprie loquendo, sed « *est terminus ultimus, ac ut sic, purus, naturae substantiae* ». Consequenter opinatur Caietanus hypostasim intrinsece constitui natura individua et termino illo substantiali; propriam autem exsistentiam non pertinere ad personalitatem, nisi per modum consectarii, quatenus impossibile est ut *esse proprium* non con-

(1) Hic habes primam originem modorum substantialium, de quibus recte ait Tiphanius in suo opere de hypostasi et persona, c. 40: « Tota haec de modis, praesertim substantialibus, deque eorum di« stinctione doctrina, mihi et plerisque aliis, nova et parum probabilis « esse videtur. Ac eius *novitatem* vel ipsi modistae agnoscunt et con« fitentur. Nam Gabriel Vasquez, Disp. 41 in 3um Partem, c, 4. n. 22, « loquens de modo unionis hypostaticae quem ipse defendit, ait *nun« quam fortasse venisse in mentem Sanctis Patribus, eumque scholastica « disputatione* **non multis abhinc annis adiuventum esse** ».

sequatur substantiam praedicta modalitate in seipsa clausam et undequaque terminatam. Quare si a Caietano quaeras cur humanitas Christi non sit persona, ratio formalis apud ipsum non erit, quia caret suo proprio esse, (quamquam hoc ipsum omnino admittat Caietanus), sed ratio formalis est quia deest supradictus modus seu terminus naturae, Verbo supplente illam realitatem in natura humana, quae ex necessaria consequentia in communionem esse eius assumitur.

Fundamenta autem Caietani partim ex ratione desumuntur, et partim ex quibusdam S. Thomae testimoniis. Et ex ratione quidem nihil aliud video ab ipso afferri, nisi quod oportet distingui substantiam sumptam pro hypostasi, a substantia sumpta pro essentia seu natura etiam individuata. Item, quod personalitas non potest in aliquo negativo consistere, sed necessario est in aliqua re positiva. Quod attinet ad S. Thomam, adducit Caietanus duo loca tantum, in quorum primo dicit S. Doctor, quod « *esse* consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut « qua aliquid est; personam autem sive hypostasim consequitur « sicut habentem esse » (1). In secundo autem, docet quod natura non est subiectum relationis filiationis, sed solum suppositum (2). Verum haec omnia, si quid probant, probant tantum realem distinctionem suppositi a natura in creatis. Eiusmodi autem distinctio, ut ex disputatis in praecedenti articulo patet, optime stat sine additamento modalitatis quam primus adinvenit Caietanus, quaeque non solum sine fundamento adstruitur, sed etiam in suis notis considerata, chimaerae simillima esse videtur.

Et re quidem vera, substantia creata in seipsa terminatur, fitque suppositum, per hoc ipsum quod est singularis, et completa in ratione naturae, et sistens sub suo proprio esse. Porro terminus ille a Caietano assertus nihil facit ad singularitatem, quae per individualia principia iam habetur; nihil etiam ad complementum naturae, puta humanitatis, quae ex corpore et anima

(1) S. Thom., in Tertia Parte Quaest. 17, a. 2 ad 1um.
(2) Ibid. Quaest. 35, a. 5.

rationali adaequate est constituta. Eatenus ergo aliquid conferret ad personalitatem, quatenus sine illo individuum naturae non esset susceptivum proprii actus essendi. Hoc autem gratuitum omnino est et voluntarium, quandoquidem natura substantialis individua de sui intrinseca ratione est, cui naturaliter competit habere esse per se et in se. Nec tantum gratuito inventus, verum etiam chimaericus modus esse noscitur. Nam teste inventore suo, est *terminus purus,* qui nullam dicit causalitatem, « ita quod, non « solum est extra genera causarum extrinsecarum, sed etiam « extra causas intrinsecas, quoniam nec in genere causae for- « malis, nec in genere causae materialis se habet ad naturam, « sed ut terminus eius » (1). Et quasi difficultatem praeoccupans, quae ultro cogitanti occurrit: « Nec hoc figmentum est, inquit, « sed testimonium habet ex terminis quantitatis: punctum enim « est ita terminus lineae, quod nulla causa est illius ». Sed contra est quod *terminus purus* nusquam aliquid positivum est praeter rem terminatam, nam punctum terminans lineam nihil omnino addit lineae nisi negationem ulterioris extensionis. Dicit enim illud lineae ultra quod nihil lineae est, et quia per hanc ipsam negationem subit denominationem termini, si linea protraheretur, eo ipso terminus esse desineret, nihil de suo esse amittendo. Hinc igitur, realitas positiva a principiis naturae realiter distincta et ab eis auferibilis, quae naturam terminaret non complendo eam, aut aliquid ei praestando per modum causae formalis, sed purum limitem afferendo, iure meritoque inter imaginationis figmenta recensetur. Simul enim aliquid adderet et nihil adderet. Aliquid adderet pro quanto asseritur esse positivum principium praeter principia constitutiva rei terminandae; nihil adderet pro quanto dicitur esse purus terminus, cuius adaequata ratio proponitur in essendo illud rei post quod nihil rei est. Quae omnia contradictionem involvunt, ut apparet in terminis. Dicendum igitur quod *personalitas* seu *suppositalitas* in creatis non est modus a Caietano confictus, sed individualitas subsistentis, ad quam duo requiruntur et sufficiunt: ut scilicet

(1) Caietanus, ubi supra.

singulare substantiae sit integrum in natura, (sic enim excludiditur communitas *partis*), et sub suo proprio esse sistat, (sic enim excluditur communitas *assumptibilis*).

Testimonia autem S. Thomae intentum Caietani non evincunt. — Non primum, ubi solum dicit quod *esse* non consequitur naturam sicut habentem esse, adeo ut ex dualitate naturarum in Christo minime liceat inferre quod sint pariter in eo duo esse. Natura enim est *quo subsistitur* tanquam ratione subsistendi; solum autem snppositum est *quod subsistit* et habet esse. Et siquidem natura creata uniatur suo proprio esse, tunc est suo individuo subsistendi ratio. Sin autem proprium esse non adsit, sicut in incarnationis mysterio factum est, tunc non subsistit proprium huius naturae individuum, sed suppositum assumens subsistit et habet esse secundum duplicem naturam. Non ergo necesse est ut semper multiplicetur esse subsistentiae secundum numerum naturarum. Hoc docet S. Thomas in loco citato, et nihil aliud, ut legenti patebit (1). Sed multo minus convincit alterum testimonium, ubi explicans S. Doctor quomodo relatio filiationis quam habet Christus ad B. Virginem non sit nisi rationis relatio, fundamenti loco ponit quod subiectum relationis filiationis est suppositum, non natura. Cum igitur suppositum aeternum Filii Dei sit incapax omnis relationis realis ad creaturas, relatio praedicta realis esse non potest. Hoc autem ratiocinium supponit humanitatem Christi non esse idem cum persona Verbi, (quod profecto omnes confitemur), vel etiam, naturam creatam semper a supposito distingui; nulla tamen vel apparens ratio affertur, innuens realem hanc distinctionem provenire a modo sive termino de quo hactenus fuit sermo. Non ergo admittenda videtur opinio Caietani.

2. — **Opinio Suarezii.**

A doctrina in praecedenti articulo exposita adhuc magis discedunt Suarez et alii post eum theologi. Sequuntur quidem Caietanum in eo quod existimant, *personalitatem*, sive (ut aiunt)

(1) Amplior horum declaratio, et praesertim modi loquendi hic a S. Thoma adhibiti, habetur infra, ubi *de consequentibus unionem*, Quaest. 16-17. Vide ea quae ibi exponentur.

subsistentiam (1), esse modum quemdam substantialem quo natura singularis terminatur ac veluti in se clauditur, et formaliter efficitur hypostasis: « Tertio suppono, inquit ipse Suarez, de In-« carn. Disp. 11, Sect. 3. in rebus creatis perseitatem exsistendi « non convenire naturae formaliter per se ipsam, seu per exsi-« stentiam suam, sed per aliquid reale, et in re ipsa ab illa et ab « eius exsistentia distinctum... Et hoc satis nobis manifestavit « mysterium incarnationis, in quo reperitur humanitas in rerum « natura absque propria perseitate exsistendi quam ex se habet... « Suppono in rebus creatis, per eumdem omnino terminum seu « modum positivum substantialis naturae constitui rem per se « exsistentem et omnino incommunicabilem, et consequenter per-« sonam vel suppositum » (2).

Verum, quia praedicti theologi identificant in creatis naturam cum actu essendi, necesse est ut dicant hunc modum supervenire enti in suo substantiali esse iam praeconstituto. In quo certe a Caietano dissentiunt, atque etiam, ut videtur, multo faciliorem ansam suis contradictoribus praebent. Nam primo, quidquid advenit rei post esse substantiale, accidentaliter advenit nisi trahatur in communionem huius esse substantialis, quod quidem in praedictorum auctorum principiis impossibile omnino est. Sequitur ergo *modum* sic dictum *subsistentiae* esse accidens: acci-

(1) Hic nota quod si *subsistentia* in suo nativo et maxime proprio sensu sumatur, non est omnino idem ac *personalitas*, quia persona est subsistens, non quodcumque, sed distinctum seu incommunicabile, et licet nihil sit incommunicabile nisi subsistens, aliquid tamen est subsistens quod incommunicabile non est. Praeterea in Deo persona non ex eodem formaliter incommunicabilitatem habet, a quo subsistentiam. Habet enim incommunicabilitatem ex nota propria relationis, subsistentiam vero ex reali identitute cum essentia absoluta. Et ideo, etsi in documentis ecclesiasticis subsistentia nonnunquam per quamdam extensionem pro personalitate sumatur, non sunt promiscue usurpandae hae voces tamquam synonymae, quia facile deveniretur ad confusionem conceptuum.

(2) Cf. etiam Suarez in Metaphysica, ubi de subsistentia et supposito. Item Gregorium de Valentia, in III, D. 1, Quaest. 4, Puncto 2. Item varia documenta apud Franzelin. de Verbo incarnato, Thes. 30, n. 2.

dens dico, non sensu logico, prout omne id quod est praeter rationem speciei accidens vocari potest, sed sensu physico et praedicamentali, prout quidquid recipitur in eo quod praehabet esse simpliciter, eidemque inhaeret afferendo novum esse, accidens dicitur et est. Si autem est accidens, fieri nequit ut sit hypostasis constitutivum, adeoque, cum vocatur *modus substantialis*, contradictoria iunguntur quae sese invicem destruunt. — Adhuc, si natura est per identitatem sua exsistentia, ut isti auctores volunt, ergo est per semetipsam *id quod est.* Et si est per semetipsam id quod est, profecto est per semetipsam in se et per se, quin debeat consequi perseitatem exsistendi ex aliquo superaddito. — Denique, cum possibile sit, fatentibus adversariis, ut natura substantialis inveniatur in natura rerum sine modalitate de qua nunc sermo, contingeret, verificata hypothesi, ut substantia esset subsistens simul et non subsistens: subsistens quidem, quia non esset in alio, sed in se; non subsistens, quia careret modo subsistentiae. Sed haec profecto consociabilia non sunt.

Caeterum nulla omnino ratio demonstrativa affertur praeter illam quam deducunt ex mysterio incarnationis. Porro ratio ista nullam habet efficaciam, ut iam insinuatum est, et in sequentibus amplius declarabitur. Non ergo videtur admitti posse opinio Suarezii.

3. — **Opinio Scoti.**

Duae praecedentes opiniones adstruunt saltem realem ac positivam distinctionem naturam inter et suppositum in creatis. Sed Scotus in III, Dist. 1, opinatur suppositum addere tantum negationem aliquam supra naturam individuam. Et haec est negatio duplicis dependentiae: dependentiae scilicet *aptitudinalis* quam semper retinet anima rationalis, et *dependentiae actualis* qualis invenitur in humanitate Christi. « Constituit Scotus ratio-« nem hypostaseos *in negatione dependentiae actualis et aptitudinalis:* « hoc est, ut substantia sit nec actu dependens ab altero ut sup-« posito, sicut est humana natura Christi dependens actu, nec « ex se postulet talem dependentiam, ut eam postulat anima hu-« mana etiam separata... Docet porro Subtilis, naturam singula-« rem et integram per se constitui in tali independentia, non

« aliquo positivo ultra illam entitatem quae est haec natura ». Ita Cardinalis Franzelin ([1]), qui cum multis modernis eamdem sententiam sequitur. Quare, ponendo nunc a parte animam humanam quae non est nisi pars naturae, et loquendo de sola natura singulari integra: natura illa iuxta Scotum, in ratione personae ultimo constituitur per hoc quod actu non unitur nobiliori supposito: si autem actu unitur, per hoc ipsum formaliter cadit a ratione personae seu hypostasis. Unde tandem natura et suppositum in creatis sunt realiter idem, et sola ratione differunt, ut concludit Franzelin, de Verbo incarnato, Thes. 30.

Videri ergo posset opinionem istam esse admittendam, imo esse veram et genuinam ipsiusmet S. Thomae sententiam. Ait enim Angelicus in tertia Parte, Quaest. 4, a. 2, ad 2um: « Na-« turae assumptae non deest propria personalitas propter defe-« ctum alicuius quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, « sed propter additionem alicuius quod est supra naturam hu-« manam, quod est unio ad divinam personam ». Et similiter in III, D. 6, Quaest. 1, a. 2, ad 5um: « Ex hoc ipso quod compo-« situm ex anima et corpore non adiungitur alteri subsistenti... « sequitur quod coniunctum sit homo; unde si Christus huma-« nam naturam quam assumpsit deponeret, ex hoc ipso esset homo « illud coniunctum ex duabus substantiis ».

Sed contra est quod repugnat omnino ut aliquid ultimo constituatur in ratione personae per negationem unionis cum altero supposito.

Etenim primo, ultima nota suppositi est incommunicabilitas, cum iuxta omnes suppositum definiatur substantia individua, id est, incommunicabilis. Atqui negatio actualis unionis cum altero supposito non facit substantiam incommunicabilem, sed solum actu incommunicatam. Ergo substantia ultimo non constituitur in ratione suppositi per negationem actualis unionis cum altero supposito. Replicabunt adversarii, non esse de ratione hypostasis incommunicabilitatem omnimodam, etiam per respectum ad potentiam Dei absolutam; sed sufficere ut aliquid sit actu incom-

([1]) De Verbo incarnato, Thes. 29, Coroll. 3.

municatum et naturaliter incommunicabile, tametsi adhuc remaneat communicabile supernaturaliter sive obedientialiter, virtute agentis infiniti. Porro, inquiunt, natura integra ex hoc ipso quod integra est, iam habet incommunicabilitatem naturalem: huic accedit actualis incommunicatio ex negatione assumptionis; rectissime ergo in negatione actualis communicationis reponitur ultimum suppositi creati constitutivum [1]. Sed contra, quia si quaelibet communicabilitas ad nobilius suppositum, etiam mere obedientialis, rationi personae repugnare ostenditur, eo ipso demonstratur insufficientia et nullitas responsionis. Sit itaque secundum argumentum, ut sequitur.

Nulla natura est quacumque ratione assumptibilis ab altero supposito, nisi adhuc sit ei unibilis substantialiter, id est, apta ad esse unum cum eo secundum hypostasim. Rursus, nihil alteri supposito unibile est substantialiter, nisi sit in se substantialiter adhuc incompletum. Impossibile enim est de potentia etiam Dei absoluta, ut duo substantialiter completa fiant unquam substantialiter unum, quia forent unum in eo ipso in quo sunt duo, quod apertam involvit contradictionem. Ergo omnis communicabilitas ad suppositum nobilius, quantumvis mere obedientialis, importat in suo conceptu incomplementum in linea substantiae, et hac de causa repugnat rationi hypostasis seu personae, quae est iuxta omnes aliquid completum sive substantialiter terminatum. Ergo assumptionis negatio cum qua in principiis adversariorum adhuc manet eiusmodi communicabilitas, nequaquam esse potest ultimum constitutivum suppositi vel personae.

Atque hinc tandem sumitur contra Scotum ratio valde efficax. Cum enim dicit quod eadem natura singularis integra, sumpta cum sola negatione unionis est suppositum, sumpta autem cum additione unionis non est suppositum, de eodem et secundum idem affirmat et negat esse completum: quod est contradictorium. Negat quidem cum dicit naturam illam adhuc esse capacem assumptionis ad alterum secundum hypostasim; affirmat cum dicit naturam eamdem cui nihil additur, esse personam. Imo vero

(1) Cf. Franzelin, ubi supra.

negatio illa unionis nequidem vera negatio esse noscitur, quia vera negatio negat aliquid; aliquid, inquam, possibile, non aliquid contradictorium quod nihil est. Atqui in eo cui adsunt omnia positiva hypostasis creatae constitutiva, assumptio a nobiliori supposito est quid chimaericum et impossibile, uti ostensum est. Omnibus ergo modis sententia Scoti excluditur.

Ad illud autem quod ex S. Thoma obiiciebatur, dicendum quod in primo loco S. Doctor solummodo docet, non ideo deesse humanitati Christi propriam personalitatem, quia deest ei aliquid positivum pertinens ad perfectionem naturae humanae *in linea naturae;* sed quia unio ad divinam personam impedivit ne humanitas haberet suum esse proprium, ac per hoc, in se subsisteret (1). Et similiter ad aliud testimonium dicendum est quod eatenus coniunctum ex corpore et anima fieret homo subsistens si Verbum humanam naturam deponeret, quatenus ex hoc ipso oporteret dari in coniuncto proprium actum essendi quem sola unio ad divinam personam impediebat. Non ergo dicitur quod ipsa cessatio seu negatio unionis constitueret humanitatem in esse hypostasis, sed id quod ad cessationem istam, quasi remoto prohibente, necessario sequeretur. Unde in corpore articuli docet S. Thomas quod homo subsistens habet esse completum, humanitas autem assumpta non habet esse completum, quia « quod « habet esse completum in quo subsistit, non potest uniri alteri « nisi tribus modis: vel *accidentaliter,* ut tunica homini...; vel *per* « *modum aggregationis,* sicut lapis lapidi in acervo; vel *aliquo* « *accidente,* sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam ». Sed haec est ipsissima ratio qua superius contra Scotum usi sumus (2).

(1) Et idem est sensus Patrum quando dicunt Verbum assumpsisse ea omnia quae in natura nostra plantavit. Semper enim intelligunt ea quae se tenent ex parte naturae et proprietatem eius, contra multiplices haereses de quibus infra, Q. 4. Vide dicenda ibi.

(2) In summa, quisquis vel leviter perpenderit tot et tanta testimonia huic consona quae in sequentibus afferuntur, facile intelliget quod si inter S. Thomam et Scotum quidam apparens verbalis parallelismus ostenditur, sensus subiacens longe longeque diversus est.

Nota. — A doctrina Scoti minime discedit Tiphanius in suo opere *de hypostasi et persona,* nisi forte quoad modum loquendi Ponit equidem formalem rationem suppositi in eo quod aliquid sit *totum in se.* Sed si ab eo quaeras quidnam illud sit in quo ratio *totius in se* salvatur, assignat naturam singularem et integram cum sola negatione assumptionis a nobiliori hypostasi. Si enim, ait, natura haec integra, retinendo semper omnia positiva quae prius habebat, alii supposito uniretur, eo ipso caderet a ratione totius in se, et fieret pars vel quasi pars alterius, adeoque suppositum seu hypostasis amplius non esset. Sed Scotus nihil aliud docet, ut clare ostendit Cardinalis Franzelin, ubi supra ([1]), et modus dicendi Tiphanii non differt nisi in eo quod arte quadam dissimulare satagit rationem *negativi* in ultimo personae constitutivo.

Porro, argumentum quo utimur contra Scotum praescindit a positivo vel negativo in formali ratione personae. Solum enim impugnat falsam notionem totius et partis, ostendendo esse omnino impossibile ut ens in linea substantiae ultimo completum desinat esse completum, adeoque totum in se, quamdiu retinet omnia principia positiva quibus in seipso complebatur. Sed origo huius opinionis in hoc est, quod de totalitate substantiali iudicant *secundum phantasma* totius et partis in rebus quantitativis. Si enim seorsum ponas massam aquae bicubitalem, massa ista est tota in se; cui si adiungas aliam quantitatem aquae, statim vi additionis, quin fiat aliqua alia *ad sensum* mutatio, prior massa a ratione totius cadit, et incipit esse pars. Verum, altius philosophandum est de toto et parte, nec oportet remanere in eo quod exterior sensus renuntiat. Nam ens substantialiter completum et totum in se, est ens terminatum in linea essendi simpliciter, et hanc terminationem consequitur ex actu essendi proprio sub quo sistit; partes autem non habent actum essendi proprium, sed sunt per esse totius. Unde si quod totum fit pars per additionem ad aliud, necesse est ut vi additionis amittat suum esse proprium, ad quod remanet solum in potentia. Alias fieret quaedam

([1]) De Verbo incarn. p. 256.

totorum aggregatio, seu totum per accidens, non autem totum per se. « Ad rationem totius, ait S. Thomas in III, D. 6, Quaest. 2, « a. 3, pertinent duo: unum scilicet, quod esse totius compositi « pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium « esse, sed sunt per esse totius, etc. ». Et in 7 Metaphys. lect. 13: « Duo quae sunt in actu nunquam sunt unum actu, sed duo quae « sunt in potentia sunt unum actu, sicut patet in partibus con- « tinui. Duo enim dimidia unius lineae sunt in potentia in ipsa « linea dupla, quae est una in actu... Et secundum hunc modum « Democritus recte dixit quod impossibile est, unum fieri ex « duobus, et ex uno fieri duo. Est enim intelligendum quod duo « in actu exsistentia nunquam faciunt unum ».

Haec sunt principia quae contra sententiam Scoti valent, et vim suam de integro retinent contra modum dicendi Tiphanii; quae etiam multo ampliorem confirmationem habebunt, ubi dogma incarnationis scholastico modo erit exponendum. Nunc autem, solum superest ad complementum huius praeambuli, ut principia heterodoxa de natura et supposito breviter recenseantur.

III.

DE NATURA ET SUPPOSITO PRINCIPIA HETERODOXA.

Ad heterodoxas opiniones in primis revocandae sunt notiones omnes quae formale constitutivum hypostasis repetunt ex aliqua facultate sive proprietate naturae. Quo in genere, specialiter recenseri debet sententia reponens personalitatem *in conscientia sui*. Equidem verum est, personam non dici nisi in naturis intellectualibus, adeoque facultate instructis consciendi se. Sed si personalitas est ipsa conscientia, statim sequitur esse in Christo personalitatem creatam praeter increatam hypostasim Verbi, cum humana conscientia profecto in eo sit. Sequitur quoque esse in Deo personalitatem unicam, cum in eo non sit nisi unus intellectus et una operatio intellectiva qua et se et alia omnia cognoscit. Caeterum, eiusmodi opinio sanae philosophiae non minus repugnat quam regulae fidei. Nam, ut more

adversariorum loquar, per conscientiam non constituitur ly *ego*, sed apprehenditur dumtaxat, et ideo aliunde constitutum supponi debet. Praeterea conscientia in creaturis sumitur vel pro facultate, vel pro actu facultatis. Neutro autem modo aliquid substantiale est, sicut oporteret ad rationem personalitatis (1).

Apparet igitur quam periculosa sit personae descriptio ab aliquibus introducta: *substantia conscia sui* (2). Dum enim non distinguit inter substantiam adhuc communicabilem et substantiam simpliciter individuam, videtur continere virus praefati erroris, assignando proprietatem intellectualis naturae ut quo formaliter determinatur substantia ad esse personae. Insinuat itaque personae rationem absolvi notione naturae intellectu praeditae: quo posito, iam pronus est descensus ad gravissimos errores in materia de Incarnatione et Trinitate. Cavendum igitur ab huiusmodi novitatibus quae dogma catholicum in discrimen adducunt, et prae oculis habendum id quod recte dixit Plato: « Investi- « gatio divinorum non recte facta, id est, non praemissis debitis « disciplinis, malorum omnium est causa ».

Sed nec melius repeteretur personae constitutivum ex notis illis quibus nos unum individuum ab alio discernimus, tanquam distinctivo, ut vocant, charactere, propriave indole. In his enim nihil aliud invenire est praeter determinationes quasdam accidentales quae ex principio individuante fluunt, et ideo in principiis hypostaticis nequaquam computantur, cum nullum accidens constitutivum hypostasis esse possit. Quin imo, a veritate fidei evidenter aberraret quicumque in sola individualitate naturae personalitatem agnosceret. Nam humanitas a Verbo assumpta

(1) Quid si conscientiam abusive sumas pro eo quod est in conscientia? Sic enim accipiunt modernistae, dicentes personalitatem divinam in Christo esse iam explicandam et intelligendam de identitate cum Deo ut ab eo conscita. Horrendum hoc est, quia eiusmodi conscita identitas nihil aliud sonat quam pantheisticum quemdam idealismum, et unionem hypostaticam reducit ad nescio quam amentem mentalitatem. Vides quot venena in ea philosophia quae notionem personae esse vult, iam non ontologicam seu metaphysicam, sed psychologicam.

(2) Cf. Collect. Lac. Tom. 7, col. 541.

non est persona, et tamen propria singularitate donatur, non secus ac humanitas Socratis, vel Caesaris, atque ita porro; nec dubitare fas est quin potuisset Verbum assumere aliam numero humanitatem, aliis principiis individuatam et ex consequenti aliis notis individuantibus signatam, quamvis una semper eademque fuisset persona Verbi, in divina simul et humana natura subsistens. Ratio autem huius veritatis est quia, etsi principia individualia quibus natura specifica contrahitur, iure meritoque inter constitutiva suppositi recenseantur, non tamen ad suppositalitatem sufficiunt; faciunt enim *distinctum in natura*, sed non distinctum *subsistens*, ut clare apparet in humanitate Christi. Adhuc ergo ad rationem personae aliquid omnino necessarium deest.

Hinc generatim loquendo, fidei incarnationis manifestissime repugnant, et a theologis catholicis summo consensu reiiciuntur sententiae omnes quibus adstruitur, hypostasim in creatis *nihil prorsus addere* supra naturam integram singularem et proprietates eius; statim enim sequeretur duas esse in Christo hypostases. Non tamen eadem fidei lege tenemur in assignando quid sit illud quod addit: an mera negatio, an aliquid positivum, et quatenus aliquid positivum, an modus terminans substantiam, an actus essendi qui per se ei debetur. Nihilominus non videtur admittendum quod sit simplex negatio assumptionis a nobiliori supposito, uti contra Scotum probatum est; nec etiam modus substantialis, sive ad mentem Caietani, sive ad mentem Suarezii. Relinquitur ergo ut de supposito in posterum loquamur iuxta principia primo loco declarata, quae novam iterum demonstrationem habebunt, eamque independentem ab argumentis mere philosophicis, ex dogmate revelato unionis naturae humanae cum Verbo secundum hypostasim, prout in huius quaestionis expositione palam fiet.

QUAESTIONIS PARTITIO.

Primum omnium, circa unionis modum statuit S. Thomas veritatem catholicam in generali, ostendendo unionem Verbi incarnati factam esse in persona, non autem in natura (**Art. 1-2**).

Sed quia « ad huius veritatis expositionem aliqui per quasdam « vias erroneas processerunt » ([1]), statim eas excludit. Excludit positionem eorum qui dixerunt esse in Christo unam personam et duo supposita, prout fert prima opinio a Magistro in III Sent. Dist. 6 relata. Excludit similiter opinionem tertiam ibidem expositam, eorum scilicet qui volebant animam et corpus ab invicem separata, fuisse unita Verbo accidentaliter ut vestis homini. Demum statuit sensum legitimum et catholicum, exponendo opinionem secundam apud Magistrum, quae « non est dicenda « opinio, sed sententia catholicae fidei ». Docet enim personam Verbi post incarnationem in duabus naturis subsistere, et ideo naturam humanam fuisse Filio Dei unitam secundum subsistentiam (**Art. 3-6**). Ast, cum inter theologos posteriores, circa explicationem huiusmet catholicae sententiae, exortae sint opinionum diversitates, ea tandem proponenda erit sententia, quae vera videtur atque retinenda. Continetur autem in articulis praecedentibus passim, maxime vero **art. 2 ad 3um**, necnon et in locis parallelis tertii Sententiarum ([2]), ubi quodammodo anticipantur ea quae habet S. Doctor in Quaest. 17 Summae theologicae. Denique, post explicatam unionem ut est coniunctio divinae et humanae naturae in una incommunicabili subsistentia seu esse personali Verbi, disserit Angelicus de unione sumpta pro relatione innascente inter extrema (**Art. 7-8**); tum de eadem prout exsuperat uniones alias (**Art. 9**); tum demum de eius supernaturalitate et proprio modo supernaturalitatis (**Art. 10-12**).

THESIS V.

(Art. 1-2).

Unio Verbi incarnati facta est in persona, non autem in natura.

Dictum est in antecedentibus, quod unio in natura ea est ex qua resultat natura nova; natura, inquam, duobus unitis tamquam partibus essentialibus composita, et per consequens,

([1]) S. Thom. Comp. theolog. c. 209.
([2]) S. Thom. in III, D. 6, q. 2, a. 3; et q. 3, a. 2.

ab utroque componente diversa. Ratio sumebatur ex hoc quod natura significat cum praecisione reliquorum omnium, essentiam sive quidditatem sive speciem, et quia quidquid ingreditur essentiam est quoddam constitutivum talis essentiae, (quo sublato, ipsa non manet eadem, sed necessario mutatur in aliam), plura fieri unum in ratione naturae, est plura concurrere inter se ut potentiam et actum ad constituendam essentiam unam, quae est tertia res resultans ex praedictorum coniunctione.

E contra, unio duorum in persona non est necessario unio ex qua resultat nova persona: persona, inquam, duobus unitis tanquam intrinsecis principiis in esse personae constituta. Ratio etiam clare apparet ex praemissis. Non enim omnia quae ingrediuntur personam sive suppositum ut constitutiva suppositi haberi debent, quia non omne quod ad distinctum subsistens pertinet, est eo ipso principium quo in ratione huius subsistentis constituitur. Sed bene intelligitur inesse alicui personae aliquid quod prius ei non inerat, ipsa persona semper eadem manente; et in hoc est valde notabilis differentia inter personam et naturam, ut suo loco ostensum est. Quare, unio in persona recte definiri potest coniunctio qua unum est ab alio indivisum secundum suppositum, sive suppositum ex coniunctione resultet, sive non. Et si quidem suppositum ex coniunctione resultat, tunc unio non est tantum in persona, sed *etiam et per prius in natura:* exemplum habes in consueta unione animae et corporis. Si autem suppositum ex coniunctione non resultat, sed praeexistens incipit de novo habere aliquid quod prius non habebat, tunc unio est *solum in persona:* cuius exemplum esse potest in unione accidentis cum subiecto. « Subiectum enim et accidens, « ait S. Thomas, Comp. Theol. c. 211, non sic uniuntur ut ex « eis aliquid tertium constituatur... Accidens autem trahitur ad « personalitatem subiecti ». Absit tamen ut dicamus unionem accidentis cum subiecto esse hypostaticam, nam unio quae est solum in hypostasi latius patet quam unio hypostatica, ut in thesi sequenti satis apparebit. Interim vero, ut ordine quodam procedamus, oportet ab ulteriori determinatione praescindere,

et solum in generali statuendum est unionem incarnationis vere quidem in persona, et nullo modo in natura esse factam (1).

Argumenta in contrarium sunt: Primo, id quod dicitur in symbolo: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita « Deus et homo unus est Christus ». Nam unio carnis et animae est *etiam* in natura, et non solum in persona.

Secundo, auctoritas Cyrilli Alexandrini in actis Concilii IV adducta: « Non oportet intelligere duas naturas, sed unam na- « turam Dei Verbi incarnatam ». Cui accedit locutio apud eumdem Cyrillum frequenter occurrens: ενωσις φυσικη, vel κατα φυσιν, id est, unio naturalis, vel secundum naturam.

Tertio, ratio omnino obvia, quia in Deo persona et natura sunt re omnino idem. Si ergo in re ipsa non est facta unio in natura Verbi, nec etiam facta est in persona; aut si facta est in persona, etiam in natura.

Sed fides catholica in Concilio Chalcedonensi (Act. 5) definita, sic habet: « Sequentes Sanctos Patres, unum eumdem- « que confiteri Filium et Dominum nostrum Iesum Christum « consonanter omnes docemus..., *in duabus naturis* inconfuse, im- « mutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam « sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva « proprietate utriusque naturae, et *in unam personam* atque sub- « sistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut di- « visum... His igitur cum omni undique exacta cura a nobis « dispositis, definivit sancta et universalis synodus, alteram fidem « nulli licere sentire aut alios docere » (2). Ad huius autem ca-

(1) Cum persona divina nequeat recipere ullum accidens, et humana etiam substantia non possit subiecto inhaerere, quisquis dicit unionem Verbi incarnati non esse factam nisi in persona, eo ipso *implicite* iam asserit unionem hanc esse hypostaticam; termini enim qui uniuntur, alterius unionis capaces non sunt. Verumtamen, secundum nostros inadaequatos et praecisivos conceptus, id quod *explicite* asseritur in praesenti, formaliter differt ab eo quod in sequenti propositione ex professo demonstrandum relinquitur.

(2) Ibi explicitam definitionem habes contra duas oppositas haereses Nestorii et Eutychetis. Vide apud Socratem, Hist. eccles. l. 7, c. 32, initia haeresis Nestorii, cuius praecursores fuerant Paulus Samo-

tholicae veritatis demonstrationem duo praecipua praesto sunt argumenta, quorum primum desumitur ex Scripturis apud S. Thomam, l. 4 c. Gent. c. 34 et 35. Alterum vero ratione theologica conficitur apud eundem S. Doctorem, art. 1 et 2 huius quaestionis.

Sane vero, omne quod factum est aliquid, (seclusa conversione unius in aliud, quae in proposito evidenter excludi debet), est vere illud quod factum est, sicut quod factum est homo vere est homo, et quod factum est album vere est album. Sed, Ioan. I-14, *Verbum caro* seu homo *factum est.* Igitur Verbum Dei est vere homo. Impossibile est autem ut duorum differentium persona aut hypostasi, unum de altero praedicetur. Cum enim dicitur: homo est animal, idipsum quod animal est, homo est; et iterum cum dicitur: homo est albus, ipse homo albus esse signatur, licet albedo sit extra rationem humanitatis. Et ideo, nullo modo dici potest quod Socrates sit Plato, vel aliquod aliud singularium eiusdem aut alterius speciei. Si igitur Verbum homo factum est, ut testatur evangelista, impossibile est ut Verbi Dei et illius hominis sint duae personae. Sequitur ergo quod unio est facta in persona [1].

Insuper oportet dicere quod in Christo post unionem sunt duae naturae integrae atque inconfusae, iuxta illud Apostoli, Philipp. II, 6-6: *Qui cum in forma Dei esset... formam servi accipiens.* Ubi primum adverte quod forma hic pro integra natura accipitur, uti constanter intellexerunt Patres, et manifeste etiam apparet ex oppositione inter formam Dei et formam servi, nam forma Dei nihil aliud esse potest quam natura Dei. Aliunde vero iam explicatum est supra, qua de causa natura a nobis concipiatur per modum formae unumquodque informantis propria differentia. Nunc igitur, si ille ipse qui in natura Dei erat

---

satenus et Photinus. Eutyches vero, stupidi ingenii senex, ut scribit Flavianus Cp. ad S. Leonem, ut se Nestorio opponeret, naturae quoque unitatem asseruit, non intelligens quid diceret. Cf. S. Leonem, epist. 26, seq.

[1] Vide alia in eodem l. 4 c. Gent. c. 34.

accepit naturam servi, non potest dici quod natura Dei in Christo per unionem desierit. Neque iterum dici potest quod natura servi sit corrupta in unione, quia sic non fuisset accepta. Sed nec dici potest quod natura servi sit permixta naturae Dei, quia quae permiscentur non manent integra, sed partim utrumque corrumpitur; unde et divinitas fuisset mutata, et forma servi non fuisset assumpta, sed solum aliquid eius. Et sic oportet dici secundum verba Apostoli, quod in Christo post unionem sunt duae formae, id est duae naturae. Non ergo facta est unio in natura. Ita fere S. Thomas l. 4 c. Gent. c. 35.

Hoc etiam, ut ibidem additur c. 37, ipsius Domini Iesu Christi verba manifeste ostendunt, cum de se quandoque loquatur humilia et humana, ut est illud: *Pater maior me est* (Ioan. XIV-28), et: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* (Matth. XXVI-38), quae ei secundum humanitatem assumptam conveniunt. Quandoque vero sublimia et divina, ut est illud: *Ego et Pater unum sumus* (Ioan. X-30), quod certum est ei secundum naturam divinam competere. Ostendunt etiam hoc ipsius Domini facta quae de ipso leguntur. Quod enim timuit, tristatus est, esuriit, mortuus est, pertinet ad naturam humanam. Quod propria potestate infirmos sanavit, quod mortuos suscitavit et elementis mundi efficaciter imperavit, quod daemones expulit, quod peccata dimisit, quod a mortuis cum voluit resurrexit, quod denique coelos ascendit, divinam in eo virtutem demonstrant. Oportet igitur unam eamdemque esse personam cui utriusque naturae proprietates attribuantur, et sic, idem ac supra. Hinc Leo M. Serm. 13 de Pass. c. 4: « Cum ergo in uno Domino « nostro Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, confitemur « divinam de Patre naturam, humanam de matre substantiam, « licet Dei Verbi et carnis una persona sit..., intelligendae tamen « sunt ipsorum operum qualitates ». Et Serm. seq. c. 1: « Quam- « vis ergo ab illo initio quo in utero Virginis Verbum caro fa- « ctum est, nihil unquam inter divinam humanamque substantiam « divisionis exstiterit, et per omnia incrementa corporea unius « personae fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen quae « inseparabiliter facta sunt nulla permixtione confundimus; sed

« quid cuius naturae sit, ex operum qualitate sentimus; nec di-
« vina enim humanis praeiudicant, nec humana divinis, cum ita
« in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absu-
« matur, nec persona geminetur ».

Accedit et ratio theologica. Est enim quaedam unio Verbi ad naturam humanam, per quam Deus factus est homo, ut ex revelatione habetur. Iam vero evidenter repugnat omnis unio Dei ad creaturam quae esset eiusmodi, ut Deus et creatura haberent rationem partium: ex qua scilicet resultaret quaedam tertia res, puta una nova quidditas conflata ex divinitate et natura creata, vel una nova persona ex unitis principiis consurgens. Sed quia hoc secundum non potest esse nisi mediante primo, (non enim intelliguntur plura concurrere ad constitutionem unius novae personae, nisi per prius constituant unum novum actus essendi subiectum, id est, unam novam naturam), ideo sufficienter excluditur *unio tanquam ex partibus,* excludendo *unionem in natura.* Oportet igitur concipere unionem quamdam ex qua non resultet tertium, (sive natura sit, sive persona), sed magis unionem qua Deus perfectus in sua perfectione manens, ad se trahit substantiam creatam: ut sit semper antiqua res non transmutata, scilicet Deus Verbum, naturam tamen humanam de novo habens. Fit ergo unio incarnationis secundum quod aliqua natura de novo habetur ab aliquo praeexistente, in suo esse immutabiliter permanente. Et quia habere aliquam naturam est personae, quae praedicatur ut subsistens ad quod omnia pertinent quae quocumque modo insunt, ideo tandem unio dicenda est facta *tantum in persona.* Hinc S. Thomas, Comp. Theol. c. 211: « Quia per-
« sona, hypostasis, et suppositum designant aliquid integrum,
« si divina natura in Christo est ut pars, et non ut aliquid in-
« tegrum, sicut anima in compositione hominis, una persona
« Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae, sed
« esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et in homine per-
« sona est quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia di-
« vina natura est aliquid integrum quod sibi assumpsit per
« quamdam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se
« tenet ex parte divinae naturae, anima vero et corpus trahun-

« tur ad personalitatem personae divinae, ut sit persona Filii « Dei, sicut etiam persona Filii hominis ». Cf. etiam Anselm. l. 2 Cur Deus homo, c. 7.

Ad 1um ergo dicendum, minime necesse esse ut similitudines et comparationes teneant in omnibus; hoc enim nullibi requiritur, et multo minus in praesenti mysterio, quia unio incarnationis est singularis et supra omnes modos unionis nobis notos. Affertur ergo in symbolo similitudo consuetae unionis carnis et animae rationalis, non quasi univoca cum hypostatica unione Verbi ad humanitatem, sed solum *tanquam propinquius exemplum* quod in naturalibus habeatur. Ad cuius evidentiam in primis considera quod animae et corporis in homine oportet esse unum actum essendi; nam alias homo nihil aliud foret quam merum aggregatum duorum subsistentium, sicut videre est in angelo qui assumit corpus ut oculis mortalium appareat. Si enim corpus humanum haberet suum proprium esse in se, similiter et anima, ipsa anima vere esset purus spiritus movens corpus, eique per applicationem virtutis alligata tamquam motor mobili. Quare, ne haec absurda sequantur, omnino necesse est dicere animam et corpus in eodem substantiali essendi actu communicare; communicant autem tamquam unius essentiae partes, ac per consequens, praedictus actus essendi est totius compositi, in eoque subiectatur. Quantum igitur ad primum, analogia est cum incarnatione, quia divinitas et humanitas vere conveniunt in eodem esse personali Verbi, ut infra videbitur. Sed quantum ad alterum non est similitudo, eo quod humanitas et divinitas non sunt partes constitutivae unius essentiae, et ideo esse personale Dei Verbi, (id est exsistentia per relationem personalem incommunicabili modo habita), nullo modo subiectatur, nec in divinitate cum qua est omnino idem, nec in humanitate quae non est eius receptiva, nec in natura ex ambobus composita quae non datur.

Nunc autem ulterius considerandum est cum S. Thoma in prima parte, Quaest 76, a. 1 ad 5um, quod « anima illud esse in « quo subsistit communicat materiae corporali, ex qua et anima « intellectiva fit unum, ita quod *illud esse quod est totius compo-*

« *siti, est etiam ipsius animae,* quod non accidit in aliis formis « quae non sunt subsistentes. Et propter hoc anima humana « remanet in suo esse, destructo corpore, non autem aliae for- « mae ». Scilicet, anima rationalis est cum corpore unum actus essendi subiectum, ita tamen ut in essendo sit a corpore independens, propter gradum intellectivum quo supra caeteras corporeas formas eminet. Atque hoc modo, dum in aliis compositis ex materia et forma, dissoluto composito, perit ipsum *esse* quod amplius subiectum non habet in quo recipiatur, contingit ut dissoluto composito humano, actus essendi maneat, quia adhuc manet sufficiens eius subiectum. Quapropter, *esse* sic est compositi, ut sit etiam ipsius animae, ait S. Thomas. Et ideo exemplum unionis animae et corporis multo magis accedit ad unionem hypostaticam Verbi et humanitatis quam quaelibet alia substantialis unio materiae et formae: pro quanto scilicet humanitas et divinitas sic communicant in eodem esse existentiae, ut tamen illud esse sit esse proprium solius divinitatis, imo, nullo modo secundum rem referatur ad naturam humanam a qua est penitus absolutum, licet in ea suppleat actum essendi creatum, prout suo loco declarabitur.

Tandem, anima non solum unitur corpori ut forma materiae, sed etiam (qua intellectiva), ut principale agens coniuncto instrumento; movet enim linguam ad proprios conceptus significandos, movet manum ad operationem artis, atque ita porro. Et simili quodam modo humanitas assumpta organum est divinitatis ad operationem redemptionis humanae: organum, inquam, non separatum, sed coniunctum in supposito Filii Dei: « Anima, prae- « terquam quod est corporis forma, sui corporis eiusque par- « tium perinde ac congenitorum organorum utitur ministerio. « Non enim putandum est, hominis corpus esse coniunctum in « tellectivae animae organum, ob id quia illud informat et per- « ficit, sed potius quia idem cum ipsa sortitum est subsistere. « Nonne intellectus hominis ad explicandos eorum quae intelli- « git conceptus, lingua utitur quae corporalis est...., et tamen « intellectus nullus corporis est actus? Quemadmodum igitur in- « tellectiva anima miris quidem, veris tamen modis geminum

« habet instrumentum, coniunctum et separatum: non secus, glo-
« riosus Deus universo creaturarum genere veluti organo utitur
« separato; illam autem humanitatem quae in Christo permanet,
« tamquam organum coniunctum assumpsit, ad illa magnifica et
« excellentissima Dei opera, redemptionem generis humani, sancti-
« ficationem hominum peccatorum, aeterni regni aditum. Quare
« Athanasius unionem animae ad corpus, non ut ad materiam,
« sed ut ad instrumentum proprium intuitus, dixit: Sicut anima
« rationalis et caro unus est homo, ita... etc. » (1). Vides ergo, analogias inter unionem Verbi cum carne et unionem animae cum corpore se tenere ex parte communicationis in actu essendi, non autem ex parte compositionis essentiae, et ideo ratio obiecta non sequitur.

Ad 2um dicendum quod sensus Cyrilli est, non esse duas naturas *separatas*, sed naturam divinam coniunctam carni in uno supposito Verbi. Sese enim explicat Cyrillus, epist. ad Ioannem Antiochenum: « Unus est Dominus I. C., *quamvis naturarum* « *differentia non ignoretur*.... Tua vero Sanctitas illorum ora com-
« primere dignetur, qui concretionem vel confusionem vel com-
« mixtionem Verbi Dei cum carne factam esse dicunt. Verisi-
« mile namque est, nonnullos esse qui ista quoque de me in
« vulgus iactent quasi talia dixerim aut senserim » (2). Caeterum,

(1) Inter opuscula Caietani, sermo habitus coram Alexandro VI.

(2) Eadem prorsus habet et pluribus prosequitur Cyrillus, tum in apologetico contra Theodoretum pro XII capitulis (Migne P. G. Tom. 76, col. 395-399), tum in epistola secunda ad Succensum (Tom. 77, col. 242), et alibi passim. Sed Cyrillum pro se loquentem, suamque propriam mentem tam aperte explicantem modernistae penitus recusant, seseque existimant Cyrilli interpretes ipso Cyrillo meliores. Ratio est quia necesse habent invenire Cyrillum Chalcedonensi concilio contrarium, ut suis theoriis de dogmate ab uno sensu in alium sensum sese evolvente apte consulant. Neminem namque fugit quid praesidii eorum causae accederet, si ipse Ephesinae Synodi praeses, dux et protagonista orthodoxiae contra Nestorium, traduci posset tanquam qui incarnationis mysterium in eodem sensu revera intellexisset, quo Eutychiani Chalcedone postmodum anathematizati, unam non modo personam, sed et naturam praedicantes. Nunc autem, quantum abhorruerit Cyrillus a sensu illo, indubitanter demonstrant toties repetitae eius declarationes, secun-

ad alias similes difficultates diligenter observabis, certa esse vocabula quae nonnisi usu subsequenti fuerunt determinata ad restrictam illam significationem quam nunc habent. Unde videmus Hieronymum inquirentem in epistola ad Damasum, utrum dicendum sit esse in Deo unam vel tres hypostases. Non quod de ipsa veritate dubitaret, sed de sensu vocis *hypostasis,* quae litteraliter idem sonat ac *substantia* apud Latinos, et ex sese, tam pro natura quam pro supposito posset adhiberi. Eadem igitur aequivocatio contingebat quoad alias voces, antequam usu ecclesiastico tolleretur. Hinc, cum Cyrillus post Athanasium, unionem Verbi cum carne dicit esse κατα φυσιν, (litteraliter, secundum naturam), vel etiam φυσικην (naturalem), vel etiam ουσιωδη (essentialem): iis formulis non significabatur unio in natura, *prout nunc de natura loquimur,* sed significabatur unio *physica et substantialis,* per oppositionem ad unionem *moralem et accidentalem* quam Nestorius asserebat (1). Nec demum maiorem con-

dum quas *natura Dei Verbi incarnata* nihil aliud dicit quam naturam Verbi unitam carni in ipsius Verbi supposito. Quae etiam dicitur *una*, non unitate numerica, nec unitate compositionis tamquam ex elementis se invicem complentibus, sed unitate adunationis seu convenientiae in eadem hypostasi. « Non enim, ait ad Succensum l. c., in his solis « quae secundum naturam simplicia sunt, ipsum unum vere dicitur, sed « in his etiam quae sunt κατὰ σύνθεσιν coniuncta... Supervacue igitur « ratiocinantur qui asserunt, si una sit natura Verbi incarnata, prorsus « consequi permixtionem atque confusionem factam fuisse, imminuta « nimirum atque subtracta hominis natura ». Nec contra hoc est, quod Cyrillus diu reiecit formulam Orientalium seu Antiochenorum qui volebant ut dicerentur *duae naturae post unionem indivisae*. Ideo enim reiecit, quia hac eadem formula Nestoriani utebantur, intelligentes *indivisae sola indivisione iuris et honoris*. At postquam Orientales sensum explicassent, in quo indivisionem accipiebant, minime dubitavit Cyrillus eis consentire, sicut ipse late exponit in epistola ad Acacium (P. G. Tom. 77, col. 182-202).

(1) Generaliter hic notandum occurrit quod diversi sensus vocum ὑπόστασις et φύσις, vel apud ipsum Cyrillum, vel apud alios antiquos Patres notati, non magis ancipitem faciunt sensum dogmatis, quam perseverans usque nunc aequivocatio vocabuli *substantia*, vel frequens usurpatio nominis substantivi *natura* seu adiectivi *physicum*, ad designan-

fusionem in sensu posteriorum Patrum inducunt concertationes ortae circa vocabula μιξις (*mixtio*), κρασις (*temperatio*), σύγκρασις (*contemperatio*): in quorum singulis aliquid notatur improprium quod heterodoxo sensui favet, et etiam aliquid idoneum quod ad catholicam intelligentiam confert, ut bene ostendit Petavius de Incarn. l. 3, c. 2. Semper enim apud orthodoxos illos doctores, ad illam fidei confessionem reducimur, quam Cyrillus posuit in exordio librorum adversus Nestorium: *Unum esse Christum, non divisum in hominem seorsim, et in Deum similiter, sed eumdem esse et ex Deo Patre Verbum, et ex muliere hominem nostri similem, unaque Deum permanere* (1).

Ad 3um denique dicendum quod, licet *in Deo* non sit aliud secundum rem natura a persona, differt tamen secundum modum significandi. Unde aliud significatur per hoc quod dico unionem in natura, et aliud per hoc quod dico unionem in persona: non quod natura et persona sint aliud et aliud, sed quia *alius et alius importatur unionis modus.* Cum enim in significatione naturae praecidatur omne id quod non constituit essentiam, unionem fieri in natura, esset, creaturam sic uniri Deo, ut novum cum Deo ens constitueret. E contra, cum persona significetur ut subsistens, cuius est habere quae quomodolibet insunt, unionem fieri solum in persona, est, naturam creatam sic uniri Deo, ut incipiat pertinere ad divinum suppositum in sua semper immutabili totalitate ac perfecta integritate manens. Et ideo recte Caietanus notat quod S. Thomas, art. 2 ad 1um, recurrendo ad distinctionem rationis secundum modos significandi inter naturam et personam in divinis, reddidit altissimam rationem quare unio facta est in persona, et non in natura. Non quod realis differentia inter unum et alterum unionis modum proveniat ex modo significandi nominum, sed quia ex modo significandi nominum fit ut unus modus unionis

---

dum quidquid dividitur contra ens rationis, sive sumatur ens rationis pro eo quod in sola intellectus consideratione consistit, sive pro eo quod apud modernos ens morale appellari solet.

(1) Cyrill. l. 1 c. Nest. c. 1.

debeat vocari *in natura*, alter vero toto coelo diversus, *in persona*. Et est ratio adeo profunda et formalis, ut non solum comprehendat quare unio est in persona Verbi, sed etiam quare sit in persona divina ut sic, ita ut, dato quod Deus non esset trinitas, sed Deitas ipsa per seipsam persona esset, (ut Iudaei intelligunt), responsio inveniretur satisfactiva argumento.

Atque hinc tandem videre est quomodo doctrina huius quaestionis per se praescindit a pluralitate personarum in divinis, itemque a dogmate quo una tantum persona creditur incarnata. Unde, ut certus ordo servetur, difficultates provenientes ex hoc quod solus Filius carnem assumpsit, non autem Pater nec Spiritus Sanctus, examinari potius debebunt in Quaest. 3, ubi de persona assumente. Nunc autem *propriissimum* obiectum praesentis disputationis est enucleatio formalis rationis hypostaticae unionis naturae creatae cum Deo, quidquid sit an sint in Deo plura relativa supposita, an una tantum persona absoluta.

THESIS VI.

(Art. 3-6).

Haeretica est sententia eorum qui unionem incarnationis in persona, sed non in supposito seu hypostasi factam esse dixerunt. Item eorum qui posuerunt partes naturae humanae a se invicem separatas uniri Filio Dei accidentaliter. Sed fide catholica tenendum est, unionem divinitatis ad humanitatem esse hypostaticam, id est, secundum subsistentiam. Adeoque recte dici potest, personam Christi post incarnationem esse compositam, in quantum una et eadem in duabus naturis subsistit.

Post expositionem veritatis catholicae in generali excludit S. Thomas expositiones *materialiter* haereticas, quae ab anterioribus quibusdam theologis de schola Abelardi fuerant introductae, eisque opponit orthodoxam ac legitimam interpretationem. Sequitur autem ordinem trium sententiarum quae referuntur in III Sent. Dist. 6. Nimirum, in art. 3 refutat opinionem primam.

Tum in art. 4 confirmat opinionem secundam, quae tamen, ut inferius ait, *non est dicenda opinio, sed sententia catholicae fidei.* Denique in art 5 et 6 reiicit opinionem tertiam, quam simul cum prima, in eadem reprobatione confundit, affirmans quod *non sunt dicendae opiniones, sed haereses in Conciliis ab Ecclesia damnatae* (1). Nos vero praedictum ordinem paululum invertentes, primo quidem excludimus ea quae adversantur veritati, et postmodum statuimus id quod secundum fidei regulam tenendum est.

§ 1.

(Art. 3).

Quidam igitur dixerunt, (et est prima opinio a Magistro l. c. relata), esse in Christo duo supposita, hoc est, duos subsistentes, quia et Verbum est subsistens, et ex coniunctione animae cum corpore resultat alius subsistens, nempe hic homo qui est individua substantia. Nihilominus, aiebant, una est persona Verbi Dei et illius hominis, quia a Verbo Dei assumptus est homo ille: « Dicunt, in ipsa Verbi incarnatione hominem quem-« dam ex anima rationali et humana carne constitutum... Con-« cedunt etiam hominem illum assumptum a Verbo, et unitum

(1) Mirum videri posset quod apud magistrum tres illae sententiae tali ordine recenseantur, ut in eadem linea veniant opiniones haereticae cum doctrina orthodoxa. Verum admiratio cessabit, si quis consideret quod auctores primae et tertiae opinionis non fuerunt formales haeretici, sed theologi *qui putabant se catholice dicere,* ut ait Caietanus art. 6 huius quaestionis. Caeterum nec ipse Magister hac in re satis perspexerat veritatem. Unde refert *mere historice* varias explicationes quae suo tempore prodierant in scholis, simul cum fundamentis quibus singuli opinantes innitebantur. (Migne, P. L. Tom. 198, col. 1043, seq., et 1129, seq.). Notandum autem quod opiniones erroneae primam originem habuerunt a Petro Abelardo qui propter ingenii subtilitatem, plurimam apud multos obtinuerat auctoritatem, sed et abusu dialecticae multa nova contra antiquam fidem molitus est. Vide ad exemplum quomodo sophisticat circa mysterium incarnationis in *epitome theologiae christianae,* quam vocat Bernardus librum sententiarum eius (Migne, Tom. 178, col. 1733).

« Verbo, etc. » (1). Sed hunc errorem facile refutat S. Thomas tribus rationibus.

Primo quia in naturis rationalibus suppositum et persona omnino convertuntur, ac per hoc, attribuere humanitati Christi proprium suppositum, est etiam attribuere illi propriam personalitatem. Unde in Concilio V, can. 5, dicitur: « Si quis introducere conetur in mysterio Christi *duas hypostases seu duas personas,* anathema sit; nec enim adiectionem *personae vel hypostasis* suscepit Sancta Trinitas, incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo ».

Secundo, quia etiamsi concederetur personam aliquid addere supra suppositum naturae intellectualis, illud quod adderet non esset aliud quam accidens, puta specialis dignitas cui specialis honor debeatur. Sequeretur ergo in opinione illa, hominem Christum cum Verbo Dei non uniri nisi secundum quamdam communionem dignitatis et honoris. Sed haec conclusio est ipsa haeresis Nestorii reprobata in Synodo Ephesina, can. 3: « Si quis in uno Christo dividit hypostases post adunationem, sola copulans eas coniunctione quae secundum dignitatem quamdam vel auctoritatem est, et non magis concursu secundum adunationem physicam, anathema sit ».

Tertio, quia communicatio idiomatum non fit inter ea quae separatim in se subsistunt. Si ergo esset in Christo aliud suppositum praeter suppositum Verbi, iam de aliquo alio quam de Verbo verificarentur ea quae sunt hominis, puta esse natum de Virgine, esse passum, crucifixum, mortuum et sepultum. Et hoc etiam damnatum est in Concilio Ephesino his verbis: « Si quis personis duabus vel hypostasibus eas quae sunt in evangelicis et apostolicis Scripturis impartitur voces..., et quasdam quidem velut homini praeter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero velut Deo decibiles, soli ex Deo Patre Verbo, anathema sit ». Sic ergo patet, inquit S. Thomas, haeresim esse olim

(1) Apud Magistrum Sent., ubi supra.

ab Ecclesia damnatam, dicere quod in Christo sunt duae hypostases vel duo supposita, sive quod *unio facta est in persona, non tamen in supposito vel hypostasi.* Unde in praefata Synodo dicitur: « Si quis non confitetur carni secundum hy-
« postasim unitum ex Deo Patre Verbum, unumque esse Chri-
« stum cum sua carne... Deum et hominem, anathema sit ». Et haec quidem de opinione prima.

§ 2.

(Art. 5-6).

Fuerunt itaque alii qui intendentes vitare *dualitatem suppositorum* (quam cum *dualitate personarum* idem omnino esse intelligebant), alia via censuerunt esse procedendum. Et est tertia opinio apud Magistrum, ubi supra. « In incarnatione
« Verbi aliquam substantiam ex anima et carne compositam
« diffitentur, sed sic illa duo, scilicet animam et carnem,
« Verbi personae unita esse aiunt, ut non ex illis duobus
« aliqua substantia fieret sive componeretur, sed illis duobus
« velut indumento Verbum Dei vestiretur ut mortalium oculis
« congruenter appareret. Qui ideo dicitur factus verus homo,
« quia veritatem carnis et animae suscepit, quae duo etiam
« in singularitatem suae personae accepisse legitur: non quia
« illa duo, vel aliqua res ex illis composita, sit una persona
« cum Verbo, sed quia illis duobus accidentibus Verbo, non
« est personarum numerus auctus, ut fieret quaternitas in Tri-
« nitate ». Quare, opinio ista in aliquo concordat, cum praecedenti, et in aliquo ab ea differt. Concordat, quatenus nullam agnoscit unionem secundum subsistentiam; differt, quatenus ab humanitate assumpta necessario auferendam esse videt rationem *suppositi*, id est, *completi subsistentis.* Huic tamen necessitati haud aliter consulendum existimat, quam negando in Christo unionem animae et corporis, unionem scilicet ex qua resultasset homo subsistens, adeoque perfecta hypostasis. Caeterum, tam corpus quam anima accidentaliter uniuntur Verbo, non quidem ut accidens subiecto, sed sicut vestis supposito vestito, et hac

ratione putabant auctores illi mysterium incarnationis exponere modo rationi consentaneo, quin in praecedentis sententiae errorem impingerent.

Verum, huiusmodi opinio dupliciter derogat veritati fidei. Primo, in quantum dicit non esse factam unionem animae et corporis in Christo. Sequeretur enim Christum non esse hominem verum, eiusdem speciei cum aliis, quod est haereticum. Secundo, in quantum vult Verbum univisse sibi partes naturae humanae unione tantum accidentali. Non quod repugnet unio accidentalis inter plures substantias, puta inter substantiam creatam et Deum, (nam licet substantia non possit esse accidens alicuius, tamen coniunctio unius substantiae ad alteram accidens esse potest, sicut cum vestis advenit homini); sed quia unio mere accidentalis minime sufficit ad verificanda ea quae de incarnationis mysterio revelatio docet: puta, quod Deus vere sit homo, et quod proprietates humanae naturae vere attribuantur hypostasi Verbi. Sane vero, unio accidentalis inter substantias non contingit nisi dupliciter: vel secundum contactum quantitatis, vel secundum contactum virtutis. Et cum contactus quantitativus non sit nisi corporum, relinqueretur in praesenti solus coniunctionis modus qui est motoris cum mobili: quatenus Verbum assumpsisset humanam naturam, sicut angelus Raphael assumpsit corpus ut Tobiae ministraret, vel sicut Spiritus Sanctus assumpsit speciem columbae ad sui manifestationem. Sed haec assumptio non facit praedicari naturam assumptam de assumente, nec proprietatem assumpti vere transfert in assumentem. Non enim angelus assumens corpus vere corporeus praedicaretur, nec unquam Spiritus Sanctus dici potuit minor Patre propter naturam columbae in qua hominibus apparuit. Sic igitur patet, concludit S. Thomas (1), quod haec opinio non potest dicere quod Filius Dei vere sit homo, vel vere sit passus; et ideo, cum neget veritatem articulorum fidei, condemnata est in decretali Alexandri III ut haeretica (2).

Auctores autem huius sententiae muniebant se verbo Apo-

(1) In III, D. 6, Quaest. 3, a. 2.

(2) Decretalem Alexandri vide in Enchiridio, n. 330.

stoli, ad Philipp. II-7: *Habitu inventus ut homo*, quasi Verbum se haberet ad humanitatem, sicut homo ad habitum sive vestem, nec plus nec minus. — Sed contra hoc est, quod Apostolus, ad Rom. IX aperte docet Christum hominem esse super omnia Deum benedictum in saecula. Porro, etsi propter coniunctionem cum veste dici possit homo vestitus, non tamen vestis, quod est praedicari, non *in quid*, sed *in quale*. Eadem igitur ratione, si vera esset haec sententia, Deus non posset dici homo, sed ad summum humanatus, vel potius, in carne et anima sese manifestans. — Praeterea, quid sibi idem Apostolus vellet, cum ait Filium Dei *exinanivisse semetipsum*, id est, incepisse existere in parvitate seu inanitate naturae nostrae, si unio eius ad humanitatem nihil importaret praeter id quod importat coniunctio vestis cum vestito? An forte exinanitio fuit, cum Deus in theophaniis V. T. per creaturam sibi subiectam patriarchis apparuit? — Sed nec videtur nomen habitus nunc sumi pro ultimo decem praedicamentorum, nam graece est σχημα, scilicet figura, et sensus est, Christum nihil a caeteris hominibus specie etiam externa discrepasse. Quamquam nihil adhuc sequeretur, etiamsi daremus sensum huius loci esse, quod Verbum fuit humanitate indutum velut vestimento. Et ratio est quia unio incarnationis nullum habet apud nos exemplum adaequatum, nec potest inveniri comparatio quae conveniat in omnibus. « Humana ergo « natura in Christo assimilatur vestimento, inquit Angelicus ([1]), « non quidem quantum ad accidentalem unionem, sed quantum « ad hoc quod Verbum videtur per humanam naturam sicut « homo per vestimentum; et etiam quantum ad hoc quod vesti- « mentum mutatur, quia scilicet formatur secundum figuram eius « qui induit ipsum, qui a sua forma non mutatur propter vesti- « mentum. Et similiter humana natura assumpta a Verbo Dei « est meliorata, ipsum autem Verbum Dei non est mutatum ». Quae etiam responsio adhibenda est quoad omnes textus in quibus unio incarnationis assimilatur *inhabitationi* divinitatis in humanitate Christi (Coloss. II-9, etc.).

([1]) Art. 6, ad 1um.

Omnino ergo apparet, tertiam opinionem a Magistro relatam reduci, non secus ac primam, ad haeresim Nestorii, quam non conatur vitare nisi addendo aliquid peius: scilicet, animam in Christo non informare corpus, quod est in re ipsa negare veritatem humanitatis.

§ 3.

(Art. 6).

Duae opiniones hactenus refutatae, *unionem in persona nonnisi verbo tenus* affirmabant. Nam prima ponebat duo distincte subsistentia in duabus naturis intellectualibus, quod est ponere secundum rem, personas duas. Altera ponebat partes humanae naturae quasi extrinsecus adiacentes Verbo, sicut adiacet vestis vestito vel corpus angelo, et hoc etiam est removere unionem in hypostasi. Fides autem catholica. ut in propositione praecedenti iam declaratum est, confitetur *unionem in persona veram et realem,* quae sola in causa esse potuit cur de uno eodemque Deo Verbo cum veritate praedicarentur, tam quae divinitatis, quam quae humanitatis sunt. Sed hinc statim consequitur, agnoscendum esse in hoc mysterio eum unionis modum quem praecedentes sententiae communiter reiiciebant: videlicet, **unionem hypostaticam** sive **secundum subsistentiam**. Non quod oporteat omnem unionem in persona esse huiusmodi, sed quia ratione materiae seu terminorum, alia unionis ratio debet necessario excludi.

Ad cuius evidentiam considerandum est quod unio quae est *tantum in persona seu hypostasi,* dupliciter dividitur. Nam hypostasis habet duplicem actum, ut ex praecedentibus liquet. Habet primo actum hypostaticum, seu ipsam incommunicabilem subsistentiam per quam in esse hypostasis formaliter constituitur; habet praeterea actum accidentalem, qui ad eam non pertinet nisi per accessionem et inhaerentiam. Si qua igitur forma uniatur alicui supposito, ei inhaerendo, tunc fit *unio in hypostasi, sed non secundum hypostasim,* quemadmodum videre est in omni unione accidentis ad subiectum, puta cum homo efficitur filius Dei adoptivus per infusionem gratiae. Nam gratia unitur homini

in persona, non ut communicans in esse hypostatico, (quasi homo inciperet subsistere secundum hanc formam), sed ut afferens esse accidentale quod superadditur subsistenti. Si autem aliqua natura substantialis traheretur ad ipsam personae praeexistentis subsistentiam, quatenus persona illa nullum novum esse sibi inhaerens acquireret, sed tantum inciperet subsistere duabus distinctis rationibus subsistendi, id est, tum in propria sua natura, tum in natura de novo sibi unita: tunc unio fieret *praecise in hypostasi et secundum hypostasim,* adeoque vere hypostatica diceretur (1).

Quod igitur unio eiusmodi necessario sit in praesenti mysterio agnoscenda, facile deducitur ex praemissis. Removere enim oportet *unionem per inhaerentiam,* quia nec Deus est subiectum inhaesionis, nec humana natura more accidentis inhaerere potest. Et hac de causa dictum est superius, quod unio accidentalis inter humanitatem et Verbum non esset fingenda instar unionis subiecti et accidentis, sed potius instar coniunctionis duorum suppositorum, aliquo accidente unitorum: quo in casu, nulla esset unio in persona, ut constat in terminis. Relinquitur ergo *unio secundum subsistentiam,* qua sola posita, verificatur quod Deus Verbum sit homo (Ioan. I-14), et quod hic homo Christus sit Deus in saecula benedictus (Rom. IX-5). Et re quidem vera, una singularis substantia de alia substantia non praedicatur si unaquaeque in se subsistat; aliunde vero, propositio ista, Deus est homo, nonnisi hoc modo exponi potest: Qui subsistit in divinitate, ille idem subsistit in humanitate. Omnibus ergo viis devenitur ad unionem quae sit non solum in hypostasi, verum etiam secundum hypostasim sive subsistentiam.

(1) Ergo ad unionem hypostaticam duae conditiones requiruntur: primo, ut unio sit solum in hypostasi, et nullo modo in natura; secundo, ut sit secundum subsistentiam. Quare, nec unio animae et corporis, nec unio accidentis cum subiecto, hypostatica dicenda est: prior quidem, propter defectum primae conditionis: posterior vero propter defectum secundae. Caeterum, unio hypostatica non est ratione naturali nota, et non potest esse naturae creatae ad hypostasim creatam, sed solum ad increatam et divinam, ut postea apparebit.

Hinc in Concilio V, can. 4 legitur: « Sancta Dei Ecclesia « utriusque perfidiae (Eutychianae et Nestorianae) impietatem reii- « ciens, unionem Verbi Dei ad carnem confitetur secundum sub- « sistentiam » (1). Hinc Cyrillus in epistola ad Nestorium (2): « Non enim dicimus quod Verbi natura conversa facta est caro..., « illud vero magis, quod carnem animatam anima rationali uniens « sibi Verbum *secundum subsistentiam,* ineffabiliter et incompre- « hensibiliter factus est homo, et appellatus est filius hominis ». Et in alia epistola quam ut praeses Synodi Alexandrinae idem Cyrillus conscripsit: « Unitum autem esse carni *secundum subsi-* « *stentiam* confitentes Verbum, unum adoramus Filium et Domi- « num Iesum Christum; neque per partes ponentes et dividen- « tes hominem et Deum, utpote coniunctos sibi invicem dignita- « tis et auctoritatis unitione, (novitas enim vocis hoc est, et aliud « nihil); neque Verbum quod ex Deo est, specialiter Christum « nominantes, et simili modo specialiter quasi Christum, alterum « eum qui ex muliere est: sed unum scientes Christum, Verbum « quod ex Deo Patre est, cum sua carne... Unitum enim, sicut « praediximus, Dei Verbum carni secundum subsistentiam, Deus « quidem est omnium, dominatur autem universitati » (3).

Sed iam, ad ultimam propositionis partem conclusionis instar, gradum facere oportet. Est autem de compositione personae Christi, de qua dicendum ut sequitur.

§ 4.

(Art. 4).

Doctrina catholica mox exposita continetur in secunda ex tribus opinionibus quas refert Magister, et quae sic habebat: « Dicunt... unam personam tantum esse, ante incarnationem vero « solummodo simplicem, sed *in incarnatione factam compositam* « *ex divinitate et humanitate.* Nec est ideo alia persona quam

(1) Enchirid. n. 175.
(2) Cyrill. Alex. epist. 4, Migne P. G. Tom. 77, col. 46.
(3) Ibid. Epist. 17, col. 110.

« prius, sed cum prius esset Dei tantum persona, in incarnatione « facta est hominis etiam persona... Persona ergo quae prius erat « simplex, et in una tantum natura exsistens, in duabus et ex « duabus subsistit naturis; et persona quae tantum Deus erat, « facta est etiam verus homo, subsistens non tantum ex anima « et carne, sed etiam ex divinitate; nec tamen persona illa de- « bet dici facta persona, quamvis dicatur facta persona hominis. « Facta est igitur illa, persona quidem subsistens ex anima et « carne, sed non est facta persona vel substantia: *et in quantum « est ille subsistens, composita est; in quantum autem Verbum est, « simplex est* ». Hinc igitur apparet quod compositio personae Verbi incarnati assumebatur velut quoddam quasi symbolum secundae sententiae. Porro, auctores primae et tertiae opinionis ideo praecise in sententias erroneas superius reiectas abibant, quia omnem compositionem a divina Verbi persona removendam existimabant. Inspiciendum itaque est, an et quo sensu compositio possit, imo et debeat admitti.

Videretur ergo quod dici non debet, personam Verbi post incarnationem esse compositam. Et primo quidem, quia Deus nec est compositus, nec in compositionem aliorum venire potest.

Secundo, quia persona divina est immutabilis. Si autem prius fuit simplex, et postea composita, profecto est mutata.

Tertio, quia in tantum divina persona incarnata assereretur composita, in quantum subsisteret ex duabus naturis. Atqui persona Verbi non subsistit *ex* natura humana, sed tantum *ex* divina, ut recte dicitur l. 4 c. Gent. c. 49. Ergo a persona divina omnino removenda compositio.

Sed contra est quod habetur in Concilio V, can. 4: « Si « quis... non confitetur, sicut Sancti Patres docuerunt, unitatem « Verbi Dei ad carnem... *secundum compositionem,* id est secun- « dum subsistentiam factam..., talis anathema sit ».

Ad huius ergo quaestionis elucidationem distinguit S. Thomas duplicem respectum sub quo considerari debet persona Christi seu Verbi incarnati, scilicet: *secundum illud quod est in se,* tum praeterea, *secundum rationem personae vel hypostasis.* Persona secundum illud quod est in se, idem est ac persona se-

cundum sui intrinseca constitutiva. Persona autem secundum rationem personae vel hypostasis, est persona prout in aliqua natura subsistens. Subsistere enim in tali vel tali natura, sive exercere actum exsistentiae secundum hanc aut illam substantialem formam essendi, est proprium hypostasis in quantum huiusmodi. Et quia natura in qua subsistitur potest esse natura etiam assumpta, non pertinens ad intrinsecum assumentis constitutivum, consideratio personae secundum illud quod est in se, non coincidit cum consideratione personae secundum rationem personae vel hypostasis. Primo igitur modo, persona Verbi est omnino simplex, uti evidentissime patet, et humana natura est ei extrinseca. Secundo modo, recte dicitur composita, quatenus inveniuntur in ea duae naturae, quarum unaquaeque est Verbo ratio subsistendi, divina quidem subsistendi simpliciter, humana vero subsistendi ut homo (1). Hinc Damascenus, l. 3 de fide orthod. c. 7: « Divinam itaque Dei Verbi hypostasim dicimus ante « omnia exstare, simplicem nec compositam (ἀσύνθετον), omnia « habentem quae Pater habet, quia eiusdem cum eo substantiae

(1) Rursus notandum hic occurrit id quod supra dictum est ubi de unione in persona et unione in natura. Nam ex hoc quod unio est in persona, non sequitur quod sit etiam in natura, tametsi in Deo idem sint natura et persona; idem dico secundum rem, sed non idem secundum modum significandi. Et diversitas in modo significandi facit ut specialis ille modus unionis qui consideratur in incarnatione, debeat appellari unio in persona, minime vero in natura. -- Simili itaque modo, ex hoc quod persona Verbi dicitur esse composita, non licet concludere quod natura est composita, quamvis natura et persona re idem sint. Natura enim divina non significat Deum nisi secundum illud quod in se est. At persona divina significat Deum, etiam secundum quod potens est subsistere in natura assumpta. Et ideo compositio quae sequitur ad assumptionem debet appellari compositio personae sub ratione personae, minime vero compositio naturae. Nec dicas quod modi significandi nihil faciunt ubi agitur de compositione secundum rem. Hoc enim verum esset si modus significandi afferretur tamquam ratio compositionis quae est secundum rem. Sed verum non est si affertur tantum ut ratio cur specialis ille compositionis modus qui consequitur unionem secundum subsistentiam, *appellari debeat* compositio personae, sub ratione personae, non autem compositio naturae.

« est, et sola generationis relatione a Patris hypostasi discre-
« tam ; caeterum in novissimis diebus, Verbum in sanctae Vir-
« ginis utero habitasse, fecisseque ut caro ex sancta Virgine as-
« sumpta in sua saeculis antiquiore hypostasi exsisteret... Incar-
« natus itaque est, ita ut ipsa Verbi hypostasis, hypostasis etiam
« carnis facta fuerit, et Verbi persona quae ante simplex erat,
« composita evaserit : composita, inquam, ex duabus naturis per-
« fectis, divinitate nimirum et humanitate. Ωστε σὺνθετον γενέ-
« σθαι τὴν πρότερον ἁπλῆν οὖσαν τοῦ Λόγου ὑπόστασιν, σύνθε-
« τον δὲ ἐκ δύο τελείων φύσεων, θεότητός τε καὶ ανθρωπό-
« τητος ».

Ad 1um igitur dicendum quod dupliciter dici potest aliquid componi ex pluribus. — Uno modo tanquam ex partibus, id est, ex principiis non habentibus proprium esse, sed concurrentibus ad constitutionem totius, cui soli competit esse primo et principaliter. Et hoc sensu, persona Christi nec habet in se compositionem, nec in compositionem alicuius venit. De ratione enim summae simplicitatis est, ut nec composita sit ex partibus, nec componibilis alteri tanquam pars (1). — Alio modo dicitur compositum ex diversis, illud in cuius esse plura conveniunt, quin tamen esse ipsius ex coniunctione causetur, vel in aliquo resultante subiectetur. Et per hunc modum persona Christi compo nitur ex naturis, quia in esse personali Verbi convenit una et altera natura, quamvis aliter et aliter : humana quidem per assumptionem, divina vero per identitatem (2). Porro, tantum abest quin posterior ille modus aliquem importet defectum in persona quae dicitur composita, ut e contra, infinitam in ea arguat perfectionem. Assumere enim ad suum esse aliquid quod nec est, nec efficitur pars propriae naturae assumentis, nonnisi actui pu-

(1) Nota quod pars est semper in potentia ad perfectionem totius ; et ideo cum Deus sit simplicissimus simplicitate perfectionis et actus, omnino repugnat ut pars totius exsistat.

(2) Illa compositio personae ex naturis, inquit Angelicus in responsione ad 2um, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri : sicut « omne illud in quo duo conveniunt, potest dici ex iis compositum ».

rissimo convenire potest, ut postea apparebit. Priorem ergo compositionem excludit Angelicus, cum dicit personam Verbi, *secundum illud quod est in se,* esse omnino simplicem; et alteram tantum admittit, ubi ait personam Verbi esse compositam *secundum rationem personae vel hypostasis,* seu *in quantum unum duobus subsistit.* Sed quia verbum compositionis calumniabile est, inquit S. Bonaventura, in III, D. 6, a. 1, q. 2, non est passim adhibendum absque adiecta declaratione: per quam scilicet excludatur intellectus compositionis, prout apud nos communiter accipi solet, id est, compositionis partium (1).

Ad 2um dicendum quod ratio procederet, si persona Verbi diceretur esse composita secundum illud quod est in se, vel venire in compositionem alicuius per modum partis. Nunc autem asseritur composita, quatenus ex hoc solo quod humanitas trahitur in communionem esse personalis Verbi, incipit Verbum sine sui mutatione esse hypostasis divinae simul et humanae naturae, cum prius non esset nisi divinae.

Ad 3um denique dicendum quod si ly *ex* determinet illud quod est Verbo ratio subsistendi simpliciter. Verbum non potest dici subsistere ex humanitate. Et hoc sensu ait S. Thomas, loco citato contra Gentes: « Hypostasis non extenditur extra ter-« minos illius naturae ex qua subsistentiam habet. Non autem « Verbum Dei subsistentiam habet ex natura humana, sed magis

(1) Quidam distinguunt compositionem *ex his*, et compositionem *cum his*. Per compositionem ex his, intelligunt compositionem tamquam ex partibus, et consequenter illam removent a Verbo. Per compositionem cum his, intelligunt compositionem quae est solum, *simul cum alio positio;* volunt autem personam Verbi esse compositam cum his. Verum compositio *cum his* nondum explicat unionem secundum subsistentiam, quia, ut dicit S. Thomas in III, D. 6, q. 2, a. 3, tam prima quam tertia opinio admittebat compositionem cum his. Nam et in homine vestito qua tali, habetur eiusmodi compositio, et similiter in quacumque accidentali unione duorum subsistentium. Potius igitur dicendum quod compositio incarnationis est omnino singularis, et non solum *cum his*, verum etiam *ex his* dici potest, pro quanto Verbum exercens suum personalem actum in natura tum divina tum humana, ex natura divina subsistit simpliciter, ex humana autem subsistit ut homo.

« naturam humanam ad suam subsistentiam vel personalitatem « trahit; non enim per illam, sed in illa subsistit ». Si autem ly *ex* designet in confuso illud quod est Verbo ratio subsistendi, vel simpliciter, vel in quantum homo, recte dici potest Verbum subsistere ex divinitate et humanitate. Unde in eodem capite contra Gentes S. Thomas docet: « Cuiuslibet rei subsistentis « oportet esse unam naturam tantum per quam simpliciter esse ha- « beat: et sic Verbum Dei per solam naturam divinam simpliciter « esse habet, non autem per naturam humanam. Sed per eam habet « quod sit hoc, scilicet quod sit homo ». Et rursus in tertia Parte, Quaest. 2, a. 4, ait esse in Verbo aliam et aliam rationem subsistendi. Et denique, in symbolo Athanasiano legitur: « Perfe- « ctus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne « subsistens ». Et sic patet responsio ad instantiam.

THESIS VII.

(Art. 2, ad 3um. — In III, Dist. 6.).

Non explicatur unio incarnationis per hoc quod Verbum assumpsit naturam cui omnia adsunt positiva hypostasis creatae constitutiva, et sola deest ad personae rationem assumptionis negatio. Item nec per hoc quod humanitas propriam habens exsistentiam, sed modalitate personalitatis destituta, formaliter coniungitur Verbo per quemdam, ut aiunt, unionis modum substantialem. Item nec per hoc quod personalitas Verbi est loco illius termini quo alias, iuxta Caietanum, natura creata ultimo terminatur et fit suppositum. Sed explicatur per hoc quod humanitas sic communicatur Verbo, ut in illo exsistat, et non in semetipsa; quatenus scilicet, cum omnis realis natura creata non sit secundum se nisi aliquid *sustentabile* in ordine rerum, et non consequatur esse *sustentatum* nisi ex unito sibi actu essendi, esse personale Filii Dei supplet vices creati exsistentiae actus qui assumptae humanitati naturaliter debebatur.

Ingredimur quaestionem usque nunc agitatam inter catholicos. Cum enim omnes uno corde credant atque uno ore profi-

teantur, Christum esse verum Deum simul et verum hominem, unam personam, unum Verbi suppositum in duplici natura subsistens, (quia haec est fides orthodoxa quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non poterit): ulterius fit inquisitio *de scientifica expositione* eius quod communi fide tenetur. Quidam enim dicunt: obiectum quod fide catholica credimus, adaequatur per explicationem primam. Alii dicunt: non, sed per secundam vel tertiam. Nos dicimus: nequaquam, sed per ultimam. Quare, si refutando unam vel alteram ex his de unione hypostatica sententiis, arguo et dico: Expositio in quam *scientifice* resolvis obiectum communiter a nobis creditum non reddit id ipsum quod creditur, sed reddit aliquid aliud quod non est vera incarnatio, nec vera unio humanitatis ad Verbum secundum subsistentiam: absit ut tibi imputem errorem in fide, vel recenseam quemquam inter haereticos aut dubiae notae catholicos. Sed unice expono quid post summos magistros *de vera aequatione obiecti crediti* tenendum videatur, et iure meo utor proponendo omnia argumenta quae ad rem facere possunt. Caeterum, quia hic tantum valet auctoritas quantum ratio, si rationes appareant convincentes, approba quod dico. Sin minus, remaneamus uterque in propria sententia, donec forte Ecclesia cui in rebus fidei parati sumus omnes obedire, aliquid de hac controversia determinaverit. His igitur praemissis:

§ 1.

Excluditur sententia Scoti et Tiphanii.

Haec sententia vult, Verbum assumpsisse humanitatem cum omnibus principiis quibus homo quispiam subsistens constituitur: omnis enim realitas substantialis quae est in Petro, invenitur univoce in humanitate Christi. Nihilominus humanitas illa non est quid subsistens, nec persona, quia ex hoc solo quod assumitur, cadit a ratione *totius in se,* et induit quamdam rationem partis. Unde tandem, una est in Christo persona et unum suppositum, licet in eo sit *actu* id omne quod cessante unione constitueret suppositum distinctum a supposito Verbi.

Sed contra est quod in hac sententia humanitas est aliquid substantialiter completum: completum, inquam, in omni linea substantiae, sive substantia accipiatur pro natura, sive accipiatur pro hypostasi. Ergo humanitas est per se suppositum condistinctum a Verbo. Ergo non pertinet ad suppositum Verbi. Omnes consequentiae sunt apertae atque evidentes. Satis est igitur ut demonstretur antecedens. Porro demonstratio ista facili negotio perficitur, quandoquidem fatentibus adversariis, nihil positivum humanitati deest quod ad ultimum suppositi complementum requiratur. Aliunde vero, impossibile omnino est ut eadem humanitas amittat rationem totius completi propter solam adiunctionem ad Verbum, quia per additionem ad aliud nihil fit ex completo incompletum in eo ordine in quo de se complementum habet, nisi pereat vi unionis ultimus actus constituens in esse completo (1). Hic autem vi additionis nihil perit. Ergo dicere quod ratione additionis ad alterum humanitas fit incompleta substantialiter, adeoque cadit ab esse hypostasis, idem est

(1) Hoc principium sumitur ex ipsis rationibus formalibus totius et partis, et valet in omni ordine. — Vide hunc lapidem qui nunc iacet in terra et postea domui aedificandae aggregatur, muroque superimponitur. Caditne vi additionis a ratione totius, in hac ipsa linea in qua prius erat et manet completum. hoc est, in linea totius substantialis, et ut sic dicam, suppositalis? Minime. Semper est aliquod totum in se subsistens, sed incipit esse pars pure et simpliciter in ordine illius totius per accidens, in quo nec erat nec est completum. — Attende nunc combinationem chimicam quam periti iure meritoque distinguunt a meris mixtionibus. Habes duo substantialiter completa et perfecta, puta oxygenium et hydrogenium. Vi combinationis quae responderet additioni in sententia Scoti, utrumque cadit a ratione totius substantialis, et non solum totius suppositalis, sed etiam totius essentialis seu naturalis. Sed hoc praecise est quia vi additionis seu combinationis perit actus quo constituebantur in esse completo naturae et suppositi; perit forma substantialis, perit esse, et fit novum ens, scilicet aqua, cui actu non immanet nisi materia utriusque componentium. — Quorum omnium ratio metaphysica et veluti mathematica est, quia quamdiu retinentur omnia positiva quae in aliquo ordine complent, tamdiu manet ens in eodem ordine completum. Si quid igitur sit ultimo completum in omni linea substantiae. et nihil amittat eorum quae complent, semper erit in hac ipsa linea completum, adeoque hypostasis sive suppositum.

ac dicere quod complementum non habet retinendo *actu* omnia principia suae completionis, quod est contradictorium in terminis.

Praeterea, ratio unitatis in negatione divisionis reponitur (1). Omnis autem negatio fundatur in positivo. Ergo in omni unitate oportet invenire aliquid positivum in quo fundamentum habeat indivisio. Et si quidem unitas sit unitas simplicitatis, positivum illud est ipsa entitas simplicis. Si autem sit unitas compositionis, debet esse certa quaedam actualitas in qua unita aliquo modo communicant: sicut anima et corpus communicant in eadem completa ac perfecta essentia, sicut individum naturae et actus essendi communicant in eadem actualitate exsistentis per se et in se, sicut subiectum et accidens communicant in eodem esse secundum quid, sicut lapides domus communicant in eadem forma artificiali, atque ita porro. Ex his igitur principiis quae perspicua sunt satis, sic arguo: Omnis unitas quae ultimo explicatur per ipsam indivisionem, quin detur aliquid positivum indivisionem fundans, est unitas chimaerica. Atqui in sententia Scoti unitas Verbi incarnati ultimo explicatur per indivisionem ipsam, et excluditur omne positivum quod indivisionem fundet. Ergo unitas quam adstruit haec sententia, non est unitas vera, sed imaginaria et ficta. Maior constat ex ipsa formali ratione unitatis. Minor probatur, quia humanitas et Verbum non communicant neque in natura, neque in substantiali exsistentia, neque in qualibet alia forma, *sed ratio cur sunt unum, est quia indivisa sunt, et ratio cur indivisa sunt, est quia divisa non sunt* (2). Non solum igitur hypostatica unitas est impossibilis, sed ne elementum quidem cuiuscumque alius unionis adhuc est assignatum.

Tertio, non apparet quomodo vitetur inconveniens primae opinionis apud Magistrum, quae ponebat in Christo unam per-

(1) Cf. S. Thomam, in prima parte, Quaest. 11, a. 1, et de Pot. Quaest. 9, a. 7.

(2) Nec refert dicere quod sic vult Deus, et sic facit Deus. Nam Deus non potest facere hominem absque intrinsecis principiis hominis, et similiter non potest facere indivisionem absque formali causa indivisionis; alias faceret ut idem esset simul et non esset.

sonam et duo supposita. Asserit enim Scotus duos sistentes in esse suo, et ita sistentes in esse suo, ut cessante unione, absque ulia additione vel mutatione intrinseca ex parte etiam naturae assumptae, tam humanitas quam Verbum singillatim subsisterent. Ergo et stante unione, humanitas in suis intrinsecis considerata exsistit in se, subsistit, et est hic homo. Unde tandem resolvitur haec sententia in sententiam eorum qui dicebant, « in « ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam assumptum a « Verbo et unitum Verbo ». Nam teste S. Thoma in III, D. 6, Quaest. 2, a 1, prima ex tribus opinionibus supra relatis asserebat quod *assumptum non tantum habet rationem humanitatis, sed etiam hominis, et tamen non potest dici aliquis quia est alteri digniori adiunctum* (1).

Accedunt quarto argumenta quibus repugnare ostenditur omnis unio secundum hypostasim inter eas substantias quae habent singulae propriam exsistentiam. Sed cum in hoc puncto Suarez minime differat a Scoto, communis amborum assertio communem in sequenti paragrapho statim habebit confutationem.

§ 2.

Ubi refutatur sententia Suarezii.

Dico Suarezium cum Scoto consentire quatenus nullam realem agnoscens distinctionem inter essentiam et esse, utrumque terminum in unione incarnationis propria vult exsistentia exsistere; nam et Verbum est suum esse, et similiter humanitas cum suo acto essendi omnino identificatur. Discedit tamen Eximius a Subtili quatenus videt apertam repugnantiam in eo quod humanitati assumptae omnia adsint positiva hypostasis creatae constitutiva; itemque quatenus intelligit chimaericam fore uni-

(1) Mutantur ergo appellationes, sed res ipsa non mutatur. Illud idem quod prima opinio vocabat *hominem assumptum,* Scotus vocat *humanitatem assumptam.* Et illud idem quod dicebant cadere per assumptionem a ratione personae, sed non hypostasis, Scotus dicit cadere a ratione tum personae tum hypostasis. Caetera sunt identica.

tatem quae ultimo resolveretur in ipsam negationem divisionis, verbo quidem tenus assertam, sed omni interim obiectivo fundamento carentem. Et ideo, ad vitanda eiusmodi inconvenientia, aufert ab humanitate Christi substantialem illum personalitatis modum de quo dictum est supra, et loco eius ponit alium modum pariter substantialem, quem *unionis* vocat, ut eo mediante, humanitas copulata Verbo iam pertineat ad eius hypostasim, eique propria efficiatur.

Sed contra est quod haec sententia a vera explicatione unionis hypostaticae dupliciter deficere videtur: primo in eo quod commune habet cum opinione Scoti, secundo in eo quod adstruit ex propriis.

Primo itaque reiicitur sententia Suarezii, pro quanto multiplicat in Christo substantiales existentias. — Et totius summa demonstrationis est, quia oportet ut unius hypostasis non sit nisi unum substantiale esse exsistentiae. Quod quidem principium, tum ex analysi metaphysica, tum ex communi intellectu terminorum, tum ex omnimoda impossibilitate subtrahendi ab humanitate Christi rationem subsistentiae si propria ei tribuatur exsistentia, invicte demonstratur.

Ex analysi quidem metaphysica. Etenim, una hypostasis est unus subsistens; unus subsistens est unus existens in se; unus exsistens in se est ens indivisum indivisione fundata super ipsum esse primum, a quo denominatur ens simpliciter, et hoc est substantiale esse exsistentiae. E converso, ubi dantur duae substantiae quarum unaquaeque propriam exsistentiam habet, ibi sunt duo habentia esse in se; et ubi sunt duo habentia esse in se, ibi est ens et ens, hoc est, ens primo et simpliciter divisum ab ente, quamvis adhuc concipi possit indivisio quoad convenientiam in aliqua coordinatione, quae non facit unum per se, sed unum per accidens. Cogita rursus lapidem qui prius seorsum iacet in terra, et postea aliis lapidibus adiungitur ad domum efficiendam: profecto semper remanet divisus ab aliis in linea entis simpliciter, et non fit pars ab aliis indivisa nisi in ordine compositionis aggregativae quae est forma artificialis, non autem actus entis in quantum est primo ens.

Ex communi intellectu terminorum. Nam si praescindamus a disputationibus scholae, inveniemus nos per hoc nomen *subsistens* apprehendere illud quod habet esse in seipso, nihilque aliud ad rationem subsistentiae desiderari. Ideo in uno subsistente unum esse, quia si plura sint propria sibi exsistentia donata, iam totidem subsistentia confitearis necesse est. Et re quidem vera, quisquis Eutychianae controversiae monumenta percurret, videbit fuisse communiter tum a Patribus catholicis tum ab haereticis Monophysitis admissum hoc principium: subsistentiam videlicet converti cum propria uniuscuiusque substantiae exsistentia. Hinc illud dilemma Severi Monophysitae (1): « Si « duas naturas dicitis, vel illae subsistentiam habent, vel ea ca- « rent. Si subsistentiam habent, personas duas introducitis, Chri- « stos duos, filios duos. Sin subsistentia carent, iam in rerum « natura non existunt ». Cui dilemmati respondebant Patres catholici, non quidem negando argumenti suppositum, sed distinguendo ὑπόστασιν, ἐνύπόστατον, et ἀνύπόστατον, ut videre est apud Damascenum, c. 43-45 dialecticae (2). Quippe, iuxta Damascenum, **hypostasis** est distinctum subsistens: « Sciendum, in- « quit c. 43, sanctos Patres hypostasim et individuum et perso- « nam pro eodem usurpasse, nempe pro eo quod per se atque « in propria subsistentia constat et subsistit, numeroque differt, « ac certum aliquem significat, ut Petrum, Paulum, aliquem « equum. Hypostasis porro παρὰ τὸ ὑφεστάναι, hoc est, a sub- « sistendo dicta est ». **Enhypostaton** vero dicitur, vel natura specifica quae in hypostasi est ut ratio exigitiva subsistentiae, vel pars naturae quae in toto exsistit et per esse totius, vel denique natura aliqua assumpta quae suo proprio esse carens exsistit exsistentia assumentis. « Proprie enhypostaton est, ait « Damascenus, c. 44, aut quod non per se et seorsum subsistit, « sed consideratur in hypostasibus, v. g. species sive hominum « natura... Aut quod cum alio ad totius cuiusdam generationem « componitur, unamque hypostasim compositam efficit, utputa

(1) Apud Migne, Patrol. graec., Tom. 94, pag. 1016 in nota.
(2) Migne, Patr. graec., Tom. 94, pag. 614 et seq.

« homo ex corpore et anima constitutus est; nec vero anima « sola dicitur hypostasis, nec item corpus, sed dicuntur ambo « enhypostata... Rursus autem, *enhypostaton dicitur natura ea quae « ab alia hypostasi assumpta, ut in illa exsistat consecuta est.* Λέ- « γεται πάλιν ἐνύπόστατον ἡ ὑφ᾽ ἑτέρας ὑποστάσεως προσληφθεῖσα « φύσις, καὶ ἐν ἑαυτῇ ἐσχηκυῖα τὴν ὕπαρξιν. Unde etiam Do- « mini caro, cum per se ac seorsim ne momento quidem temporis « exstiterit, nec proinde hypostasis est, sed potius enhypostaton « quid ». Denique **anhypostaton**, vel est id quod nullo modo exsistit, vel id quod alii inexsistit, ut accidens. « Sed et anhy- « postaton duplici modo dicitur. Interdum enim id quod nusquam « omnino est significat; interdum vero id quod in seipso esse « non habet, verum in altero exsistit, hoc est, accidens ». Sic ergo solvebant Patres argumentum Eutychianorum, pro quanto inter hypostasim et anhypostaton dicebant mediare enhypostaton, seu naturam substantialem non exsistentem per proprium esse, (alias foret in se subsistens), sed per esse personae assumentis a quo formaliter habet sustentari extra causas.

Tandem, quidquid habet propriam exsistentiam, per se est *ipsum quod est,* et ex consequenti natum est per se consistere in natura rerum. Nam si per se solum non posset sustentari extra causas, sed indigeret alio comprincipio, ergo per se solum non esset nisi quoddam principium entis. Et contra, si non est purum principium entis, sed ipsum existens in se, evidentissime sequitur quod separatim consistere natum est in natura rerum. Quo posito, quaero: Estne illud subsistens, necne? Si subsistens dicis, ergo quaecumque substantia habens propriam exsistentiam, est subsistens. Si autem dicis non subsistens, peto quam notionem habeas subsistentiae et subsistentis, cum neges subsistere rem quae solide constat a parte rei, quin ad hoc indigeat quocumque subiecto vel comprincipio sibi unito?

Frustra igitur finges necessitatem adiunctae negationis ad subsistentiae complementum, nam certe in conceptu subsistentiae nihil negativum continetur, licet positivam subsistentiae rationem quandoque per negationem circumloquamur, ut si ly *in se* et *per se* exponamus per ly *non in alio.* Frustra etiam imaginaberis

personalitatis modum. Modus enim ille ex hypothesi adversariorum qui ubique identificant essentiam cum esse, superveniret enti in seipso iam exsistenti, adeoque non constitueret subsistens, sed aliunde constitutum praesupponeret. Hinc tandem, si humanitas Christi propria exsistit exsistentia, est etiam subsistens in se; et si est subsistens in se, profecto a Verbo subsistentia differt; et si a Verbo subsistentia differt, nequaquam unitur ei secundum hypostasim.

Concludendum itaque quod omnes sententiae quae humanitati Christi tribuunt proprium esse, id statuunt cum quo hypostatica unio nequit omnino componi. Vel enim sunt duo supposita in Christo, vel si una tantum est hypostasis, super unius incommunicabilis exsistentiae actualitatem unitas suppositi fundetur oportet, omnia intelligendo iuxta ea quae infra declarabuntur. Et sic etiam patet legitimitas praecedentis asserti, quando dictum est realem distinctionem inter essentiam et esse in creatis, theologica ratione constare. Conclusio enim theologica illa est, quae ex veritate revelata per ratiocinium deducitur. Rursus revelata veritas est quod natura humana in Christo unitur Deo secundum subsistentiam. Denique ex huius veritatis revelatione statim licet sequentes deductiones eruere: Si aliqua natura creata unitur Deo secundum subsistentiam, propria subsistentia careat necesse est; propria autem subsistentia nusquam careret, si quidditas naturae substantialis et actus exsistentiae essent in re unum quid et idem. Ergo haec duo nequaquam idem sunt, imo vero inter se ita realiter distinguuntur, ut creatae exsistentiae actus possit suppleri per esse personae assumentis, quae nonnisi hoc modo vere dici potest in duabus naturis subsistere, et ambarum praedicationem haud fallaciter suscipere in se. Haec, inquam, simplicissima est analysis principii revelati cui innitimur, et argumentum inde deductum generaliter valet contra eos omnes qui in Christo exsistentias multiplicant pro numero naturarum, adeoque tam opinionem Scoti impetit, quam modum dicendi Suarezii. Caeterum, ab ineluctabili necessitate conclusionis minime se expedit Suarez ope modorum substantialium, et hoc ad confirmationem praecedentium paucis restat ostendendum.

Reiicitur unio explicata ope modorum substantialium. — Et modorum dico substantialium, quia unum aufert Suarez a natura assumpta ne propriam habeat personalitatem, et alterum in ea substituit quo sit secundum hypostasim unita Verbo.

Porro, quod ad *modum personalitatis* attinet, iam ostensum est quomodo in Suarezii sententia nequeat esse nisi merum accidens ([1]). Si autem merum accidens, ergo non obstante carentia eius, humanitas Christi adhuc est ultimo completa in omni linea substantiae, statimque redeunt consequentiae quae superius contra Scotum urgebantur. Et sane, actualitas seu perfectio substantiae in quantum huiusmodi non consideratur nisi secundum rationem essendi per se et in se. Insuper, si creata natura est per identitatem suum exsistere, iam ex sese est *actu* per se et in se: *actu,* inquam, *et non solum aptitudine seu naturali exigentia.* Quidquid ergo ei superveniet instar modi in ea subiectati, eamque ulterius determinantis, extra omnem lineam substantialitatis necessario invenietur. Non enim valet si dicas quod modus ille adhuc complebit rationem essendi in se, quatenus faciet naturam tam perfecte esse in se, ut amplius non possit assumi ab altero supposito. Hoc, inquam, nihil est, quia cum impossibile sit ut aliquid exsistat simul in se et non in se, quidquid ex sua essentia iam est actu exsistens in se, ex sua etiam essentia excludit possibilitatem assumptionis, quin ad hoc ulteriori indigeat determinatione, prout ex sola terminorum analysi luculenter constare videtur. Non ergo apparet qua ratione modus a Suarezio assertus vel verosimiliter diceretur facere ad substantialitatem, adeoque inter substantialia principia debere aut posse recenseri.

Sed si modus personalitatis esset accidens, quanto magis *modus unionis* quo humanitas uniretur Verbo. Nam licet immerito, ut dixi, non tamen cum tam evidenti contradictione assereret quis modum personalitatis, claudendo et terminando naturam, complere rationem essendi in se. Ast modus unionis non solum nihil confert ad rationem essendi in se, sed magis illam aufert ab humanitate Christi, quam facit esse, non sui ipsius, sed

([1]) Vide supra, de natura et supposito. Opinio Suarezii.

alterius, id est, Verbi. Non ergo *substantificat,* sed potius *desubstantificat* humanitatem, et ideo si substantialis nihilominus asseritur, deberet substantificare Verbum, ipsumque Verbum afficere, tribuendo ei esse per se et in se secundum naturam humanam. Quae consequentia cum sua absurditate satis superque excludatur, dicendum superest modum unionis nihil aliud fore quam humanitatis accidens: quo posito, humanitas coniungeretur Verbo, mediante accidente, et ex consequenti unio foret accidentalis, minime vero secundum subsistentiam.

Vides igitur quomodo haec sententia, velit nolit, imitetur opinionem tertiam apud Magistrum, sicut etiam sententia Scoti scientifice considerata videbatur reduci ad opinionem primam. Nam auctores tertiae opinionis auferebant informationem corporis ab anima, ne cogerentur confiteri hominem subsistentem seorsum a Verbo. Suarez aufert personalitatis modum quem ad hoc ipsum invenit ut posset auferre. Insuper, auctores tertiae opinionis volebant partes humanitatis uniri ad Verbum accidentaliter, mediante quodam contactu. Suarez vult ut humanitas uniatur mediante modo, quem utique omni ope contendit non esse accidens, sed frustra, ut pluribus ostendit Tiphanius [1]: quippe accidens est id cui competit supervenire subiecto in esse simpliciter iam praeconstituto.

Accedunt demum nonnullae rationes impetentes sententiam Caietani, de qua iam in sequenti paragrapho agendum est.

§ 3.

Ubi Caietani opinio reiicitur.

Uti supra praemisimus, primus inventor modi personalitatis, Caietanus fuit; quem in hac novitate secutus est Suarez, recedendo tamen ab eo et a reliquis scholae S. Thomae theologis quoad fundamentalia principia de constitutione entis. Quare, contra Caietanum non sunt omnia praecedentia argumenta in quibus impossibilis ostendebatur unio hypostatica, si semel as-

[1] Tiphan. de hypostasi et persona, c. 41 et seq.

sumptae humanitati propria attribueretur existentia. Non enim unum esse in Christo Caietanus diffitetur, sed solum vult unionem hypostaticam formaliter consistere in aliquo alio quam in tractatione humanitatis ad esse increatum Verbi: in aliquo, inquam, quod ordine causalitatis antecedit, et est natura prius. Nam si Caietano credas, unio incarnationis formalissime in eo reponitur, quod personalis relatio Filii Dei terminat naturam humanam in Christo, supplendo vices modi seu termini creati quo alias natura nostra completur ac veluti circumscribitur in seipsa, ut fiat suppositum proprii esse susceptivum.

Et haec quidem opinio iam fuit sufficienter exclusa in superioribus (1). Nam si substantialis terminus a Caietano assertus chimaericus esse noscitur, non ideo humanitas propria destituitur personalitate, quia eo caret; neque ex hoc quod eiusdem vices Verbum supplet, explicatur unio hypostatica. His nunc adde sequentes considerationes.

Primo, carentia modalitatis substantialis quae in caeteris hominibus esse supponeretur, impediret perfectam illam consubstantialitatem quam fides incarnationis ponit inter Christum et nos. Reiicenda igitur omnis explicatio huic innixa postulato. Ubi nota iuxta superius praemissa, hanc esse maxime attendendam differentiam inter actum essendi et alia entis principia, quod actus essendi minime diversificat aut modificat rationem secundum quam inter plura similitudo consideratur, vel dissimilitudo. Sed solum praestat essentiae creatae consistentiam sive sistentiam extra causas, nihil prorsus addendo, nihil auferendo, nihil variando, quantum ad ea quae ei competunt in proprio genere, propria specie, propriaque singularitate. At vero quidquid se tenet ex parte ipsius naturae sub actu essendi constitutae, ad propriam illam formam in qua et secundum quam unumquodque exsistit, dicendum est pertinere. Et quia ratio et forma illa non potest esse univoca ubi non sunt eadem principia quae ad eius constitutionem concurrunt, impossibile est ut vel unum detrahatur aut mutetur in aliud, quin eo ipso alterius rationis ens resultet.

(1) Vide supra, de natura et supposito. Opinio Cajetani.

Quapropter, absque ullo detrimento perfectae similitudinis in natura, dicetur humanitas Christi creato actu essendi carere. Sive enim exsistat per suum esse proprium, sive per esse Filii Dei sibi communicatum, unius semper eiusdemque rationis erit cum humanitate alterius cuiuspiam ex nobis, puta Caii, Socratis, vel Titii. Sed quia modalitas a Caietano asserta, *si figmentum non est,* in linea principiorum naturam constituentium vel qualitercumque modificantium deberet necessario inveniri, non poterit auferri a Christo quin statim derogetur veritati fidei, qua filius Dei creditur *consubstantialis nobis factus modis omnibus* absque peccato (1). Et ideo, cum Tiphanius huic inhaerens principio, ex Scriptura et Conciliis fuse probat, *humanitatem Christi in ipsa incarnatione nullius formae realis, aut modi a se re distincti iacturam fecisse* (2): nihil equidem conficit adversus sententiam quae docet naturam assumptam per suum proprium esse minime exsistere; sed quanto minus in hac parte ad intentum pertingit finem, tanto efficacius concludit adversus Suarezium et Caietanum auferentes modum quo alias natura nostra est affecta atque ultimo terminata.

Praeterea, esto quod ex ablatione modi tale ac tantum inconveniens non sequatur. Iam merito quaeritur utrum absque evidenti absurditate dici posset Verbum supplere vices eius, ut vult Caietanus. Porro ratio negandi est, quia *modus* non suppletur nisi per aliquid quod subiectum *modificet;* et nihil subiectum modificat, nisi quod recipitur in subiecto. Consequentia autem est in aperto, quia Deus vel divina personalitas in nullo subiecto recipitur aut recipi potest.

Denique, dato etiam quod personalitatis modus posset suppleri a Verbo citra omnem receptionem in humanitate, fidenter dico unionem hanc nondum fore, formaliter loquendo, secundum subsistentiam. Nam illud quod in Verbo *utcumque* responderet modalitati terminanti et circumscribenti naturam, nihil aliud foret

(1) Confessio fidei Tarasii Patriarchae Constantinopolitani, in Concilio VII approbata.

(2) Tiphanius, de hypostasi et persona, c. 29.

quam relatio Verbi praecisive in quantum relatio est, prout scilicet explicat distinctivum et incommunicabilem modum qui in divinitate proprius est Verbo. Atqui relatio divina sic considerata nondum importat subsistentiam, quia non est subsistens formaliter ex propria nota relationis, id est ex *esse ad,* sed ex nota identitatis cum esse divino absoluto, id est ex *esse in,* uti fuse in tractatu de Trinitate demonstratum est (1). Quod etiam apprime cohaeret cum eo quod vel ab initio huius disputationis fuit inculcatum: subsistentiam videlicet idem esse ac exsistentiam in se. Quamdiu ergo finges humanitatem convenire cum Verbo in aliquo quod ex suo conceptu incommunicabilitatem quidem dicit, nondum tamen substantiale esse exsistentiae habitum modo incommunicabili, nondum etiam assignata erit unio quae secundum subsistentiam vere dicatur et sit. Quare, etiamsi positio ista tot ac tantis inconvenientibus quae supra enumerata sunt non pateret, adhuc tamen veritas hypostaticae unionis non in eo consisteret in quo eam *formaliter* reponit Caietanus, sed magis in eo quod ipse vult esse natura posterius, scilicet in tractione humanitatis ad increatam Verbi exsistentiam, uti nunc paucis declarandum et pro virili restat adserendum.

§ 4.

Ubi vera S. Thomae sententia adseritur.

De tribus famosis opinionibus a Magistro relatis loquens S. Thomas in III, D. 5, Quaest. 2, a. 2, ait: « Loquendo de *esse* « secundum quod est *actus entis,* sic dico quod secundum secun- « dam opinionem (2), oportet ponere in Christo *tantum unum* « *esse;* secundum alias autem duas, oportet ponere duo esse... « Prima ergo opinio quae ponit duo subsistentia, ponit duo esse « substantialia. Similiter tertia opinio, quia ponit quod partes « naturae humanae adveniunt divinae personae accidentaliter,

(1) Cf. de Deo uno et trino, Tom. 2, praesertim in epilogo.

(2) Haec opinio est de qua in Summa theologica, Quaest. 2, a. 6, ait quod non est dicenda opinio, sed sententia catholicae fidei.

« ponit duo esse, unum substantiale et aliud accidentale. Se« cunda vero opinio, *quia ponit unum subsistens, et ponit huma« nitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod « ponat unum esse* ». Et infra, a. 3: « Opinio prima dicit quod « hic homo habet esse suum proprium; unde esse divinae per« sonae ad ipsum non pertinet. Similiter tertia opinio dicit quod « est esse superadditum ad esse divinae personae accidentaliter. « Sed secunda *ponit unum esse in Christo; unde esse divinae per« sonae pertinet ad utramque naturam* ». Et rursus, Quaest. 3, art. 2: « Tertia opinio procedit ab eodem fonte cum prima, sci« licet ex hoc quod humana natura non assumeretur ad esse « divinae personae. Unde prima opinio ponebat quod assumptum « habebat esse per se in quo subsistebat; haec autem tertia « opinio ponit quod non subsistit assumptum [1], neque persona « in eo, sed est esse accidentale superadditum ».

His gemina sunt ea quae habet S. Doctor, tum in praesenti (art. 2, ad 3um), tum infra in notissima Quaestione 17, art. 2, tum in Quodlibeto 9, art. 3, ubi rem totam breviter et nervose recapitulans, sic ait: « Esse dupliciter dicitur. Uno modo, secun« dum quod est copula verbalis significans compositionem cuius« libet enuntiationis quam anima facit; unde hoc esse non est « in rerum natura. Alio modo *esse* dicitur *actus entis in quantum « est ens*, id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum na« tura, et sic, *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis... Sed hoc *esse* « proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti; huic « autem attribuitur esse duplex. Unum scilicet esse resultans ex « his ex quibus eius unitas integratur, *quod proprium est esse « suppositi substantiale*. Aliud esse est supposito attributum praeter « ea quae integrant ipsum, quod est esse superadditum, scilicet « accidentale, ut esse album attribuitur Sorti, cum dicitur, Sortes « est albus. Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsisten« tem tantum, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, « *quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere « quod esse substantiale quod proprie attribuitur supposito in Christo,*

[1] Saltem ut aliquid completum atque integrum.

« *est unum tantum;* habet autem unitatem ex ipso supposito, et « non ex naturis. Si tamen ponatur humanitas a divinitate sepa- « rari, tunc humanitas suum esse habebit aliud ab esse divino; « non enim impediebat quin proprium esse haberet nisi hoc, « quod non erat per se subsistens; sicut si arca esset quoddam « individuum naturale, ipsa tota non haberet nisi unum esse; « quaelibet tamen partium eius ab arca separata proprium esse « habebit. Et sic patet quod *secundum opinionem secundam oportet « dicere quod in Christo est unum esse substantiale,* secundum « quod esse est suppositi proprie, quamvis sit in eo multiplex « esse accidentale ».

Ex his igitur testimoniis manifeste constat, S. Thomam sine haesitatione tradidisse unitatem actus exsistentiae in Christo velut contentam in ea opinione quae non est dicenda opinio sed sententia catholicae fidei (1). Neque enim dubium de quo esse

(1) Frustra opponitur auctoritas *Quaestionis de unione Verbi incarnati,* inter quaestiones disputatas nunc insertae. Circa quam monet Caietanus in 3am Partem, Quaest. 17, a. 2, quod non est existimandum, « doctrinam in hoc ultimo libro, (hoc est in Summa theologica) tradi- « tam, et in authenticis libris etiam prius probatam, (videlicet in III, « D. 6, q. 2, et Quodl. 9, q. 2), reducendam esse ad quaestiunculam « vix cognitam inter opera auctoris... Quae rationabilius creditur colli- « gendo condita inter schedulas disputationum, quam unquam edita a « D. Thoma. Constat enim, quaestionem illam de tanta re imperfectis- « sime materiam unionis tractare, et per hoc dissonare ab aliis quae- « stionibus disputatis eiusdem, etc. ». Et re quidem vera, etsi coaevi auctores, speciatim vero Ptolomaeus Lucensis, ipsius Aquinatis primum auditor, deinde familiaris et socius, alias omnes quaestiones disputatas diserte recenseant, hanc unam alto silentio praetereunt, ut clare apparebit consulenti documenta apud De Rubeis, Dissert. 1, cap. 1 et 2. Quin imo, refert Echardus nomenclaturam earumdem prout ante annum 1300 venales prostabant in Universitate Parisiensi ex libro Rectoris eiusdem, his verbis: « Quaestionum **de Veritate**, 65 pecias; quaestio- « num **de Potentia**, 28 pecias; **de Spiritualibus creaturis**, 5 pecias; « quaestionum **de Malo**, 28 pecias; quaestionum **de Anima** et **de Vir- « tutibus**, 24 pecias ». Ubi iterum *de Unione Verbi Incarnati,* nihil. — Nec valent rationes quibus ipse De Rubeis eius authenticitatem nihilominus defendere studet, dicens veteres quaestionem illam, utpote unicam, sub alio quaestionum titulo comprehendisse; tum Valleoletanum

loquatur: de *esse* scilicet quod est actus entis, et quo formaliter aliquid subsistit. Sed *esse* quod est *actus entis,* profecto est ultima exsistentiae actualitas. Et *esse quo subsistitur,* nihil aliud audit, saltem in doctrina Angelici, praeter substantialem actum exsistendi: quippe, « illa subsistere dicimus, inquit in prima « Parte, Quaest. 29, a. 2, quae non in alio, sed in se exsistunt ». Et hoc dico exponendo sententiam S. Thomae. Unde non sequitur dogma fidei esse secundum nos, quod una sit in Christo exsistentia; sed sequitur tantum unitatem actus essendi obiective contineri iuxta S. Doctorem in doctrina quae asserit unionem

---

in suo quem texuit operum Thomae catalogo, diserte ac speciatim illam memorasse; tum denique eamdem recensitam inveniri in vetustis codicibus mss., quos affert Echardus. Non, inquam, valet ratio prima, quia unica etiam est quaestio *de Anima,* unica pariter *de Spiritualibus creaturis:* quo tamen non obstante, neutra sub alio quaestionum titulo a coaevis comprehenditur. Non secunda, quia Valleoletanus temporibus S. Thomae valde posterior est; floruit enim sub initiis saeculi XV. Non tertia, quia non quaeritur an dentur necne vetusti codices quaestionem *de Unione* continentes, sed utrum in his ipsis vetustis codicibus nihil irrepserit quod authentica collectio non habebat. Et certe nemo diffitebitur plurima spuria inveniri in collectione opusculorum, tametsi pro singulis vetusti etiam codices proferantur. — Accedunt rationes ex criterio intrinseco desumptae, puta ex locutionibus a Thomae terminologia plane alienis. In art. 4 qui solus difficultatem facit, notari possunt Primo, locutio qua distinguitur inter esse primarium et esse secundarium suppositi. Et alibi quidem, distinctio fit inter esse suppositi simpliciter, quod est esse hypostaticum, et esse eius secundum quid, quod est esse accidentale; de primario autem et secundario nusquam occurrit mentio. Secundo, locutio in qua Christus dicitur esse duo secundum quid, contra categoricam resolutionem aliorum locorum, ubi asseritur Deum et hominem in Christo non facere duo quocumque modo. Tertio, locutio de supposito aeterno quod substantificatur simpliciter per naturam divinam, et substantificatur per humanam in quantum homo. Qui quidem dicendi modus, apud S. Doctorem, ubi propriam explicat sententiam, alias nusquam occurrit. — Sunt tamen qui putant, praesentem locum cum doctrina in operibus indubie authenticis tam categorice asserta adhuc posse conciliari: inter quos Terrien, *de Un. hypost. l. 2, c. 4,* Mandonnet, *Ecrits authentiques de S. Thomas d'Aquin,* c. IX, et alii.

secundum subsistentiam, et quae est de fide. Quod etiam nunc foret notum in terminis, nisi circa sensum vocis *subsistentia* suborta esset apud posteriores theologos opinionum diversitas. Si enim dicas subsistentiam ultimo compleri per negationem assumptionis, adhuc poteris multiplicare substantiales exsistentias, non multiplicando subsistentias; et idem etiam continget si subsistentiam definias modum naturae exsistenti superadditum. Sed si subsistentia nihil aliud est quam propria substantiae exsistentia, statim apparet quod in uno subsistente substantialis exsistendi actus omnino multiplicari nequit. Porro haec est subsistentiae notio quae per communem hominum sensum datur, et quam retinet doctrina a nobis nunc adserta.

Vult igitur doctrina ista, conformiter ad principia superius tradita de natura et supposito, non esse in humanitate assumpta creatum actum substantialis exsistentiae, sed personale esse Verbi ei communicari eo modo quo communicari potest esse subsistens ([1]). Ideo *ipsum esse Verbi* supplet *proprium esse humanitatis*, sed modo eminentiori. Supplet, inquam, pro quanto praestat humanitati consistere in natura rerum: non quidem tribuendo formaliter vel quasi formaliter realitatem specificam essentiae seu naturae, (hoc enim esset omnino absurdum); sed gerendo vices alterius comprincipii sine quo natura creata extra causas constare nullatenus potest. Supplet tamen eminentiori modo, quia esse Verbi nec recipitur in humanitate, nec contrahitur ad eam, nec qualibet alia ratione mutatur, sed semper subsistendo in seipso, (idem enim est in Verbo, quo subsistitur, et quod subsistit), sustentat naturam creatam. Quapropter Verbum extendit ad humanitatem suum subsistendi actum per hoc solum quod humanitas a Deo producta est et conservatur, non sub proprio esse ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata exsistentia eidem humanitati est loco esse proprii. Et ideo, cum omnis natura substantialis sit ut quo subsistitur tanquam ratione exigitiva subsistentiae, contingit ibi aliquid omnino singulare.

([1]) Nota iterum quod, ut supra dictum est, contra rationem subsistentis vel etiam suppositi non est *communicabilitas assumentis*.

Nam alias, natura est suo proprio individuo ratio subsistendi in hac vel illa specie; hic autem humanitas non est suo individuo subsistendi ratio, eo quod proprium esse substantiale ei non adiungitur, sed est Verbo ratio subsistendi secundum ipsam, quia proprius subsistendi actus suppletur per subsistentiam Verbi. Atque hinc tandem fit ut Filius Dei incipiat exercere, etiam in natura assumpta, suum personalem exsistendi actum, iam nunc in humanitate exsistens et secundum humanitatem. Quisquis autem in humana natura exsistit, sine dubio homo vere dicitur et est.

Quae ut melius intelligas, attende comparationem propositam a S. Thoma in praesenti, art. 6, ad 2um. « Illud quod ad-« venit post esse completum, inquit, accidentaliter advenit, nisi « trahatur in communionem illius esse completi: *sicuti in resur-« rectione corpus adveniet animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur* ». Et forte exemplo adhuc evidentiori uti quis posset, supponendo Deum, (quod sane possibile est, et nullam repugnantiam involvere noscitur), non tantum unire, sed et de novo creare alicui animae separatae corpus. Equidem verum est quod anima separata persona non est; habet tamen id quod principaliter attenditur in ratione personae, scilicet subsistentiam et intellectualitatem. Quare, considerari nunc potest non secus ac si persona esset, quia communicabilitas quae ei adhuc competit in quantum est pars naturae humanae, accidit in proposito, ubi solum quaeritur de extensione alicuius esse personalis praeexsistentis ad aliquid adiunctum, sive illud integret vel compleat propriam subsistentis naturam, sive non. Finge ergo Deum creare alicui animae praeexsistenti corpus. Unum de duobus necessario dici debet: vel corpus de novo creatum incipiet exsistere per esse sibi proprium, vel certe antiqua animae exsistentia incipiet eidem corpori acquiri, pro quanto materia quae proprii actus essendi est incapax, producetur a Deo ut communicata ad praesubsistentem formam.

Atqui primum dicere, omnino impossibile est. Nam si daretur in homine, praeter exsistentiam animae, distincta exsistentia et corporis, quomodo posset adhuc intelligi corpus hu-

manum vivum? Tunc enim compararetur ad animam tamquam ad motorem extrinsecus applicatum, non secus ac corpus in quo oculis mortalium Raphael apparuit. Scilicet corpus vivum concipi nequit, nisi anima sit pars eius intrinseca et formalis, quatenus corpus neque materia dicatur, neque anima, sed substantia ex utroque principio consurgens. Sed hoc est evidenter chimaericum, si ultima exsistentiae actualitas duplicatur pro numero partium, quae hac hypothesi facta, partes amplius non forent, sed duo subsistentia ad invicem consociata, aut si vis, subordinata. Mitto quod tribuere homini duas substantiales exsistentias, est contra communem omnium intelligentiam, necnon et loquendi modum. Mitto quod nemo concipit mortem ut divortium inter duos exsistentes, sed potius ut destructionem unius per se naturae singularis, cui una atque indivisibilis exsistentia aufertur. Mitto quod duplicato in homine substantiali actu exsistendi, non amplius apparet qua de causa unio cum corpore faceret animam passibilem vel etiam dependentem ab organis in exercitio vitae intellectivae. Semper enim anima unita vel non unita haberet eumdem essendi modum, sicut angelus, sive assumat corpus, sive non. Mitto denique quod excluditur omnis possibilitas unionis substantialis, cum nullus remaneat substantialis actus in quo anima et corpus communicent; et hic redeunt omnia argumenta contra Scotum superius allata.

Oportet itaque de necessitate dicere quod in exemplo proposito non accresceret nova substantialis exsistentia, sed exsistentia animae extenderetur ad materiam, quae ipsa communicatione ad praesubsistentem formam a Deo crearetur (1). Et licet in huiusmodi exemplo materia efficeret cum praeexsistente anima naturam unam, unumque subiectum actus exsistentiae, (quod sane in unione Verbi incarnati non contingit), differentia tamen ista

(1) Ad modum loquendi quod attinet, magis proprie diceretur tunc creari hominem secundum partem sui materialem, quam creari materiam. Et eodem etiam modo in mysterio incarnationis, non tam proprie dicitur, facta humanitas, quam Verbum factum secundum humanitatem, iuxta illud ad Rom. I-3: *De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*

utilitatem comparationis non destruit. Solum enim facit quod esse personale Filii Dei nequaquam mutatur per hoc quod humanitati acquiritur; dum e contra, esse animae, utpote de novo incipiens *subiectari* in composito, eo ipso se haberet aliter ac prius, et ideo omni ex parte immutatum non maneret.

Hinc igitur habes unde aliquo modo concipias qualiter assumpta natura ita communicetur Verbo, ut exsistat per esse ipsius. Dixi tamen *aliquo modo,* qui longe est a cognitione propria, et intrinsecam unionis hypostaticae possibilitatem naturali rationi minime perviam reddit. Sane vero, omne esse creatum est contractum et limitatum ad unam determinatam naturam ad quam transcendentalem ordinem dicit, et ex consequenti nequit se extendere ad id quod nec est nec efficitur pars saltem integralis illius naturae cuius est hoc esse. Certo igitur certius, assumere aliquid ad suam propriam subsistentiam, non assumendo illud ad communionem propriae naturae, (in quo stat hypostaticae unionis ratio), nulli omnino creaturae competere potest. Ast, eritne possibilis eiusmodi unio inter creatam naturam et Deum? Equidem pro Deo argumentum ex limitatione actus essendi deductum non valet. Sed aliunde apparet inscrutabilis profunditas, quia non assequimur quo pacto actus exsistentiae possit actuare aliquam naturam *citra receptionem in illa.* Imo videmus evidentem impossibilitatem loquendo de actu creato, qui se toto ordinatur ad potentiam sibi respondentem. Ergo si nulla est in proposito repugnantia, hoc provenit ex conditione actus puri et absoluti qui Deus est; de puro autem actu nullam propriam cognitionem habemus. Est igitur impossibile ut sciamus per naturale lumen rationis, *quid sit* illa humanitatis communicatio cum Verbo in esse exsistentiae. Sed solum valemus ex principiis revelatis demonstrare *quod sit,* et respondere argumentis contrariis, ostendendo nec plus nec minus, quomodo et cur non assurgant ad vim verae atque evidentis probationis. His itaque praemissis:

Ratione theologica monstratur veritas sententiae propositae. — Rationem porro theologicam nunc dico illam, quae perficitur analysi revelatae propositionis: *Una est in Christo hy-*

postasis, divinae et humanae naturae. Omnia autem fere constant recapitulatione praecedentium.

Etenim iuxta omnes, hypostasis dicitur *individua substantia,* videlicet, uti fuse suo loco declaratum est, subsistens individuum, distinctum, incommunicabile: quod neque est pars compositi, neque potest ab altero assumi aut de pluribus praedicari. Nunc autem, si suppositum in concreto dicitur *subsistens distinctum*, necesse est ut forma suppositi, puta suppositalitas vel personalitas in abstracto, nihil aliud sit quam *id quo res incommunicabiliter subsistit* et exsistit in se. Sed id quo res incommunicabiliter exsistit in se, est sine dubio substantialis eius exsistentia incommunicabili modo habita. Ergo unio hypostatica, (quae attenditur praecise atque exclusive secundum personalitatem sive suppositalitatem), est formalissime unio qua una natura substantialis coniungitur cum praeexsistente hypostasi ut tracta ad incommunicabilem eius exsistentiam. Adeoque mysterium incarnationis vere reponitur in hoc quod natura humana sic communicatur Verbo, ut in illo exsistat et non in semetipsa, pro quanto esse personale Filii Dei supplet vices creatae exsistentiae sive proprii actus essendi qui eidem humanitati naturaliter debebatur.

Quod ut clarius evadat, considera sequentem processum. Quid est ex vi nominis unio hypostatica? Duorum indivisio pure et praecise secundum actum hypostaticum. Et quid est actus hypostaticus? Id quo aliquid subsistit, id est, exsistit in se. Et quid est quo aliquid exsistit in se? Substantialis eius exsistentia. Sequitur ergo, unionem hypostaticam esse duorum indivisionem pure et praecise secundum substantialem exsistentiam. Nunc autem si solum hac ratione indivisa sunt, non sunt indivisa secundum rationem essentiae seu naturae. Ergo oportet duas esse naturas. Ergo actus exsistentiae in quo ambae naturae communicant, non est proprium esse utriusque. Ergo alterutrius tantum. Ergo oportet ut alterutra propria exsistentia careat, et trahatur ad exsistentiam alterius. Et sic, eadem conclusio habetur ac supra.

Nec obstat quod in Verbo exsistentia sit idem cum essentia. Nam ut saepe in superioribus dictum est, unio cum Deo in per-

sona non differt ab unione in natura ex parte termini ad quem est unio. Ideo, si *de eo cum quo* unitur humanitas inquiratur, nihil refert utrum naturam Verbi, vel Verbi exsistentiam significes, quia re idem sunt. At vero, si *de eo secundum quod* humanitas est unita Verbo scisciteris, non amplius debet significari natura, sed incommunicabilis exsistentia. Huius ratio est, quia iam non de extremis unionis materialiter consideratis, sed de modo unionis inquiritur. Modus autem iste non est tanquam duorum principiorum naturae ex quibus conflaretur aliquod tertium diversae rationis ab unoquoque componente, sed tanquam naturae integrae cum actu exsistentiae, eodemque irrecepto et citra ullam sui mutationem sustentante naturam sibi communicatam. Unitur ergo humanitas ad esse divinum eo unionis modo qui attenta vi vocabulorum, non potest veraciter exprimi, nisi assumptionis terminus assignetur sub respectu respondente ei quod apud nos est forma suppositi vel personae: adeoque nisi esse Verbi significetur secundum quod fungitur munere actus hypostatici, non autem prout fungitur munere essentiae seu naturae. Omni ergo ex parte firma manet conclusio de vera et formali ratione unionis Verbi incarnati.

Eadem conclusio roboratur doctrina Patrum. — Legitur enim in epistola Sophronii lecta et approbata in Concilio VI: « Incarnatur ergo Verbum Deus, non praefactae carni copulatus, « praeformatove atque in sese praesubsistenti aliquando corpori « counitus, vel animae praeexsistenti coniunctus; sed tunc his « ad exsistentiam venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus « copulatus est physice... Et non ante verissimum ipsius Verbi « conventum in seipsis unquam exstiterunt, sed cum Verbi ipsius « physico conventu exsistentiam habuerunt... Simul quippe caro, « simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, simul Dei « Verbi caro animata rationalis; *in illo enim, et non per semetipsam « habuit exsistentiam.* Εν αὑτῷ γὰρ, καὶ οὐ καθ᾽ ἑαυτὴν εσχε την « υπαρξιν. Simul enim cum conceptu Verbi haec prolata sunt ad « consistendum, et unita sunt ei secundum hypostasim quando « ad consistentiam prolata sunt ». Hucusque Sophronius. Qui etsi hoc unum *directe* intendat, unionem scilicet hypostaticam non

fuisse tempore posteriorem productione humanitatis in utero virgineo, explicans tamen quid sit uniri secundum hypostasim, asserit humanitatem non habere exsistentiam per semetipsam: quod est ipsam carere proprio actu essendi, sed habere exsistentiam in Verbo, id est, exsistere per ipsum esse Verbi. Neque enim est, humanitatem exsistere in Verbo sicut in virtute continente, quo quidem modo nos omnes in Deo vivimus et movemur et sumus; neque etiam sicut in subiecto, cum nulla res hac ratione in Verbo exsistere possit. Ergo humanitatem exsistere in Verbo, nihil aliud est nisi ipsam communicare cum Verbo secundum actum exsistentiae, quia nihil aliud excogitari potest; nam si dicas humanitatem exsistere in Verbo sicut natura exsistit in supposito, vel nihil dicis, vel dicis idipsum quod dixi: quippe, natura in supposito non est nisi per esse suppositi (1).

(1) Nescio quam argumentationem ex praesenti Sophronii auctoritate contra nos construit Card. Franzelin, de incarn. Thes. 34, pag. 806. Quae tamen, pace tanti viri dixerim, tota nititur in mendosa versione ipsius Sophronii. Verba Sophronii sunt: Αμα γαρ τῃ συλληψει του Λογου ταυτα παρηχθη προς συστασιν, και ἡνωθη ἀυτω καθ' υποστασιν ἁμα τῳ προς συστασιν ἀγεσθαι την ὀντως ἀληθῆ και ἀμεριστον, την μητε διαιρεσιν πασχουσαν, μητε τροπην ἐισδεχομενην και συγχυσιν. Porro Franzelin adducit versionem, qua posita, clarissimum esse ait, exsistentiam naturae humanae ita distingui iuxta Sophronium ab exsistentia divina, sicut distinguitur exsistens natura humana ab exsistente natura divina. Versio est eiusmodi: « Una cum conceptu Verbi (in utero) haec (corpus et anima) « producta sunt *ad exsistentiam*, προς συστασιν; et unita sunt illi secun- « dum hypostasim eo ipso momento quo producta sunt *ad exsistentiam* « *realiter veram et indivisam*, προς συστασιν την οντως αληθη και αμε- « ριστον; quae *exsistentia*, συστασις, nec separationem patitur, nec con- « fusionem ». Ubi vides quod συστασις constanter vertitur *exsistentia*. Atqui συστασις nusquam exsistentiam significat, sed coniunctionem vel compositionem vel consistentiam, a συν *simul cum*, et ιστημι *stare*, ut omnia lexica fidem faciunt. Quidquid ergo sit de argumentatione satis obscura illustrissimi theologi, nulla esse potest conclusio quae falso supposito tota inniteretur.

Similis observatio occurrit circa notam in eadem thesi, pag. 304 positam; ubi adducitur auctoritas Euthymii dicentis esse in Christo unam hypostasim προσωπικην (personalem), et posse sine periculo concedi duas hypostases sive substantias υπαρκτικας (exsistentes). Et ratio ab Euthy-

Accedit auctoritas Damasceni, qui Sophronii doctrinae innaerens, l. 3 de fide orthodoxa, c. 9, ait: « Neque enim ut seor-« sim subsisteret, Dei Verbi caro condita est, aut praeter Dei « Verbi personam alia facta fuit persona; sed facta est potius « ἐνυπόστατος (id est, in alio extans), quam seorsum in seipsa « substans hypostasis ». Quid autem per *enhypostaton* intelligat Damascenus, iam in superioribus satis superque fuit declaratum (1).

Superest nunc, ut argumentis adversariorum convenienter respondeatur.

§ 5.

Ubi solvuntur adversariorum argumenta.

Obiicit primo Tiphanius (2): « *Si humanitas Christi exsistat « exsistentia Verbi, vel in genere causae materialis, vel formalis, « vel efficientis, vel formalis. Non per modum causae materialis, « ut patet... Nec per modum causae formalis et actuantis: tum quia « impossibile est, Deum esse actum informantem ullius potentiae « passivae; tum quia si posset Deus supplere actum formalem ex-« sistentiae, posset etiam supplere actum formalem sapientiae, amo-*

---

mio allata (P. G. Tom. 130, col. 1063), haec est: Ινα μη θατεραν των εν αυτω φυσεων ανυπαρκτον ειπωμεν. Quod Franzelin vertit: « Ne al-« terutram Christi naturam *sine sua exsistentia* esse dicamus ». Sed rursus, salva omni reverentia, legitima versio esse videtur: Ne alterutram in ipso naturam *non exsistentem* (ανυπαρκτον) dicamus. Cur, quaeso, *sine sua exsistentia*, quod textus non habet, et per se est aequivocum, et tacite trahitur ad sensum opinantis? Aliud enim est dicere humanam in Christo naturam non exsistentem, aliud vero, non exsistentem sua exsistentia propria. Certe in hoc convenimus omnes, quod exsistit Christi humanitas, utpote sustentata et sistens extra causas; de hoc nulla quaestio. Sed quaestio est de eo *quo* est sustentata et sistens, et Euthymius non dicit oportere confiteri illam exsistentem *sua* exsistentia, sicut perperam ei imponitur.

(1) Supra, § 2.

(2) Tiphanius, de hypostasi et persona, c. 36, n. 6.

« ris, et cognitionis, posset supplere animam rationalem informan-
« tem; tum quia nullius formae effectus formalis primarius ab alio
« fieri potest, quam ab ipsa forma, ut patet inductione; impossibile
« enim est, aliquid esse album sine albedine, lucidum sine luce.
« Igitur, cum exsistentia creata in sententia S. Thomae sit verus
« actus essentiae creatae, quo formaliter constituitur extra nihil et
« extra suas causas, sitque actu exsistens: talis effectus formalis
« et positivus a nullo alio formaliter oriri potest quam a propria
« et creata exstentia ».

Respondeo quod causalitas increatae Verbi existentiae respectu assumptae humanitatis pertinet *reductive* ad causalitatem formae. Dico tantum reductive, quia causa formalis habet duo: primo quidem habet actuare subiectum citra omnem efficientiam, sola communicatione sui; praeterea habet recipi in subiecto, tamquam in propria potentia ad quam se tota ordinatur. Est autem maxime evidens quod hoc alterum omnino repugnat Deo; nam Deus est actus purus et irreceptibilis, qui idcirco causalitatem *proprie formalem* nusquam exercere potest. Ast, apparetne eadem evidens impossibilitas quantum ad primum e duobus praedictis, id est, in eo quod Deus communicatione sui tribuat rei creatae actualitatem, quae alias ex actu proprio et recepto eidem provenire solet? Sane vero in hoc distinctione opus est.

Nam in primis, omnis forma dans esse specificum, (sive esse specificum substantiale, sive esse specificum accidentale), nequaquam potest suppleri per formam creatam alterius rationis, multoque minus per increatam. Ratio est quia esse specificum est quoddam particulare *esse essentiae,* dependens ex principiis maxime determinatis, quibus in alia mutatis, ut caetera absurda praetermittam, eo ipso mutatur species seu distinctiva ratio essendi. Concedendum ergo quod impossibile est, *aliquid esse album sine albedine, lucidum sine luce.* Concedendum plane, monstruosum fuisse commentum Apollinaristarum, qui cum in Christo animam rationalem negarent, ponebant in eo Verbum loco animae, et hoc modo unionem incarnationis in natura, et non tantum in persona seu hypostasi adstruebant. — Ex alio etiam capite constat, nunquam fieri posse *ut Deus suppleat actum formalem*

sapientiae, amoris, cognitionis, atque ita porro. Est enim de ratione actus vitalis ut sit ab intrinseco elicitus; quin imo, haud aliter sentiendum est de qualibet alia operatione, etiam mere transeunte, quia operatio transiens ab immanente solum differt in hoc, quod terminum habet operatum extra operantem, dum immanens sistit in operante ipso, ut propria eius actualitas et perfectio. Igitur tam repugnat ut operatio aliqua formaliter suppleatur per Deum in creatura, quam repugnat ut idem sit simul ipsum et non ipsum, simul progrediens et non progrediens ab intima rei facultate. — Tandem quaedam aliae formae sunt quae possunt quidem per aliquid aequivalens suppleri, sicut habitus elevantes potentias ad operandum supernaturaliter, supplentur quandoque per motionem Dei transeuntem. Verumtamen suppleri nequeunt per aliquid non receptum in ipsis potentiis, quia contradictorium foret, potentiam elevari, (id est, effici capacem eliciendi operationem altioris ordinis), absque nova determinatione seu modificatione quam in se recepisset. Iterum ergo impossibile est ut Deus per seipsum, formaliter vel quasi formaliter, horum habituum suppleat vices.

At vero actus exsistentiae non aequiparatur praecedentibus formis, quia nec confert esse specificum seu esse tale vel tale; nec modificat subiectum quantum ad essentiam, vires, aut quaslibet proprietates; nec de sui ratione habet exoriri ex intimo potentiarum sicut operatio. Sed ut pluries dictum est, communicatione sui solum confert *consistentiam* extra nihil et extra causas, servatis, minimeque mutatis omnibus determinationibus quibus unumquodque per principia tum specifica tum individualia proprium in scala entium obtinet gradum, et a caeteris eiusdem speciei individuis distinguitur. Non ergo eisdem evidentibus rationibus demonstratur repugnare ut in incarnationis mysterio actus exsistentiae creatus suppleatur per esse divinum: dum scilicet increata Verbi subsistentia humanitati tribuit quasi formaliter eamdem illam sustentationem in ordine entis, quam natura creata solet accipere ab actu sibi proprio, sibique commensurato. — Neque in hoc assignatur ex parte Verbi ulla imperfectio. Quin imo absoluta essendi puritas noscitur esse conditio omnino ne-

cessaria ad actuandum tali modo, quem ideo ratio positive non assequitur, quia propriam actus puri cognitionem non habet nec habere potest. « Nam, si de actuare et actuari infra totam lati-« tudinem suorum modorum sermo sit, inquit Caietanus (1), non « est remotum a philosophia divina, Deum posse actuare rem « creatam. In cuius signum, divinam essentiam esse actum « cuiusque intellectus videntis ipsam theologi fatentur ». Sicut igitur omnes dicere debent quod in visione beatifica species intelligibilis suppletur per essentiam divinam, (nam sine dubio divina essentia est quae per semetipsam tribuit intellectui beato actualitatem quam alias confert species inhaerens, seu species vicaria obiecti quoad intelligibilem eius repraesentationem): ita nunc quodam simili modo dicimus, proprium esse humanitatis suppleri per esse personale Filii Dei, et naturam humanam produci a Deo ipsa communicatione ad Verbum, ut ex Verbo habeat actualitatem sustentationis extra causas, id est, actualitatem exsistentiae (2). — Sed nec opponi potest,

(1) Caietanus, in 3um Part. Q. 17, a. 2.

(2) Nota similitudinem inter *unionem hypostaticam* et *unionem beatam in visione gloriae*. Repugnat enim ut perficiatur visio intuitiva Dei eo modo qui alias locum habet, cum obiectum intelligibile per species vicarias recipitur in cognoscente; nulla enim species creata repraesentare potest Deum ut est in se. Ad hanc igitur visionem necesse est ut mens angelica vel humana trahatur ad divinum intelligibile in seipso, et non tantum in aliqua eius similitudine.

Unde unio hypostatica et unio gloriae inter se conveniunt: Primo *quoad terminos qui uniuntur*. Utrobique enim creatura immediate unitur Deo, vel natura creata supposito increato, vel mens creata increato intelligibili. — Secundo *quoad modum unionis*. Utrobique enim Deus actuat creaturam quasi formaliter: vel scilicet naturam substantialem cui communicatione sui tribuit exsistere, vel potentiam intellectivam cui communicatione sui tribuit adsistere obiecto in esse intellecto. — Tertio *quoad supernaturalitatem unionis*. Sicut enim natura creata non est in naturali potentia ad hoc quod trahatur ad esse divinum ut ad suum actum essendi: ita mens creata non est in naturali potentia ad hoc quod trahatur ad divinam essentiam ut ad suam intelligibilem formam. — Quarto *quoad non repugnantiam unionis*. Eaedem enim rationes quae removent impossibilitatem circa unionem hypostaticam, similiter eam

quod inter actuantem et actuatum oportet esse proportionem. Nam si de proportione commensurationis sermo sit, negandum est suppositum in sua generalitate; si autem de proportione habitudinis, qua fit ut unum possit actuare, et alterum actuari, sic conceditur proportionis necessitas, sed negatur quod desit in proposito.

Ad 1am ergo rationem Tiphanii respondetur, impossibile quidam esse ut Deus sit actus informans potentiam passivam, hoc est, actus in ea receptus et ad eam limitatus; non autem ut sit in ordine exsistendi actus naturae creatae modo eminentiori. — Ad 2am rationem prorsus neganda est paritas inter substantialem actum exsistentiae qua talem, et actus amoris, cognitionis, aliasque id genus operationes. — Ad 3am denique rationem dicendum quod effectus formalis primarius non potest esse ab alio quam ab ipsa forma, si sermo sit de forma quae confert esse tale vel tale; nunc autem alius conditionis esse noscitur actus transcendentalis qui est ipsum exsistere. Et quamvis proprius essendi actus nequeat suppleri unquam per aliud esse creatum, hoc tamen non alia de causa est, nisi quia omne esse creatum ad suam respondentem potentiam coarctatur, et nihil extra illam praestare valet. At vero satis superque constat, considerationem eiusmodi non habere omnino locum quoad actum purum et illimitatum qui est ipse Deus.

Arguit secundo Tiphanius (1): « *Humana natura Christi* « *vere est creata et facta de nihilo. Creatio autem non potest ter-* « *minari ad exsistentiam divinam. Igitur creatio humanitatis Christi*

---

removent circa unionem beatitudinis, ut satis ostensum est in tractatu de Deo Uno, Quaest. 12.

Bene ergo Angelicus in compendio theologiae, c. 201, unam unionem ex alia credibilem fieri affirmat dicens: « Per hoc igitur quod Deus « humanam naturam sibi unire voluit in persona, datum est homini « quoddam exemplum beatae illius unionis, qua intellectus creatus in- « creato spiritui intelligendo unietur. Non enim restat incredibile quin « intellectus creatus Deo uniri possit, eius essentiam videndo, ex quo « Deus homini unitus est, eius naturam assumendo ».

(1) Tiphan. ubi supra, n. 7.

« *terminatur ad exsistentiam creatam illius. Confirmatur, quia ter-* « *minus creationis est ipsum esse, quod est intimum et maxime* « *formale in qualibet re* ».

Respondeo primo: Simili argumento probaretur Deum non posse creare animae separatae corpus, aut corpus quod de novo tunc fieret, non posse dici creatum et factum de nihilo. Non enim habet corpus humanum exsistentiam distinctam ab exsistentia animae, ut supra pluribus demonstratum est; et idcirco, cum in proposito anima praeexsistens supponatur, nullus esset actus exsistentiae de novo productus, ac per hoc, nihil etiam foret ad quod terminaretur actio creativa.

Respondeo secundo, falso supponi in argumento quod creatio terminetur praecise ad esse exsistentiae; nam terminatur ad rem exsistentem, videlicet ad rem quae extra causas sustentatur per suum actum essendi. Unde ad hoc ut aliquid dicatur et sit creatura, non oportet ut *esse* quo exsistit sit esse creatum; sed sufficit plane ut secundum suam essentiam sit eductum de nihilo. Neque enim sola illa productio seu creatio agnoscenda est, qua res fit sub suo esse proprio, sed illa etiam qua producitur ut communicata praeexsistenti supposito, iuxta illud S. Leonis Magni, in ep. 35, ad Iulianum: « Natura nostra non sic assumpta est « ut prius creata, post assumeretur, *sed ut ipsa assumptione crea-* « *retur* » (1).

(1) Notandum itaque quod cum *ipsum esse* dicitur proprius terminus creationis, *esse* tunc non accipitur pro actu essendi condiviso ab essentia sed pro *ratione entis* condistincta a *ratione talis entis,* quemadmodum declarat S. Thomas in 1ª Part. Q. 45, a. 4 ad 1um. Quatenus scilicet creatio per se primo operatur, non ad tale ens ut tale, sed omnino ad ens ut ens simpliciter, eo quod causat quidquid requiritur ad esse quocumque modo, usque ad ipsas radices primas quas praesupponit omnis alia productio. Et sic recte intelligendo principium unde procedit difficultas, quidquid educitur de nihilo, creatur: sive educatur de nihilo sub proprio et concreato actu essendi, sive educatur de nihilo ut communicatum increatae hypostasi, cuius actus hypostaticus suppleret vices proprii esse exsistentiae. Quacumque enim hypothesi facta, semper res illa emanabit a causa efficiente secundum totum id quod requiritur ad hoc ut sit, eo modo quo est. Et ideo humanitas Christi vere est

Si tamen proprietatem terminorum desideres, iterum considerandum est quod creatio proprie non attribuitur nisi subsistentibus, ut habetur in prima Parte, Quaest. 45, a. 4. Et ideo in exemplo superius allato, in quo Deus faceret animae separatae corpus, potius esset dicendum fieri hominem *secundum corpus,* quam fieri materiam vel corpus. Et similiter in incarnatione, magis proprie dicitur Filius Dei factus vel creatus *secundum carnem* seu humanitatem, quam humanitas facta vel creata. Et hoc modo loquitur Apostolus, Rom. I-3: « De Filio suo qui factus est ei se-« cundum carnem ex semine David ».

Tertio obiicit Tiphanius (1): « *Si humanitas Christi, quia « assumpta est a Verbo, eique unita, exsistit per exsistentiam di-« vinam, pari iure naturales omnes eiusdem humanitatis potentiae, « omnes habitus, et omnia dona et accidentia, tam naturalia quam « supernaturalia eiusdem, exsistent sola divina exsistentia, quod vi-« detur perabsurdum. Haec enim sunt suo modo assumpta a Verbo « divino.* Omne enim quod inest alicui personae, sive pertineat « ad naturam eius, sive non, unitur ei in persona, *ait S. Thomas « in tertia Parte, Quaest. 2, a. 2, in corpore* ».

Respondeo negando paritatem. Et ratio disparitatis est, quia multiplex esse substantiale praeiudicat unitati suppositi, cum tollat unitatem subsistentis. Sed huic unitati non opponitur multiplex esse accidentale: imo vero, esse accidentale semper distinguitur ab esse substantiali quod est esse suppositi. — Testimonium autem S. Thomae non est ad rem. Equidem verissimum est quod omnia accidentia, tam naturalia quam supernaturalia, fuerunt coassumpta a Verbo, et unita ei *in persona.* Sed notandum quod aliud est uniri *in* persona, aliud vero uniri etiam *secundum* personam seu hypostasim, ut late in superioribus de-

---

creatura: et quoad animam quae immediate e nihilo educta est sicut caeterae animae humanae, et quoad corpus quod formatum est e materia a Virgine quidem ministrata, adhuc tamen originaliter a Deo creante emanata. Vere, inquam, creatura, etsi essendi actus ad quem unita fuit, nec creatus sit, nec concreatus.

(1) Tiphan. n. 9.

claratum est [1]. Nam ad hoc ut aliquid uniatur alteri *in* persona, satis est ut quocumque modo afficiat personam vel naturam quae propria personae effecta est; ut autem uniatur *secundum* hypostasim, oportet ut trahatur in communionem ipsius esse quo subsistitur. Et ideo, accidentia sunt Verbo unita in persona, quatenus inhaerent naturae substantiali quam sibi Verbum univit secundum subsistentiam. Sed nequaquam necesse est, imo fieri nullo modo potest ut exsistant per esse personale Filii Dei, quia de ratione *accidentis* est ut afferat esse superadditum, quod quidem diversus omnino ab esse hypostatico vel ipsa ostendit nominis ratio atque auctoritas.

Quarto obiicit Tiphanius [2]: « *Sententiam illam quae asserit humanitatem Christi sua propria spoliatam exsistentia, videri periculosam, quia repugnat omnibus Scripturae locis et Conciliorum ac Sanctorum Patrum auctoritatibus, quibus Christus per omnia nobis similis ostenditur absque peccato* ». *Facile autem congeruntur testimonia traditionis nos edocentis, omnem realitatem quae est caeterorum hominum, a Verbo fuisse assumptam, iuxta commune principium:* Quod non est assumptum, non est salvatum. *Ait enim Eusebius Vercellensis:* Verbum omnia quae veteris nostrae humanitatis erant, assumpsit. *Ait Leo Magnus:* Totum veterem nostrum sine peccato hominem assumpsit. *Ait Cyrillus Alexandrinus:* Nec quidquam omnino quod naturae humanae cognatum esset, praeter solam malitiam, reliquit. *Ait Augustinus:* Nihil naturae humanae in illa susceptione fas est dicere defuisse. *Ait Damascenus:* Neque Deus Verbum quidquam eorum quae cum nos initio fingeret naturae nostrae inseruit, praetermisit, sed omnia assumpsit. *Ait S. Maximus:* Si quis forte dicat, aliquid eorum quae sunt secundum naturam Deo repugnare, ipsius Dei potius quam naturae vitium est, siquidem bellum naturaliter imposuit rebus. *Ex his igitur, aliisque plurimis eiusdem sensus eiusdemque sententiae, concludere oportet Verbum assumpsisse etiam creatum esse exsistentiae.*

(1) Supra, thes. 6, § 3.
(2) Tiphan. l. c. n. 13.

Verum si sensu adversariorum Patres interpretari placet, statim consequitur inveniri in Christo et humanam personalitatem, quia et personalitatem in nobis Verbum Creator inseruit. Nec ullus modus est evadendi nisi dicendo personalitatem esse nihil, vel negationem quamdam. Porro si personalitas est nihil vel negatio, ergo etiam unio secundum personalitatem erit unio secundum nihil vel secundum negationem, quod absit. Rursus, ex iisdem principiis in sensu adversariorum intellectis sequeretur Verbum debuisse assumere omnes individualitates humanas, seu illud omne quo unum individuum distinguitur ab altero; nemo enim negare potest, et hoc etiam fuisse in singulis insertum a Verbo Creatore. Legitima ergo conclusio foret quod Filius Dei assumpsit naturam humanam in omnibus suis individuis.

Quae si absurda sunt, evidens est locutiones Patrum hoc sensu esse intelligendas: Verbum scilicet assumpsisse quidquid pertinet ad speciem humanam cum omnibus proprietatibus ipsam speciem consequentibus, sola excepta deordinatione quae non erat primaevae conditionis, sed per originale peccatum fuit inducta. Volunt enim Patres, Christum dici hominem univoce nobiscum, et hoc sane verificatur omnino, quantumvis esse increatum Verbi suppleverit creatum esse exsistentiae, eo quod *esse* non ingreditur ullo modo rationem speciei, sed de transcendentibus est, ut etiam saepe diximus in huius quaestionis expositione. Quare allata documenta Patrum valent ad summum contra Caietanum et Suarezium, ponentes deesse in humanitate Christi modum illum substantialem quem in caeteris esse dicunt. Sic enim foret Christus diversae rationis ab aliis hominibus in aliquo quod esset praeter personalem exsistentiam, et tamen substantialiter diceretur, secundum auctores illos.

Caeterum difficultas adversariorum desumpta est ab ipso S. Thoma, qui in III, D. 2, Quaest. 1, a. 2, sibi obiicit: « Videtur quod Filius Dei humanam naturam assumere debuit in « omnibus suppositis humanae naturae, quia ut Damascenus dicit, *quod est inassumptibile est incurabile.* Sed natura humana « curabilis est in omnibus suis suppositis, etc. ». Et respondet: « Ad primum ergo dicendum quod per incarnationem proprie

« assumitur natura. Unde si aliqua natura assumptibilis non est, « curabilis non est. Non tamen oportet ut si haec natura indi- « vidua non assumitur, quod suppositum huius naturae non cu- « retur: quia per hoc quod natura in aliquo individuo assumpta « est, praeparatur curatio omnibus qui similem naturam babent, « sicut e contra, per hoc quod una persona infecit naturam « humanam quae in ipsa erat, in omnes homines peccatum trans- « misit ».

Obiicitur quinto apud Scotum: *Illud per generationem acquiritur, quod per corruptionem amittitur; atqui per corruptionem amittitur esse exsistentiae; ergo per generationem acquiritur. Sed per generationem temporalem non acquisitum est Christo esse aeternum; ergo esse creatum et temporale, et sic oportet ponere in Christo duo esse, unum secundum quod ab aeterno Deus est, alterum secundum quod in tempore factus est homo.*

Sed contra est quod per generationem homo acquirit esse; et tamen hoc esse in morte non amittitur absolute, quia manet anima separata cum eodem esse exsistentiae quod erat prius esse compositi. Dicendum igitur est quod *per generationem acquiritur hypostasi,* id quod *per corruptionum hypostasi amittitur.* Et si quidem hypostasis sit creata, cuius est in una sola natura subsistere, sicut per generationem acquiritur ei esse simpliciter, sic et per mortem simpliciter ei deperditur; morte enim interveniente, hypostasis amplius non est. Nunc autem si sermo sit de hypostasi increata quae non in propria tantum, verum etiam in quadam corruptibili assumpta natura subsistebat, impossibile est ut mors ei auferat esse, sed solum auferet habitudinem ipsius esse hypostatici ad naturam mortalem quae ei supervenerat, et nunc destruitur. Non sequitur ergo quod in utero virgineo hypostasis Christi acquisivit esse creatum et temporale: quia per temporalem mortem non amisit nisi extensionem aeterni sui esse ad humanitatem assumptam, et non cessavit esse simpliciter, sed tantum desiit esse homo, salvo interim dogmate quo edocemur permansisse in triduo sepulturae personalem unionem cum corpore et anima a se invicem separatis.

Obiicitur sexto: *Plura supposita possunt convenire in uno*

esse substantiali, sicut ex mysterio Trinitatis aperte demonstratur. Sed non est maior repugnantia in eo quod plura esse substantialia conveniant in uno supposito. Ergo sicut dantur in divinis plura supposita unius esse, ita dari potest in Christo unum suppositum multiplicis esse: ex quo ulterius sequitur quod esse non est id in quo fundatur unitas suppositi.

Respondeo: *Dist. mai.* Plura supposita absoluta possunt convenire in uno esse substantiali, *neg.* Plura supposita formaliter relativa, et relativa oppositione ab invicem distincta, *conc.* Et ratio discriminis innotescit ex principiis quae traduntur in tractatu de Trinitate. Nunc autem minor argumenti, in qua vis difficultatis praecipue reconditur, simpliciter et absolute est neganda. Et ad negationis evidentiam dico quod *unum* definitur indivisum in se et divisum a quolibet alio. Qui autem dicit indivisum in se, excludit omnem divisionem in ea linea in qua unitas accipitur; sed qui dicit divisum a quolibet alio, non ideo affirmat omnem modum distinctionis, quia sufficit unus. Quo posito, considera complexum duorum, quorum singula suum esse substantiale habent: ibi non est indivisio secundum subsistentiam, et ideo est repugnantia ad unitatem hypostasis. E contra, considera plura supposita relativa quae sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus: sane vero unumquodque eorum est primo indivisum in se, et praeterea est divisum ab alio, non quidem secundum rem absolutam, sed secundum modos relative oppositos habendi unum idemque esse, unam eamdemque perfectionem; quare, licet una sit exsistentia sive subsistentia, sunt tamen plures relativi distincte subsistentes. Ergo omnino repugnat ut unum suppositum habeat multiplex esse substantiale, non tamen ut plura supposita, si relativa sint, conveniant in eodem esse substantiali absoluto. Unde tandem nego consequens et consequentiam argumenti, et dico unitatem essendi ita fundare unitatem suppositi, ut esse multiplicato, semper et absolute necesse sit multiplicari subsistentes, ac per hoc, hypostases. Etenim, « impossibile est quod unius rei non sit unum esse » (1).

(1) S. Thomas, infra, Quaest. 17, a. 2, in corpore.

Obiicitur septimo: *Esse in divinis est unum et commune tribus personis. Si ergo incarnatio explicatur per hoc quod humanitas fuit tracta ad esse divinum, humanitas unitur Trinitati, et sic Trinitas est incarnata, non sola Filii persona, ut docet fides catholica.*

Respondeo: *Esse* est quidem unum in divinis, sicut omnia absoluta; sed tribus distinctis modis relativis habetur, ita ut esse Patris personale qua tale, non sit esse personale Filii, nec Spiritus Sancti. Est igitur Filius idem esse quod Pater et Spiritus Sanctus, sed cum alia relatione. Quare si assumeretur humanitas ad esse divinum secundum quod est cum relatione singulae cuiusque personae, sic ratio sequeretur. Nunc autem solum trahitur humanitas ad esse divinum prout per filiationis relationem habetur modo distincto, eodemque alii supposito penitus incommunicabili. Et ideo argumentum non concludit, licet ibi novum addatur mysterium, scilicet mysterium realis distinctionis consubstantialium personarum, mysterio unionis secundum subsistentiam. Caeterum responsio magis patebit ex dicendis in Quaest. 3, in qua proprius est locus huius difficultatis, et ad quam benevolum lectorem interim remitto.

Ultima demum instantia esse potest: *Unio hypostatica nihil aliud est nisi relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei, ut expresse tradit S. Thomas, tum in praesenti, tum in III, D. 5, Quaest. I, a. 1. Sed relatio non in eo est ut unum existat per esse alterius. Non ergo recte fuit assignata formalis unionis hypostaticae ratio.*

Respondeo quod ubicumque unio hypostatica dicitur esse relatio, sapientem lectorem ad intelligentiam revocat vel ipsa fidei veritas. Nisi enim hoc dictum convenienter accipiatur, sequeretur unionem non esse substantialem, sed merum accidens, quia omnis relatio, praeter illas aeternas quas in Trinitate adoramus, inter accidentia reponitur.

Sciendum igitur S. Thomam loqui de unione hypostatica, sicut loqui solet de creatione passive accepta. Notissima quippe sunt loca ubi docet creationem *prout in creatura,* nihil aliud esse quam relationem, utique inhaerentem et praedicamentalem, qua

creatura refertur ad Deum ut ad auctorem totius suae entitatis. Ita S. Doctor in prima Parte, Quaest. 45, a. 3, et de Potentia, Quaest. 3, a. 3, et alibi passim. Non quod haec relatio sit terminus directus actionis creativae, ut constat; unde si passiva creatio sumatur pro termino operationis creatricis, sic est ipsa substantia educta de nihilo. Verum hoc modo non distinguitur a creatura, et pro tanto dici nequit *in creatura*. Et ideo loquendo de creatione passiva secundum quod *in creatura* consideratur, per quamdam analogiam ad *fieri* rei in vulgari productione medians inter producentem et productum, sic non est nisi simplex relatio qua creatura refertur ad creatorem pro primo instanti suae eductionis in esse.

Simili itaque modo, si unio hypostatica accipiatur pro eo quod formaliter facit ut Deus sit homo, non potest esse accidens; sed est ipsa humanitas prout consistens sive sustentata per esse Verbi, nec distinguitur ab assumpta substantia secundum quod primo exsistens est per communicationem ad Verbum. Nunc autem ex huiusmodi communicatione innascitur relatio quae proprie dicenda est *esse in humanitate:* relatio quidem ad totam Trinitatem tamquam ad causam efficientem unionis, relatio vero ad solum Verbum tamquam ad terminum ad quem facta est unio. Et haec posterior relatio eodem sensu dicitur unio hypostatica, quo relatio creationis dicitur ipsa creatio. Quare non mirum est si S. Thomas, iis in locis in quibus inquirit an unio sit realiter *in* Deo vel *in* humanitate, soleat considerare solam relationem praedicamentalem quae est accidens; et tamen gratia unionis formaliter considerata non est haec relatio, sed fundamentum eius. De ipsa autem relatione nunc agendum est ad doctrinae complementum; pro quo sit sequens propositio.

THESIS VIII.

(Art. 7).

Unio hypostatica sumpta pro relatione innascente inter duo unita, est in sola natura humana realiter, in Verbo autem secundum rationem tantum.

Ut mox dictum est, relatio inter divinam naturam et humanam secundum quod conveniunt in una hypostasi Filii Dei, potest

accipi tum formaliter tum fundamentaliter. Et fundamentaliter quidem considerata, nihil aliud est quam passio vel quasi passio qua humana natura tracta est ad esse personae divinae, ut non in seipsa seorsum exsisteret, sed per actum hypostaticum Verbi. Formaliter vero accepta, est habitudo resultans inter divinitatem et humanitatem prout ad unam eamdemque hypostasim pertinentes, et hoc modo sumitur in praesenti. Caeterum hic valet generale principium quo statuitur, relationem de novo inter duo extrema exsurgentem non esse realiter in ambobus, nisi ambobus adveniat secundum rem relationis fundamentum. Nam si uni soli novitas huius fundamenti insit, altero extremo manente penitus immutato, relatio in hoc altero realis non est, sed rationis tantum.

Quaeritur ergo utrum relatio unionis cum suo fundamento sit realiter in sola natura creata, an in solo Verbo, an in utroque simul. Et videretur dicendum quod sit in Verbo. Nam primo, Verbum est vere et realiter homo. Sed si unio incarnationis nihil poneret in ipso praeter relationem rationis, non esset homo in re, sed ad summum secundum considerationem mentis.

Praeterea, Filius Dei est homo nobiscum *univoce*. Sed nemo nostrum per relationem rationis est et dicitur homo.

Adhuc, unio ista est realiter in eo extremo quod de non unito factum est unitum. Sed hoc extremum non est humanitas quae nunquam exstitit ante unitionem, et ideo mutata non fuit. Ergo oportet quod unio sit in Verbo, aut si non est in Verbo secundum rem, in nullo extremorum erit, et sic perit incarnationis fides.

Sed contra est quod dicit Leo Magnus, Serm. 7 de Nat. Dom. c. 1: « In utraque ergo natura idem est Dei Filius, nostra « suscipiens et propria non amittens ; in homine hominem reno- « vans, *in se incommutabilis perseverans* ». Si autem Verbum in incarnatione manet incommutabile, ergo relatio unionis non innascitur secundum mutationem Verbi, sed secundum mutationem solius naturae humanae, et ideo in ea sola secundum rem esse potest. Nihilominus Verbum dici debet realiter unitum et realiter habens humanitatem, quia realiter terminat naturam assumptam

ut eius hypostasis. Hic enim applicanda sunt ea quae in theologia naturali dicuntur de relationibus Dei ad extra, quatenus: « a relationibus realiter exsistentibus in re, Deus denominatur..., « secundum quod cointelliguntur per intellectum nostrum oppo- « sitae relationes in Deo, ut sic Deus dicatur relative ad crea- « turam, quia creatura refertur ad ipsum ». Sed est differentia, quia alias realis relatio creaturae ad Deum fundatur super receptionem esse creati a Deo, hic autem fundatur super tractionem naturae creatae ad divinam subsistentiam; adeoque creatura nunc refertur ad Deum ut pertinens ad suppositum eius, alias vero minime.

Ad 1um ergo dicendum quod relationi quae est rationis ex parte Verbi, respondet realis relatio, necnon et mutatio, ex parte naturae humanae. Unde etsi Verbum nullatenus mutatum fuerit in seipso, tamen ex quo primum producta est humanitas ut dependens ab esse divinae personae tamquam a sustentante actu essendi, statim incepit ipse Dei Filius vere et realiter humanam naturam habere et in ea exsistere. Porro ille est veraciter homo, qui hominis naturam vere habet, vereque in ea subsistit.

Ad 2um dicendum quod Filius Dei est homo *univoce* cum aliis quantum ad nostrae naturae veritatem, non autem quantum ad modum habendi eam. Habet enim naturam humanam per assumptionem ad suam praeexsistentem hypostasim; caeteri vero habent ipsam ut quoddam constitutivum personae sive suppositi.

Ad 3um denique dicendum quod relatio unionis est realiter in eo extremo quod per unionem fuit mutatum, et hoc extremum est sola humanitas. Considerandum tamen quod mutatio de qua loquimur, non est accipienda per respectum ad quemdam anteriorem assumptae humanitatis statum: quasi ipsa humanitas unioni praeexstitisset, et post unionem aliter se habuerit ac antea. Sed mutatio naturae humanae accipienda est per comparationem ad modum quo se habuisset si fuisset producta sub suo proprio esse. Nunc enim longe alio modo exsistit quam si exsisteret per esse proprium, sub quo constitueret distinctam hypo-

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY CALIFORNIA

stasim, ac per consequens hominem alium ab illo homine qui est Iesus Christus.

Nota. — Ex dictis de relatione unionis intelliges quomodo synonyma non sint *unio* et *assumptio* in mysterio Verbi incarnati. De qua re agit S. Thomas in art. 8 huius quaestionis.

Prima et principalis differentia est, quod assumptio non significat relationem, sed solum mutationem ex qua resultat relatio. Secunda in eo est, quod assumptio significatur ut via ad esse unum; unio autem secundum acceptionem sibi maxime propriam, significat habitudinem eorum quae iam facta sunt unum. Tertia denique est, quod unio quantum ad modum significandi, abstrahit a diversa conditione extremorum, indifferenter denominans utrumque; dicimus enim quod natura humana est unita divinae, et e converso divina humanae. Sed assumptio designat esse fixum et stans in uno extremorum, ad quod aliud trahitur, (est enim quasi ad se sumptio); et ideo non indifferenter dicitur humanitas assumpta a divinitate, vel divinitas ab humanitate. Quin imo, etiamsi unio sumeretur pro actione uniendi, adhuc non esset idem cum assumptione; nam assumens dicitur ille *a quo unio est efficienter, et ad quem etiam est terminative;* unde Pater et Filius sunt unientes, sed non sunt assumentes, ut dicetur in quaestione sequenti.

Demum ex praemissis haud difficulter intelligitur id quod in art. 9 exponit S. Thomas: videlicet unionem hypostaticam esse maximam unionum, non quidem ex parte coniunctorum quae inter se maxime distant, sed ex parte eius in quo coniunguntur. Communicant enim in persona divina, cuius unitas est qua maior et perfectior esse aut cogitari nequit.

Sed de his satis. Superest iam exponenda doctrina trium ultimorum articulorum, quae est de supernaturalitate unionis, ut in thesi quae sequitur.

THESIS IX.

(Art. 10-12).

Unio incarnationis, etsi facta non sit per gratiam habitualem, est donum supernaturale per excellentiam; ipsam nulla merita, nec ipsius Christi nec alterius cuiusvis, praecedere potuerunt; dici tamen potest Christo naturalis in quantum est in humanitate ipsius ex virtute naturae divinae, a primo instante conceptionis sive nativitatis.

Quoad primum observa quod donum simpliciter supernaturale, hoc est, excedens omnem ordinem naturae creatae, semper respicit coniunctionem cum Deo *ut est in se*. Haec porro coniunctio est duplex: vel secundum actualitatem intelligibilitatis, in quantum creatura coniungitur Deo tanquam obiecto suae fruitionis; vel secundum actualitatem subsistentiae, in quantum coniungitur ipsi ut pertinens ad eius hypostasim. Et primo quidem modo unio fit dependenter a gratia habituali, quia unio ista ordinatur ad visionem, ad quam mens debet per habitum perfici; sed alio modo nullus habitus intercedere potest, quia est impossibile ut mediante accidente, natura habeat esse in supposito suo. Nunc igitur, si comparatio fiat inter unum modum et alterum, iste posterior invenitur longe excellentior, ut per se constat, tametsi aliqualiter deficiat a primo, si seiunctus ab eo cogitetur. Quippe unio prior facit creaturam beatam, quod posterior *formaliter* non facit. Sed quia hoc facit saltem *exigitive*, ut dicetur infra, Quaest. 7 et 10, consequitur unionem personalem esse absolute et sub omni respectu perfectissimam ad Deum coniunctionem, adeoque summum donum supernaturale, quo scilicet maius dari aut cogitari nequit.

Hinc, unionem istam *nulla merita naturalia* praecedere potuerunt. Sed *nec etiam merita gratiae,* nam merita ista fuissent, vel merita ipsius Christi, vel alterius cuiusvis. Atqui non merita alterius, puta B. Virginis aut antiquorum patrum: tum quia in-

carnatio est in praesenti ordine principium totius gratiae hominibus collatae, et principium meriti (ut fert notum axioma) non cadit sub merito: tum quia improportionabiliter se habent opera iustorum ad unionem hypostaticam, quae excellentia sua transcendit mercedem vitae aeternae, et continet bonum totius generis humani, quod adaequare nequit meritum unius puri hominis, vel etiam aliquorum. Non ergo merita Sanctorum gratiam unionis praecesserunt. Sed nec merita ipsius Christi. Nam praecedere non potuerunt ordine temporis, quia humanitas numquam fuit ante assumptionem; item nec ordine causalitatis, quia unionis gratia ad omnia merita subsequentia se habet ut quoddam eorum principium, adeoque ut causa ad effectum, et non vice versa ut effectus ad causam. Recte ergo Augustinus, ut probet gratiam Dei non secundum merita nostra dari, huius rei primarium ducere solet argumentum ex incarnatione Filii Dei: « Est etiam, « inquit l. de praedest. Sanct. c. 15, praeclarissimum lumen prae « destinationis et gratiae ipse Salvator, ipse mediator Dei et ho« minum homo Christus Iesus; qui hoc ut esset, quibus tandem « suis vel operum vel fidei praecedentibus meritis, natura hu« mana quae in illo est, comparavit? Respondeatur, quaeso: ille « homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assum« ptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod eius « bonum qualecumque praecessit? Quid egit ante, quid credidit, « quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? ». Quibus similia habet idem Augustinus, l. 3 de Trin. c. 17; de correpl. et grat. c. 11, et alibi saepe.

Constat tandem quod gratia unionis, etsi sit praeter omne meritum et supra omnem humanae naturae exigentiam, potest tamen aliqualiter dici ipsi assumptae humanitati naturalis, pro quanto scilicet naturale nonnunquam dicitur id quod ab ipsa nativitate seu conceptione habetur: quo sensu gratia sanctificans fuisset in statu innocentiae posteris Adae naturalis.

TOTIUS QUAESTIONIS RECAPITULATIO.

Agitur de unione duorum diversae rationis, quae cum realiter inter se distinguantur, necessario debent remanere actu distincta; quaestio enim est de unione Dei et creaturae.

Sic igitur, propriissime accipiendo unionem duorum ad invicem, unio *in natura* esset talis unionis modus ex quo resultaret nova essentia, seu aliquod tertium duobus componentibus tamquam constitutivis partibus coalescens. At vero, propter diversum modum significandi, huiusmodi imperfectio de intellectu unionis *in persona* non est. Et ideo, cum impossibile sit ut praeexsistat natura in qua duo dicuntur fieri unum, bene tamen potest praeexsistere persona ad cuius unitatem aliquid assumitur. Recte ergo fides reiicit unionem Verbi incarnati in natura, et statuit unionem quae sit solum in persona. Eiusmodi autem unio, vel fit secundum inhaerentiam, vel secundum subsistentiam. Secundum inhaerentiam quidem, si illud quod adiungitur, afferat personae praeexsistenti novum aliquod esse accidentale. Secundum subsistentiam vero, si trahatur in communionem ipsius esse personalis simpliciter, id est, in communionem substantialis exsistentiae quam persona praehabebat, et in qua semper perseverat immutata. Cum igitur humanitas accidens non sit, et Deus nequeat esse subiectum inhaesionis, oportet omnino ut unio incarnationis, si vere est in persona, sit secundum subsistentiam. Porro hic modus unionis est omnino singularis et sine exemplo in natura rerum, quia nulli creaturae, sed soli Deo, praeter et supra omnem naturae ordinem, potest aliquid secundum solam hypostasim uniri. Unde Tridentinum, Sess. 13, cap. 3 dicit: « Propter *admirabilem* illam divinitatis cum corpore et anima « hypostaticam unionem ».

Nunc autem, ad scientificam huius dogmatis expositionem quod attinet, omnia fere in uno principio constant. Fieri nimirum nequit ut illud quod est completum in natura, et habet proprium esse exsistentiae, ulterius compleatur substantialiter per adiunctionem ad aliquid quod sit et maneat a se distinctum.

Poterit quidem adhuc compleri *accidentaliter,* (sicut cum acquiritur scientia, aut beatitudo, aut aliquid eiusmodi), vel etiam *integraliter,* (sicut accidit in augmento et nutritione viventium). Sed primo modo non fit complementum in linea substantiae, ut est notum in terminis. Secundo autem modo, praeterquam quod ratio substantiae manet immutata, non fit adiunctio alicuius quod maneat actu distinctum: tum quia illud quod assumitur, convertitur in substantiam assumentis, tum quia pars integralis, a toto cuius est, non actu, sed potentia tantum distinguitur. Iam vero, quidquid est substantialiter ita terminatum, ut non possit in linea substantiae per alterius principii adiunctionem amplius terminari, si reipsa alteri pariter completo et perfecto adiungatur, non erit cum eo unum substantiale, sed multa, quocumque tandem modo substantia accipiatur. Et huius ratio est, quia fieri nequit ut duo sint unum in eo ipso ordine in quo sunt duo. Oportet igitur ut in unione incarnationis, unum extremorum, scilicet creatura, sit substantialiter incompletum, idque per carentiam alicuius principii, ex cuius defectu minime tollatur ratio et integritas humanae naturae, et cuius vices ipsa divina persona supplere possit. Hoc autem principium iuxta omnes non potest esse aliquod naturae seu essentiae constitutivum. Relinquitur ergo ut sit actus exsistentiae, praeter quem nihil aliud substantiale in ente creato assignabile est [1]. Sic igitur dicendum quod natura humana non habet proprium *esse,* sed ex ipso

[1] Et nota iterum quod cum dicit S. Thomas, non deesse humanitati Christi propriam personalitatem propter defectum alicuius positivi, semper intelligit defectum positivi quod ad naturae integritatem pertineat. Et similiter ubi ait, compositum ex anima et corpore esse personam ex hoc ipso quod alteri subsistenti non adiungitur, sensus est: ex hoc ipso *consecutive*, non autem: ex hoc *formaliter*. Nam ex hoc ipso quod non trahitur ad esse alterius suppositi, consequitur quod debeat habere proprium esse in quo subsistat. Unde, si Christus deponeret humanam naturam quam assumpsit, compositum animae et corporis eatenus fieret persona, quatenus, seclusa hypothesi annihilationis quae nunquam in considerationem venit, oporteret humanitatem hanc recipere proprium esse, ut iam non in alio perfectiori, sed in se exsisteret.

esse personali Verbi quasi formaliter habet exsistere. Et dico *quasi formaliter,* quia divinum esse communicatione sui causat consistentiam humanitatis extra causas, quin tamen inveniatur ibi imperfectio quae est de ratione causae formalis, scilicet receptio in subiecto quod actuatur. Nam huiusmodi receptio Deo convenire non potest, et aliunde non est necessaria, propter actus puri infinitatem et omnimodam illimitationem (1).

Tandem animadvertes assignatum unionis modum ad amussim respondere in summa suae notionis simplicitate, iis omnibus quae in praesenti mysterio per revelationem credenda constant, quaeque ad tria capita ab apostolo, Philipp. II, 6-9, reducuntur. Cum enim apostolus ait: *Qui cum in forma Dei esset..., semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* unionem significat per quam, manente forma Dei penitus inviolata, sic suscepta est servilis formae infirmitas, ut Deus dici vere potuerit parvus effectus, non equidem amissione propriae magnitudinis, sed assumptione humanae infirmitatis in suppositi unitatem. Rursus, cum ait: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo,* quidquid a Verbo plantatum est in natura nostra, ab eo pariter assumptum fuisse ita asserit apostolus, ut confiteri necesse sit

(1) Hanc doctrinam de uno esse in Christo, ipse Suarez, Disp. Met. D. 34, Sect. 4, fatetur fuisse valde communem apud theologos sui temporis. Quod si illam reiiciat, hoc non est nisi propter rationem philosophicam, ex qua videtur ei non admittenda realis distinctio inter essentiam et esse. Et argumentum quod affert, Disp. 31, Sect. 1 in fine, ad hoc de integro reducitur: Id quo essentia realis distinguitur ab essentia possibili, non potest ab ipsa essentia reali realiter differre. Sed esse exsistentiae est id quo essentia realis distinguitur a mere possibili. Ergo, etc. Sed facile respondetur: Id quo tanquam constitutivo, essentia realis distinguitur a possibili, non potest esse aliquid distinctum ab ipsa reali essentia, **conc.** Id sine quo, tanquam actu sibi unito, haec ipsa realis essentia nequit extra causas consistere, **neg.** Atqui esse exsistentiae est id quo tanquam constitutivo, realis essentia distinguitur a possibili, *neg.* Id sine quo sibi unito, etc. *conc.* Et ideo negatur consequentia. Aliud enim est, actum exsistentiae esse intrinsecum realis essentiae constitutivum, quod negamus. Aliud vero, actum exsistentiae esse formale comprincipium, extra cuius unionem sistere non potest realis essentia seu natura, quod solum affirmamus.

Iesum Christum esse hominem univoce cum caeteris : « Propter « quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens : nun- « tiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo « te ». Denique, in iis quae de morte crucis et consequente exaltatione adduntur : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen,* unionis personalis perennitas demonstratur, eiusdemque indissolubilitas, cui scilicet indissolubilitati ne per ipsam quidem mortem fuit aliquatenus derogatum, iuxta tritum axioma : quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit. Atqui iam pluribus ostensum est quomodo, supposita unione secundum esse exsistentiae, duo priora puncta plenissime explicantur. Qualiter vero unionis indissolubilitas, non ex sola positiva voluntate Dei, sed plane ex natura rei consequatur, paucis restat declarandum.

Sciendum itaque est quod omnis compositio ex essentia et esse, *per se* et *ratione sui* perpetua est atque indissolubilis. Lege enim universali Deus omnia in esse conservat secundum quod capacia sunt in esse persistere, nihilque annihilat; dissolutio autem compositionis ex essentia et esse foret quaedam annihilatio. Verum in corporalibus essentia componitur duobus principiis, quorum unum, nempe materia, est in potentia ad alias formas; et ideo ens materiale est natura sua in aliam substantiam convertibile, sicut panis in sanguinem, et corpus vivum in cadaver. Tunc ergo, et tunc tantum, esse amittitur: non quod directe dissolvatur compositum ex essentia et esse, sed quia per transformationem substantialem desinit subiectum prioris esse, fitque aliud ens. Hinc, substantiae spirituales quae sunt inconvertibiles, semper et in aeternum durant, cum eodem esse. Et anima quoque humana, dissoluto composito, antiquam retinet exsistentiam in qua communicabat cum corpore, quia est sufficiens eius subiectum, utpote in essendo a materia intrinsece independens. At corpus quod substantialiter mutatur, fitque aliquid aliud specie diversum ab eo quod erat prius, consequitur exsistentiam novam quae novae essentiae respondet sicut actus suae potentiae. Et hoc quidem in morte caeterorum hominum contingit. Sed in

Christo aliquid singulare considerare est. Etenim esse quo consistebat eius humanitas non erat esse receptum in potentia, eique commensuratum, sed erat esse Verbi valens sua infinitate sustentare quamlibet naturam substantialem. Ideo, morte interveniente, non sola anima, sed et examine corpus, quantumvis specie mutatum, et eiusdem rationis cum aliis corporibus mortuis, adhuc capax erat perseverandi in rerum natura per idem esse ac prius. Unde etiam sic perseveravit, et in triduo sepulturae unio ad divinam hypostasim non fuit dissoluta, prout aliunde docet catholica fides, et infra, Quaest. 50ª, demonstrabitur.

Hactenus de unione hypostatica secundum se. Sed nunc singillatim considerandum venit utrumque unionis extremum, scilicet *assumens* et *assumptum*. Et primo occurrit quaestio de assumente.

QUAEST. III.

DE PERSONA ASSUMENTE

Tria hic omnino declaranda veniunt. Primum omnium inquirendum est, cui proprie conveniat denominatio *assumentis*, quacumque hypothesi facta: id est, sumendo unionem hypostaticam in abstracto, prout praescindit ab unitate vel pluralitate personarum in divinis. Siquidem sublata Trinitate, adhuc conciperetur incarnationis unio. (**Art. 1-3**). Verum abstractio huiusmodi, etsi suam habeat utilitatem, utpote conducens ad intimius cognoscendam hypostaticae unionis quidditatem, non tamen exhaurit quaestionem. Unde oportebit secundo loco considerare personam assumentem in sensu composito eorum quae reipsa exsistunt, et de facto credenda proponuntur. Est autem principalis difficultas, an et quomodo fieri potuerit ut unus solus e consubstantiali Trinitate assumpserit carnem. Et consequenter occurrunt aliae quaestiones secundariae, de possibilitate assumptionis unius naturae a pluribus personis divinis, vel e converso plurium naturarum ab una tantum persona. (**Art. 4-7**). Tertio demum rationes convenientiae afferendae erunt pro incarnatione personae Verbi, quaerendo an conveniens fuerit ut persona Filii

assumeret naturam humanam, potius quam Pater vel Spiritus Sanctus. (**Art. 8**).

Totius ergo quaestionis expositio tribus propositionibus absolvetur.

THESIS X.

(Art. 1-3).

Personae divinae propriissime et primario convenit denominatio assumentis, naturae autem nonnisi secundario, et ratione personae cum qua est realiter idem: quod quidem omni ex parte adhuc maneret verum, etiamsi per impossibile non essent relationes quibus in Deo supposita multiplicantur.

Principii loco in memoriam revoca id quod supra dictum est de ratione huius nominis *assumere,* (quasi *ad se sumere*). Duo scilicet in eo indivisim significantur, actio unitiva et unionis terminus, quatenus assumens dicitur ille a quo est unio efficienter, et ad quem est etiam terminative. Porro utrumque praedictorum competit personae qua tali, quia persona significatur ut quod est, et consequenter ut quod operatur et agit; similiter persona est, ad cuius unitatem unio hypostatica terminatur. Ipsa igitur propriissime suscipit denominationem assumentis.

Verumtamen natura in Deo non differt secundum rem a persona, quamvis differat secundum modum significandi qui semper desumitur a creaturis. Hinc, esse terminum unionis, naturae quidem divinae non competit sub formali denominatione naturae seu essentiae, bene tamen potest ei competere sub ratione rei subsistentis, quae in summa simplicitate respondet composito ex essentia et esse in creatis: siquidem unio de qua loquimur, est ad subsistens et secundum subsistentiam. Nihil ergo impedit quominus dicatur natura divina in Verbo assumere, id est unire *ad se* humanitatem, intelligendo ly *ad se,* non quidem de ipsa natura in quantum significatur ut natura, sed in quantum est quid subsistens et cum suo supposito idem. « Et ideo, primo

« quidem et propriissime persona dicitur assumere; secundario « autem potest dici quod etiam natura assumpsit naturam ad sui « personam. Et secundum etiam hunc modum dicitur natura in- « carnata, non quasi in carnem conversa, sed quia naturam « carnis assumpsit. Unde Damascenus dicit: Dicimus naturam « Dei incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyril- « lum » (1).

Quaecumque autem hic asseruntur, eodem modo procederent, etiamsi supponeretur esse in Deo una tantum persona absoluta. Hac enim hypothesi facta, adhuc in Deo natura a persona differret quoad significandi modum, adhuc esset removenda unio in natura, et sola admittenda unio in persona. Quippe incarnatio de suo conceptu nihil aliud importat praeter unionem substantialem ex qua non resultat ens novae speciei, sed per quam Deus immotus in se permanens incipit in humana etiam natura subsistere. Porro ad huiusmodi conceptum sufficit cogitare Deum subsistentem. Deus autem intelligitur subsistens, etiam sub praecisione personalium relationum, ut iam in superioribus notatum est, et in tractatu de Trinitate late ostenditur. Sive ergo abstrahas a relationibus per quas *constituuntur plures* in natura divina subsistentes, sive non abstrahas, semper personae proprie conveniet assumere, naturae vero in quantum est idem cum persona. Hinc S. Thomas in III, D. 5, Quaest. 2, a. 3: « Circumscriptio perso- « nae a natura divina potest dupliciter intelligi. Uno modo, quod « circumscribatur omnis ratio personalitatis, et sic ipsa natura « neque erit subsistens in re, neque erit in aliquo subsistente, « et sic non habebit esse in re, sed in intellectu, et sic non con- « veniet ei neque assumere neque aliquid agere. Alio modo po- « test intelligi *quod circumscribantur personae distinctae quas fides « ponit;* eis autem circumscriptis, adhuc remaneret divina natura « subsistens, sicut Deum intelligunt qui non habent fidem Tri- « nitatis.... Unde adhuc remanebit ibi personalitas aliqua; et hoc « modo dicendum quod, circumscriptis personis, adhuc divinae « naturae conveniet assumere ».

(1) S. Thom., hic, art. 2 in corp.

Verum circumscriptio sive praecisio personalitatum relativarum in divinis, non est nisi secundum operationem intellectus nostri. Nam ex absoluta necessitate divinae naturae, (quamvis huius necessitatis ratio nos lateat), tria sunt relativa supposita. Praeterea docet nos revelatio quod ad unum dumtaxat e tribus terminatur humanae naturae assumptio. Hinc igitur crescit difficultas mysterii, enasciturque necessitas specialiter considerandi unionem, secundum quod unius tantum, et non aliarum simul personarum est.

THESIS XI.

(Art. 4-5)

Solus Filius secundum Scripturas homo factus est, non autem Pater nec Spiritus Sanctus, adeoque fides catholica manifeste docet unam personam divinam posse sine alia naturam creatam assumere. Sed quoad huius veritatis expositionem, nulla reperiri potest inter varias sententias differentia, quia omnes indiscriminatim dicere debent uniri humanitatem cum esse Verbi, quod est ipsum esse divinum distincto atque incommunicabili modo habitum per relationem filiationis.

§ 1.

Solum Filium assumpsisse carnem, omnes fere Novi Testamenti paginae tradunt. Ubique enim Deus incarnatus dicitur. Verbum, Filius, Filius Dei pariter et hominis, Unigenitus qui est in sinu Patris, Imago Dei invisibilis: quae totidem nomina sunt, soli secundae personae convenientia.

Nec sensu tantum affirmativo de solo Verbo incarnatio praedicatur, sed sensu etiam exclusivo, quatenus a communione assumptae humanitatis positive excluduntur Pater et Spiritus Sanctus. Excluditur quidem Spiritus Sanctus, cuius visibilis missio seu adventus asseritur tempore posterior adventu et missione Filii, iuxta illud Ioan. VII-30: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et iterum, Ioan. XVI-7: *Expedit*

vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio. Non ergo Spiritus Sanctus eamdem cum Filio assumpsit humanitatem, nam alias, simul cum Filio venisset et simul fuisset datus. At vero adhuc evidentius excluditur Pater, cum nihil magis contrarium traditioni Sacrae Scripturae cogitari possit, quam quod Pater cum Filio convenerit in humanae assumptione infirmitatis, in susceptione laborum crucis, in satisfactione pro peccato et solutione pretii redemptionis. Ipse enim Pater ubique proponitur ut a sua gloria non descendens, ut mittens et non veniens, ut acceptans et non solvens, ut exaudiens et non deprecans, denique ut maior Filio secundum carnem: quod rursus verum non esset si ipsemet per incarnationem, humanae factus fuisset particeps naturae. Haec igitur et alia multa quae commemorare non vacat, adeo decretoria semper visa sunt omnibus, ut nullus unquam alicuius momenti error in contrarium prodierit. Adeoque universaliter est creditum, *incarnationem divinitatis, non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum.* Et quia ab actu ad posse valet illatio, statim sequitur posse unam personam sine alia naturam creatam assumere. Sed si una potest, ergo quaelibet ex divinis, cum evidentissimum sit non esse maiorem rationem possibilitatis, loquendo de potentia absoluta, pro persona Filii quam pro persona Patris vel Spiritus Sancti.

Et hucusque quidem fidei dogma. Nunc autem quomodo contradictionem non involvat, qualiter etiam concilietur cum doctrina superius exposita de unione secundum subsistentiam, paulo diligentius est considerandum.

§ 2.

Rursus habeto prae oculis illa duo quae in ratione assumptionis includuntur. Et si quidem assumptio nihil aliud importaret praeter *operationem* qua natura creata trahitur ad divinam hypostasim, sic impossibile foret ut una persona sine alia assumeret, quia virtus operandi, quae pertinet ad naturam sub for-

mali ratione naturae, est communis in divinis; adeoque nulla est operatio in aliqua persona, quin eo ipso sit in aliis duabus simul. Nunc autem nihil impedit quominus una persona sine alia *terminet* unionem, quia terminatio non dicit efficientiam, sed reducitur ad causam formalem, quae sola communicatione sui praestat quod praestandum habet. Hinc, quidquid actionis importatur in verbo *assumere,* totum necesse est attribuere tribus; verum enim est quod tota Trinitas univit humanam naturam Filio, ac per hoc, fuit efficiens incarnationis causa. Sed unionis terminus non est nisi persona Filii, eo quod per operationem divinam communicatur humanitas uni tantum e tribus qui in natura divina distincte subsistunt. Cum igitur assumptio non solam importet uniendi actionem, sed indivisim consignificet terminum ad quem unio fit, uni et eidem supposito utrumque attribuens: hinc est quod solus Filius dicendus est humanam naturam assumpsisse, non autem Pater, nec Spiritus Sanctus.

Sed iam nonnullis videbitur hoc dogma conciliari non posse cum doctrina de unione hypostatica quae in praecedenti quaestione fuit asserta et declarata. Quorum difficultati statim satisfacere oportet in solutione sequentium argumentorum.

Obiicitur primo: *Si assumptio terminatur ad unam solam personam, necesse est ut terminetur « in id quod est proprium « Filii, non quod commune Trinitati », ut dicitur in Concilio Toletano XI. Atqui proprium Filii, sive personalitas eius non est esse exsistentiae, sed relatio filiationis. Ergo, vel non explicatur unio hypostatica per hoc quod humanitas trahitur ad increatam Verbi exsistentiam, vel certe tota Trinitas dicenda est incarnata.*

Respondeo: **Distinguo minorem:** Esse exsistentiae ut sic, non est proprium Filio, sed tribus personis commune, **concedo.** Esse exsistentiae prout habitum distincto quodam et incommunicabili modo, per oppositionem relativam ad duos alios relativos modos qui in deitate habentur, **nego.** Et similiter, personalitas Filii est relatio filiationis praecisive sumpta secundum solum *esse ad*, **nego.** Indivisim considerata secundum *esse ad* et *esse in*, ac per hoc, secundum identitatem cum substantia divina quae est ipsa subsistens exsistentiae perfectio, **concedo.** Et ad huius

rei intelligentiam rursus observa quod si sumatur relatio divina solum qua relatio est, id est, secundum solum *esse ad*, sic ponit tantum oppositionem ad alterum, ac per consequens, distinctionem; ideoque, nondum exhibet completam personalitatis rationem, eo quod persona non dicit tantum *distinctum*, sed etiam et per prius *subsistens*. Oportet itaque sumere relationem divinam, etiam et maxime secundum *esse in*, videlicet prout et in quantum importat aliquid identicum cum esse divino absoluto, quia ex hac identitate convenit ei subsistere. Unde tandem **nego disiunctionem** consequentis, et dico explicari unionem incarnationis per hoc quod trahitur humanitas ad unum e tribus relativis modis quibus habetur divina exsistentia, sive (quod idem est), *ad exsistentiam divinam habitam uno relativo modo*. Quod etiam maxime conforme est doctrinae Patrum, speciatim vero Damasceni, qui l. 3 de fide orthod. c. 5, proprietatem in divinis vocat distinctum exsistentiae modum, τόν τῆς υπαρξεως τροπον διάφορον (1). Sed nec aliis principiis inhaeret Concilium Toletanum, cum distinguit Filii proprium ab eo quod est commune Trinitati.

Eadem porro responsio facile adaptari potest eidem difficultati, quam sub forma paulo diversa proponunt nonnulli: *Aut*, inquiunt, *una est subsistentia in divinis, aut plures. Si una, non potest esse quod aliquid secundum subsistentiam uniatur uni personae, et non aliis duabus. Si plures, ut habetur in Concilio Lateranensi* (2), *ergo subsistentia non est substantialis exsistentia, quia haec in Deo non multiplicatur, et sic mutanda omnino est doctrina superius tradita.*

Ad hoc enim dicendum est quod *subsistentia* quandoque sumitur in vi nominis concreti pro substantia habente suam exsistentiam in se. Et quia apud nos substantiae corporales, quamdiu suam in se exsistentiam retinent, individuae sunt atque incommunicabiles, hinc fit ut nonnumquam transferatur hoc nomen

(1) « Quaelibet illarum personarum per se subsistit, sive perfecta « hypostasis est, suamque proprietatem, hoc est, exsistentiae modum « disparem habet ».

(2) Enchirid. n. 231.

ad standum non solum pro *subsistente,* sed etiam pro *subsistente distincto,* hoc est pro hypostasi, et hoc sensu in Concilio Lateranensi dicuntur esse in Deo tres subsistentiae, id est, tres hypostases. Quamquam si sumatur subsistentiae nomen in vi propriissimae suae significationis, pro eo a quo aliquid formaliter habet exsistere in se et non in alio, sic utique una in Deo subsistentia est agnoscenda; nam nomina substantiva, inquit S. Thomas in I, D. 26, Q. 1, a. 1 ad 4um, *quae dicuntur per respectum ad esse, praedicantur singulariter* (in divinis), *ut subsistentia et essentia.* Et tamen, ut dictum est, haec una subsistentia seu substantialis exsistentia tribus relativis modis habetur. Unde, cum natura humana uniatur divinae subsistentiae prout per relationem filiationis distincto modo habitae, nequaquam sequitur humanitatem uniri tribus personis, aut totam Trinitatem esse incarnatam.

Obiicitur secundo: *Si per impossibile fieret unio in natura, eo ipso necesse esset totam Trinitatem incarnari. Sed exsistentia in divinis non minus communis est quam natura. Ergo etiam, si unio fit secundum esse exsistentiae, non solus Filius homo factus est, sed et Pater et Spiritus Sanctus.*

Respondeo: **Dist. mai.** Et ratio cur, supposita unione in natura, oporteret totam Trinitatem incarnari, reponeretur praecise in hoc quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unius eiusdemque numero naturae, sicut sunt unius eiusdemque esse, **neg.** Et reponeretur in aliquo alio quod locum non habet in unione secundum solam subsistentiam, **conc.** Unde non sequitur argumenti conclusio.

Non, inquam, in eo staret consequentiae ratio, quod natura ut sic communis est in divinis. Nam etsi sit communis communitate numerica, adhuc tamen proprio modo (relativo) habetur a singulis, sicut ipsum esse cum quo est idem, et a quo nequidem distinguitur distinctione rationis adaequata. Itaque vera ac formalis ratio hinc desumenda esset, quod unio in natura, utpote significans coniunctionem duorum concurrentium in ratione partium essentialium ad constitutionem novae essentiae, poneret mutationem in natura divina. Et quia impossibile est fingere

realem eiusmodi mutationem quin divinitas intelligatur mutari tam in Patre, quam in Filio, quam in Spiritu Sancto (est enim in omnibus numero una), eo ipso tota Trinitas inciperet esse unum comprincipium illius tertii quod ex unione deitatis cum humanitate resultaret. Sed unio secundum solam subsistentiam non importat absurdam hanc mutationem divinitatis. Relinquit enim divinum esse omnino immotum, quia ipsum ponit purum terminum ad quem humanitas trahitur tamquam ad sustentantem actum essendi. Cum igitur hoc divinum esse proprio atque incommunicabili modo sit in singula quaque trium personarum, quid, quaeso, evidentis repugnantiae potest ostendi in eo quod natura creata ei uniatur sub uno e modis quibus habetur, et non sub aliis qui relativa oppositione realiter distinguuntur? Certe relatio personalis non facit ut esse vel natura Filii non sit esse vel natura Patris, adeoque non faceret ut mutato esse Filii, non eadem ratione mutaretur esse et Patris. Sed tamen facit ut hoc ipsum esse et haec ipsa natura eo incommunicabili modo habeatur a Filio, qui non est modus incommunicabilis quo habetur a Patre; et consequenter facit ut natura humana possit communicari divinae subsistentiae prout est Filii, quin pertineat ad hypostasim Patris vel Spiritus Sancti.

Hanc rationem si bene consideres, videbis non esse amplius locum difficultati, quae apud quosdam invenitur circa *terminum mediatum,* ut aiunt, unionis hypostaticae. Attendentes enim realem identitatem personalitatis et naturae in divinis, dicunt nonnulli: *Ergo mediate saltem unitur humanitas naturae divinae, et quomodo hinc non sequatur Trinitatem esse mediate quoque incarnatam, difficile est videre.*

Ad quam instantiam in primis animadverto quod locutio qua natura divina dicitur terminus mediatus unionis, non est forsitan ad rigorem veritatis satis exacta. Quodnam enim medium posset in summa identitate intercedere? Si tamen nihil aliud significetur nisi quod divinitas non unitur ut natura et in linea naturae, sed ut identice terminans communicationem qua personae Filii communicatur humanitas, (quo sensu loquebatur S. Thomas cum superius docuit assumptionem non competere naturae divinae

nisi secundario, et in quantum est cum suo supposito idem), sic locutio poterit sustineri. Verum nulla est sequela, quia nec immediate nec mediate unitur divinitas prout distincto modo Paternitatis vel Processionis habita, sed solum ut habita per modum Filiationis. Itaque si naturam ponas mediate unitam, non oportet nominare naturam simpliciter, sed cum addito personalis proprietatis secundum quam est in Verbo, sicut cum Cyrillus dicit *naturam Dei Verbi incarnatam*, et ideo semper redit distinctio ab initio facta circa subsistentiam, quae licet una in divinis, tribus tamen incommunicabilibus modis relativis habetur.

Sed iam ex dictis pronum est eruere id quod ultimo loco in thesi positum est: praesentem scilicet quaestionem indifferenter occurrere in quibuslibet de unione hypostatica sententiis, et non aliam ferre solutionem apud eos etiam qui humanitatem assumptam propria volunt exsistentia exsistere.

§ 3.

Sane vero, quacumque sententia circa rationem unionis supposita, eadem est difficultas quoad incarnationem unius personae sine alia; et quisquis putat specialem ex hoc capite inveniri arduitatem in doctrina S. Thomae, iste conditionem divinorum non satis assequitur. Quid enim, quaeso, dicere iuvat unionem incarnationis terminari ad relationem personalem Filii in quantum relatio est? An forte asseres cum Porretanis in Concilio Rhemensi sub Innocentio II damnatis, relationes esse assistentes in divinis, et distingui realiter ab essentia? Profecto oportet ponere secundum fidem, ipsas esse re idem cum esse sive substantia absoluta; quin imo, qua reales, formalissime includunt hanc identitatem, ut dictum est supra. Quare, vel incarnatio est fictitia, vel fatearis necesse est unionem *realiter* terminari ad ipsum esse divinum. Nunc autem qui fieri possit ut natura humana realiter unita esse divino, non eo ipso uniatur tribus personis quarum est unum esse, eodem semper modo explicari debet, nec alia est responsio excogitabilis praeter eam quae fuit assignata. Quippe, inter nos et adversarios catholicos controversia non est circa id *cum quo* unitur humanitas, sed magis circa id *secundum quod*

personalis unio perfici dicenda est (1). Cum autem inquiritur de incarnatione unius personae sine alia, nihil refert posterior haec consideratio, sed solum illa prior in qua nulla est nec esse potest differentia (2).

Quod si sententiarum diversitates nullam in praesenti differentiam afferunt dum ex parte termini consideratur assumptio, multo minus si consideretur ex parte actionis unitivae. Et nos quidem statuimus humanitatem non fuisse prius natura produ-

(1) An scilicet secundum additionem, ut vult Scotus. An secundum modalitatem colligantiae, ut vult Suarez, an secundum suppletionem propriae exsistentiae humanitatis, ut nos volumus.

(2) Sane nihil refert ad praesens, quod inter esse absolutum et relationem personalem sit distinctio rationis, sive, ut adversariis loqui placet, *distinctio virtualis*. Nam distinctiones rationis quae introducuntur in divinis, nequaquam sunt attribuendae Deo secundum se; alias si essent aliquid in Deo, ad genus distinctionum realium omnino reducerentur, et iam non foret Deus id quo simplicius esse nequit. Sed distinctiones istae quas dicis virtuales, quasque alii rectius rationis vocant, (sive sint adaequatae ut inter essentiam et relationes, sive solum inadaequatae ut inter attributa absoluta), in nobis solis causam sui habent: quatenus intellectus noster non potest assurgere usque ad efformandum conceptum unum qui plene repraesentet divinae simplicitatis eminentiam, et ideo necesse habet formare multiplices rationes intellectas, ad normam eorum quae in creaturis per diversa praedicamenta seu genera distribuuntur. Quae tamen rationes intellectae non dicuntur esse in Deo, quasi foret in ipso aliquid respondens earum multiplicitati et distinctioni ut tali, sed solum quia Deus verificat in sua simplicitate supereminenti quidquid divisim et multipartite de eo a nobis cogitatur. Et in materia quidem de Trinitate praedictae distinctiones rationis plurimum inserviunt, ut scilicet palam fiat quomodo hoc mysterium secundum quod ex verbo revelationis ad nos factae repraesentatur in conceptibus nostris, nullam contineat contradictionem, idest, non constet notionibus inter sese pugnantibus, idem affirmantibus et negantibus secundum idem. Verum in praesenti nihil ex eis efficitur, praetereaque nihil. Nam si solum sunt in intellectu nostro, profecto in causa esse non possunt ut si quid realiter unitur personae divinae, uniatur cum relatione et non cum esse ipsius personae, aut immediate uniatur cum relatione et mediate tantum cum esse; haec enim duo omnibus modis sunt unum atque idem secundum rem. Quare, cum ex hac parte nulla omnino pateat via, clarum est quod in omni opinione eadem est difficultas, eademque adhibenda responsio.

ctam quam Verbo unitam, sed unionem involvi in ratione creationis eius, eo quod productio includit necessario unionem producti cum actu essendi, qui in proposito non alius est quam esse personale Filii Dei. Sed sicut non sequitur in sententia Scoti vel Suarezii, Trinitatem esse incarnatam, ex hoc quod per totam Trinitatem humanitas fuit prius natura producta et postea unita: ita certe non potest sequi apud nos, Trinitatem incarnari, quia a tota Trinitate est actio productiva involvens in sui ratione unitionem ad Verbum. Sive enim identifices *uniri* cum *produci*, sive distinguas, cum tam *uniri* quam *produci* debeat iuxta omnes esse efficienter ab omnibus personis, eadem sane semper doctrina est secundum praesentem considerationem.

Nihil ergo valet sequens argumentum: *Humanitas ipsa assumptione creatur. Sed creatur a tota Trinitate. Ergo assumitur a tota Trinitate et ad totam Trinitatem.* Nihil, inquam, valet; et eamdem enodationem requireret, si loco dicendi cum S. Leone, *ipsa assumptione creatur*, dicerem solum cum aliis, *ipsa assumptione unitur.*

Quapropter ab omnibus pariter adhibenda est sequens solutio: **Dist. mai.** Humanitas ipsa assumptione creatur, ita tamen ut actio assumptiva quae efficienter est a tribus personis, denominationem assumptionis non recipiat nisi respectu personae in qua, praeter efficientiam unionis consideratur et unionis terminus, **conc.** Ita ut actio assumptiva possit nominari assumptio respectu omnium personarum a quibus est ut a causa efficiente **neg.** Et concessa minore, distinguo consequentiam: Ergo a tota Trinitate est quidquid actionis per assumptionem importatur; non tamen sequitur Trinitatem esse terminum unionis, et si terminus unionis non est, nec convenit ei denominatio assumentis.

Quocumque igitur modo res inspiciatur, nulla est in praesenti inter varias sententias oppositio, sed omnes aequalem inveniunt difficultatem e conspectu mysterii, quod est ipsum mysterium realis distinctionis consubstantialium personarum. De quarum tamen cognitione non est ratiocinandum sicut de incarnatione earumdem. Cum enim sint distincte subsistentes, realis unio secundum subsistentiam potest terminari ad unam, et non

ad caeteras. Nunc autem sunt personae relativae; ex quo fit ut sit impossibile unam videri, non visa altera; relativa enim necessario sunt simul in cognitione, ut fert notum axioma.

SCHOLION

(Art. 9-7).

Loquendo de potentia absoluta, non videtur impossibile ut plures personae divinae unam numero naturam assumant, vel e converso, una persona plures naturas.

Possibilitas assumptionis unius numero naturae a tribus personis negatur a quibusdam, quos inter S. Bonaventura in III, D. 1, a. 1, Quaest. 3. Nihilominus opinio affirmans sicut est communior post S. Thomam in praesenti, ita videtur et longe probabilior. Esset quidem evidens repugnantia, si una numero natura supponeretur assumi a pluribus suppositis absolutis, quia plura supposita absoluta omnino differunt secundum esse, et fieri non potest ut una essentia exsistat per plura esse substantialia. Verum eadem ratio non militat quoad supposita relativa in quibus esse non multiplicatur, sed solum modus habendi unum idemque esse. Et cum aliunde fides Trinitatis proponat tres personas convenientes in una natura aeterna, quid, quaeso, posset absolute impedire quominus convenirent in una etiam natura assumpta? Pleraque porro argumenta in contrarium allata eodem ferme modo solvi videntur ac sophismata quae afferri solent contra consubstantialem Trinitatem; quae tamen, quia non sunt huius loci, in praesenti praetermittuntur (1).

Nunc autem e converso, unam divinam personam posse assumere plures naturas, « fere ab omnibus conceditur », ait S. Thomas in III, D. 1, Quaest. 2, a. 5. Et recte quidem, quia si una natura creata potest exsistere in hypostasi divina, ergo possunt plures, imo aliae et aliae in infinitum. Ideo enim convenit personae divinae unire sibi hypostatice naturam extraneam,

(1) Cf. S. Thom., hic, art. 6, ad 1um et ad 3um.

quia est purus et infinitus actus exsistendi. Sed infinitum non potest exhauriri per finitum. Ergo, « sicut Deus potest semper « novas creaturas concedere, quia eius potentia per creaturas « nullo modo exhauritur, ita etiam persona divina potest, qua- « libet natura assumpta, iterum aliam assumere, quia potestas « assumendi per naturam assumptam non terminatur » (1). Caeterum, quod attinet ad modos loquendi qui, hac hypothesi facta, deberent adhiberi, multa dubia et difficultates occurrunt, praesertim si supponantur plures naturae assumptae, non specie, sed solo numero differentes. Sed non vacat in praesenti horum dubiorum solutionem inquirere. Sufficit enim (praesertim quia de mera possibilitate agitur), ut res ipsa sit perspicua; porro ex dictis in Quaest. 2, videtur clara et evidens satis.

THESIS XII.

(Art. 8).

Habita ratione finis incarnationis, congruum fuit ut Verbum incarneretur, potius quam Pater vel Spiritus Sanctus.

Huius assertionis duae sunt principales rationes, desumptae e duobus praecipuis nominibus quae secundae personae attribuuntur.

Etenim primo, finis incarnationis fuit reparatio operis Dei quod fuerat collapsum. Conveniens ergo erat ut ea potissimum persona incarnaretur, in qua specialiter attenditur similitudo exemplaris seu forma artis secundum quam condita sunt universa; nam et artifex per formam artis conceptam qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit restaurat, inquit Angelicus in praesenti. Atqui persona in qua specialiter attenditur similitudo exemplaris totius creaturae, ipsum est Verbum Dei. Non quod proprium ei sit continere formas exemplares et ideas creaturarum, hoc enim pertinet ad naturam divinam tribus communem; sed quia personalis proprietas seu relatio quae in nomine Verbi

(1) S. Thom. in III, D. 1, Quaest. 2, a 5.

importatur, est relatio procedentis secundum operationem intellectus, et idcirco secundae personae peculiari modo appropriatur natura divina prout est intellectum exemplar in quo omnium rerum rationes elucent. Recte ergo et convenienter ad reformandam humanae substantiae dignitatem ordinata est Verbi incarnatio. Quod non obscure innuit Ioannes dicens: « In principio « erat Verbum...; omnia per ipsum facta sunt; et Verbum caro « factum est » (1).

Adhuc, finis incarnationis fuit redintegratio hominum in gloriam filiorum Dei, hoc est, in possessionem coelestis illius haereditatis quae non debetur nisi filiis. Congruum ergo fuit ut per eum qui est Filius naturalis, participaremus filiationem secundum adoptionem, iuxta illud apostoli: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Unde Augustinus, Serm. 57, n. 2: « Dominus noster Iesus Christus..., cum sit ipse « Dominus, Filius Dei unicus, tamen noluit esse unus. Unicus « est, et unus esse noluit, fratres habere dignatus est. Quibus « enim dicit: *Dicite, Pater noster qui es in caelis?* Numquid in« vidit nobis...? Quia talis est haereditas quam nobis promittit, « quam multi obtineant, et angustias nemo patiatur, ideo in suam « fraternitatem vocavit populos gentium, et habet Unicus innu« merabiles fratres qui dicant: Pater noster, qui es in caelis ».

Accedit demum quod congruebat fini reparationis nostrae, ut persona divina assumeret naturam ex genere nostro propagatam, adeoque fieret non solum homo, sed et hominis filius. Ne

(1) Et exhinc assignari potest causa cur Ioannes in prooemio evangelii, gesta personae incarnatae enarraturus, ipsam appellavit nomine *Verbi* potius quam *Filii*. Nam etsi eo Verbum quo Filius, ut Augustinus ait, et eo Filius quo Verbum: tamen in nomine Filii non elucet explicite ratio causae exemplaris, seu ideae, seu artis, quae secundae personae propter intelligibilis processionis modum appropriatur. Quasi ergo dixisset evangelista: In Verbo attenditur idea secundum quam factus fuerat homo in honore et perfectione primae creationis. Et cum ille ab ea perfectione peccando defecisset, ipsa exemplaris idea carnem assumpsit, et in assumpta humanitate sese veluti visibiliter delineavit, ut opus mirabiliter primitus factum, per ipsam et secundum ipsam mirabilius iam reformaretur.

ergo impediretur manifestatio personalium proprietatum in divinis, debuit incarnari Verbum potius quam Pater vel Spiritus Sanctus; alioquin nomen relativum competens personae qua incarnatae, vergeret in confusionem proprietatis personae secundum se. Hinc Damascenus l. 4 de fide orthod. c. 4: « Pater, « Pater est et non Filius. Filius, Filius est et non Pater. Spi« ritus Sanctus, Spiritus ac non Pater nec Filius. Proprietas enim « immobilis est; quonam enim alio modo proprietas maneret si « moveretur, exque alia in aliam transiret? Ob eam causam Dei « Filius, hominis filius fit, ut proprietati immobilitas sua constet. « Nam cum Dei Filius esset, factus est hominis filius, ex Sancta « Virgine carnem sumens, nec propterea ab ea proprietate quae « Filium decet excedens ».

Et de persona quidem assumente hactenus. Sequitur nunc consideratio de modo unionis ex parte naturae assumptae.

QUAEST. IV-VI.

DE NATURA ASSUMPTA

Deinde, inquit Angelicus, considerandum est de unione ex parte assumpti. Et primo quantum ad ipsam naturam humanam, secundo quantum ad partes ipsius, tertio quantum ad ordinem assumptionis.

THESIS XIII.

(Quaest. 4).

Natura humana, prae aliis omnibus naturis, fuit a Filio Dei assumptibilis.

Ante omnia, removenda aequivocatio. Cum enim natura creata dicitur assumptibilis, id est potens assumi a divina persona, primo quidem « non signatur aliqua potentia activa crea« turae, quia sola potentia infinita hoc facere potuit ut in infini« tum distantia coniungerentur in unitatem personae. Similiter

« non signatur etiam potentia passiva naturalis, quia nulla po-
« tentia passiva naturalis est, cui non respondeat potentia activa
« alicuius naturalis agentis. Unde relinquitur quod dicat in crea-
« tura solam potentiam obedientiae. Haec autem potentia (obe-
« dientialis) correspondet divinae potentiae, secundum quod... ex
« creatura potest fieri quod ex ea Deus facere potest » (1). Sed potentia divina dupliciter accipitur, vel *ut ordinata,* vel *ut absoluta.*

Ad cuius intelligentiam sciendum est quod omnipotentia Dei praecisive sumpta, pro obiecto habet illud omne in quo salvari potest ratio entis (2). Nunc autem in his in quibus ratio entis potest salvari, pro quanto scilicet non importatur affirmatio et negatio eiusdem secundum idem, triplex occurrit differentia. Nam primo, aliquid est conveniens ordini qui de facto institutus est in rebus. Et hoc dicitur posse a Deo fieri *de potentia ordinata,* quia tunc accipitur omnipotentia non secundum nudam potentiae rationem, sed etiam secundum quod nostro concipiendi modo exsecutiva est *ordinationis* divinae sapientiae et decreti divinae voluntatis. — Aliquid praeterea est non conveniens huic ordini, sed tamen non habens disconvenientiam ad divinam sapientiam, cum ipsa potuisset statuere ordinem alium secundum quem esset congruum id quod nunc iuxta ordinem istum qui rebus inest, non convenire videtur. Et hoc dicitur posse a Deo fieri *de potentia absoluta simpliciter.* Fieri quidem posse de potentia absoluta, quia tunc consideratur omnipotentia quasi soluta a praestitutione ordinis qui in libera Dei voluntate est; fieri etiam posse simpliciter, quia nihil est in obiecto quod repugnet potestati divinae virtutis, sive ipsa sumatur secundum praecisam rationem potentiae activae, sive etiam consideretur prout cum sapientia et iustitia idem. — Tandem aliquid est quod nullo modo cadit in iusta voluntate et sapiente intellectu, et hoc dicitur posse a Deo fieri *de potentia absoluta conditionaliter.* Quo quidem loquendi modo significatur, esse in obiecto rationem quam respicit

(1) S. Thom. in III, D. 1, Quaest. 2, a. 3.
(2) In prima Parte, Quaest. 25, a. 5.

omnipotentia secundum se, deesse tamen conditionem quam exigit in quantum a sapiente intellectu et voluntate recta non distinguitur. Ideo non est dicendum hoc esse simpliciter in potentia Dei, sed solum sub conditione caeteroquin impossibili, id est, si aliunde congrueret sapientiae, bonitati, et iustitiae. Non enim est inconveniens, inquit Angelicus ([1]), si in conditionali vera antecedens sit impossibile.

Loquendo ergo de potentia absoluta, prout respicit vel simpliciter vel sub conditione, illud omne quod non involvit in se contradictionem, sic dicendum quod omnis natura substantialis potest assumi a divina persona, et quod hoc modo non est una creatura magis assumptibilis quam altera. Ratio patet ex dictis in Quaest. 2. Nam ut salvetur conceptus unionis secundum subsistentiam, nihil aliud requiritur ex parte creaturae nisi ut sit quaedam subsistendi ratio, sive aliquid in quo et secundum quod subsistitur. Sed hoc omnibus substantiis indifferenter commune est.

Loquendo autem de potentia absoluta, prout respicit illud quod non solum non involvit in se contradictionem, sed potest etiam iuste et sapienter a Deo decerni, sic sunt a divina persona assumptibiles omnes et solae naturae intellectuales. Dixi primo, *omnes naturae intellectuales*. Non enim in hac absoluta consideratione discriminatur natura angelica ab humana, sed sub alio atque alio respectu maior congruitas attenditur tam in angelica prae humana, quam in humana prae angelica. In angelica quidem, ratione maioris perfectionis et propinquitatis ad Deum secundum intellectualitatem. In humana vero, ratione coadunationis omnium graduum entis, quatenus homo omnes alias creaturas naturali generationis ordine praesupponens, convenienter primo rerum principio coniungibilis est, « ut quadam circulatione perfectio rerum concludatur » ([2]). Dixi secundo, *solae naturae intellectuales*, quia assumptio naturae intellectu carentis non esset ordinabilis ad aliquem iustum finem. Etenim assumeretur haec natura in instrumentum alicuius operis faciendi. Sed natura ir

([1]) In III, D. 1, Quaest. 2, a. 3.
([2]) S. Thom. l. 4, c. Gent., c. 35.

rationalis, cuius est agi potius quam agere, non haberet meliorem operationem coniuncta Deo secundum hypostasim, quam separata. Si quid igitur, inquit S. Thomas l. 4 c. Gent. c. 55, divinitus agendum fuit per irrationalem creaturam, sufficiebat secundum huiusmodi creaturae conditionem, ut solum a Deo moveretur, minime vero iuvabat ut in hypostasi uniretur. Praeterea natura irrationalis non est capax illius excellentiae, beatitudinis, et gloriae, quam oportet esse in eo quod Deo unitur in persona. Item incongruum profecto est ut quod non potest uniri Deo secundum operationem, assumatur ad unionem secundum esse personale, quae ordinis est multo excellentioris.

Tandem, loquendo de potentia ordinata, id est de potentia Dei prout exsecutiva est ordinis a divina sapientia et voluntate praestituti, sic sola natura humana prae aliis omnibus naturis fuit assumptibilis a Verbo. Et ratio est quia divina sapientia ordinavit ut assumptio nunc non fieret nisi ad reparationem peccati, iuxta praemissa in Quaest. 1. Unde illa sola natura assumptibilis exstitit, quae indigebat reparatione, et potuit reparari.

Nota. — In art. 2 huius quaestionis docet S. Thomas, assumptam fuisse a Filio Dei naturam humanam, non personam; quae quidem doctrina in superioribus omnino fuit praeoccupata. Sed rursus hic animadvertes, quam male aliqui contra nos arguant dicentes, Filium Dei debuisse assumere etiam exsistentiam creatam, eo quod iuxta Sanctos Patres, *assumpsit quidquid in natura nostra plantavit,* vel quia iuxta eosdem, *non est curatum a Verbo, quod non est assumptum a Verbo.* Haec enim et similia intelligenda esse de natura ut sic, et de iis omnibus quae pertinent ad naturae et speciei perfectionem, luculenter monstratur in praesenti. Alioquin, debuisset assumi et humana personalitas, ut iam notavimus. Sed et nova atque amplior declaratio haberi potest ex ipso contextu Patrum, qui praedicta axiomata opponebant variis erroribus veritatem humanae naturae in Christo impetentibus. Processerat quippe contra benedictum mulieris semen magnus eius antagonista serpens antiquus, et nihil quod ad ipsum pertineret reliquerat intactum. Negaverat divinitatem, negaverat humanitatem; negaverat unionem solvendo, negaverat

distinctionem confundendo. In ipsa humanitate negaverat corpus, negaverat animam, negaverat mentem; modo posuerat carnem phantasticam, modo carnem e coelo delapsam, modo carnem cuius anima esset ipsa divinitas, modo carnem sola anima sensitiva animatam, cui tamquam mens Verbum fuisset illapsum. Igitur contra istas multiplices diabolicae fraudis formas asserebant Patres orthodoxi, *toti humanae naturae totam deitatis substantiam unitam fuisse.* « Neque enim, ait Damascenus, l. 3 de fide orthod. « c. 6, Deus Verbum quidquam eorum quae cum nos initio re- « rum fingeret, naturae nostrae inseruit, non assumptum omisit; « sed omnia assumpsit, puta corpus et animam intelligentem ra- « tionabilemque cum eorum proprietatibus. Animal enim quod « alterutrius est expers, ne quidem homo est. Totum quippe me « totus assumpsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret. « Nam alioquin non potuit sanari quod assumptum non fuit ». Et hac quidem in doctrina huius articuli, ad novam praecedentium confirmationem, annotata velim.

In art. 3 docet S. Thomas, non fuisse proprie loquendo assumptum hominem, sed humanitatem. Nam nomina concreta significant naturam ut in supposito. Porro non fuit assumptum suppositum, sed assumpta est natura ad suppositum Verbi. Hinc, si quando apud Sacros Doctores occurrat locutio in contrarium, large est accipienda, ut intelligamus hominem assumptum, « quia « eius natura est assumpta, et quia assumptio terminata est ad « hoc ut Filius Dei sit homo ».

In articulis 4 et 5 edocemur, Verbum non debuisse assumere humanitatem abstractam a principiis individualibus, quia hoc erat omnino impossibile. Item non debuisse assumere naturam humanam in omnibus suis individuis, quia licet fuerit absolute possibile, tamen non erat conveniens, ut per se satis constat.

Demum in art. 6 ostendit Angelicus, convenienter fuisse a Verbo assumptam naturam ex stirpe Adae propagatam, potius quam e nihilo immediate eductam. Cuius rei assignat plures rationes optimas quae in thesi sequenti commodius proponentur.

THESIS XIV.

(Quaest. 5).

Filius Dei assumpsit verum corpus, scilicet carnem ex stirpe Adae propagatam, et similiter animam, eamque intellectivam seu rationalem.

Haec assertio nihil aliud est quam amplior quaedam determinatio quaestionis praecedentis, descendendo ad singulas humanae naturae partes, et ad multiplices haereses quae hac in re ab initio prodierunt.

Et primo quidem fuit error Manichaeorum, postea error Valentini, ex eadem falsa radice ortus, nempe ex hoc quod credebant haec omnia terrena a diabolo seu principio malo fuisse creata [1]. Unde cum Filius Dei in hoc apparuerit ut dissolveret opera diaboli, non ei competebat ut de creatura diaboli assumeret corpus. Dixerunt itaque Manichaei, ait S. Thomas in l. 4 c. Gent. c. 29, Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse. Et ideo, nec verus homo esse potuit, sed apparens; neque ea quae secundum hominem gessit, sicut quod natus est, quod comedit, bibit, ambulavit, passus est et sepultus, in veritate fuerunt, sed in quadam assimilatione tantum. Hoc igitur modo, totum incarnationis mysterium ad quamdam fictionem deducebant. Verum, quia huiusmodi doctrinam cum narratione evangelica ne verosimiliter quidem conciliari posse intelligeret Valentinus, ut nihilominus omnem contaminationem a divinitate removeret, dixit quod Christus verum et solidum corpus habuit, illud tamen non terrenum, sed de coelo asportatum, et quod nihil a Virgine Matre accepit, sed per eam quasi per aquaeductum transivit. Patrocinium etiam sui erroris quaesivit ex Scriptura. Dicitur enim: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* Et iterum: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam.* Et iterum: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* Quae omnia sic intelligi

(1) Cf. August. Tract. 1 in Ioan., n. 14.

voluit Valentinus. ut Christus de coelo, etiam secundum corpus, descendisse crederetur.

Ad haec accesserunt errores alii circa aliam partem naturae humanae, quae est anima. Posuit enim Arius, ait S. Thomas l. 4 c. Gent. c. 32, quod in Christo non fuit anima, sed quod solam carnem assumpsit, cui natura Verbi loco animae fuit. Cum enim vellet asserere quod Filius Dei sit creatura, et minor Patre, ad hoc probandum illa Scripturarum assumpsit testimonia quae infirmitatem humanam ostendunt in Christo. Et ne aliquis eius probationem refelleret dicendo assumpta ab eo testimonia Christo secundum naturam humanam convenire, nequiter animam removit a Christo, ut cum quaedam corpori humano convenire non possint, puta quod miratus est, quod timuit, quod oravit, necessarium fiat ea in inferioritatem Verbi in quantum est Verbum, refundere. Nec omisit Arius munire se etiam auctoritate Scripturae dicentis: *Verbum caro factum est*, ex quo accipere volebat quod solam carnem Verbum assumpserit, non autem animam. Porro in hac positione Apollinaris primo Arium secutus est, non tamen ex eadem ratione, sed ut impeccabilitati Christi consuleret, quam e medio tolli arbitrabatur si in Christo anima esse diceretur. Postmodum vero convictus testimoniis evangelicis, novum excogitavit dicendi modum. Confessus est in Christo animam sensitivam fuisse, sed sine mente et intellectu, ita quod Verbum Dei fuerit illi animae loco intellectus et mentis; sic enim existimabat doctrinae Scripturarum facere satis, et aliunde vitare incommoda quae ex libero arbitrio creato sequi videbantur. Caeterum huic suae opinioni accommodabat sententiam quorumdam antiquorum ponentium in homine duas animas, sensitivam unam, rationalem alteram: quae sententia in Concilio Constantinopolitano IV fuit deinde solemniter anathematizata ([1]).

Et haec quidem de genesi et ratione variorum errorum qui circa assumptam a Verbo naturam prodierunt. Reliquum est ut paucis exponamus argumenta quibus haeresis confutatur et veritas catholica firmatur.

([1]) Enchirid., n. 274.

§ 1.

Filius Dei assumpsit verum corpus. Nam alias, quidquid Evangelium narrat de incarnatione Verbi et gestis eius in carne, merum mendacium est. Non enim ponuntur ea quae eius adventum spectant, in descriptione visionis imaginariae, sed in narratione historiae. Rursus, narratio historiae non est de aliqua specie ad horam apparente, sicut in theophaniis V. T., sed de vero homine qui concipitur in utero matris, nascitur, adolescit, more communi conversatur, patitur, moritur, et sepelitur. Quin imo, etiam post resurrectionem, phantastici corporis suspicionem a mentibus discipulorum expresse removens Dominus dicit: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Unde tandem, Ioannes in principio epistulae quam voluit esse veluti praefationem sui evangelii, insaniam Docetarum uno verbo exclusit inquiens: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae.... testamur et annuntiamus* vobis.

Caeterum testimonia in quibus Scriptura missum dicit Filium in similitudinem carnis peccati (Rom. VII-3), vel etiam in similitudinem hominum factum eum asserit (Philipp. II-7), nihil omnino concludunt. Non enim dicitur solum *in similitudinem carnis,* sed additur *peccati,* quia Christus veram quidem carnem habuit, non tamen carnem peccati, sed similem carni peccati, id est passibilem, qualis facta est caro hominis per peccatum. Et eodem pacto in secundo testimonio, fictionis intellectus excluditur per hoc quod praecedit: *formam* (id est naturam) *servi accipiens.* Unde similitudo non accipitur pro similitudine apparentiae, sed pro vera similitudine speciei, sicut omnes homines inter sese similes specie et dicuntur et sunt. Ita S. Thomas, l. 4 c. Gent. c. 29.

§ 2.

Praeterea, assumpsit Filius Dei carnem terrenam e stirpe Adae propagatam.

Ait enim Apostolus, Rom. I-3 : « Qui factus est ei *ex semine* « *David* secundum carnem ». In veteri quoque testamento, vel a primo prophetiae messianicae exordio, promissus Salvator quasi proprio nomine *semen mulieris* appellatur. Et deinde dicitur ad Abraham : « Benedicentur *in semine tuo* omnes cognationes terrae ». Et similiter ad David : « *De fructu ventris tui* ponam su- « per sedem tuam ». Rursus in prophetis vocatur Christus *germen David* (Ierem. XXIII-5), *virgultum* ascendens de terra sitienti (Is. LIII-2), *flos de virga et radice Iesse* (Ibid. XI-1), *fructus e terra nostra exoriens,* dante Deo benignitatem (Ps. LXXXIV-13). Nec sane dubitandum quin haec ipsa incarnati Verbi e stirpe humana processio, habenda sit ut firmissimum fundamentum omnium benedictionum quae in eam a lapsu Adae copiose descenderunt.

Porro testimonia in contrarium allata rursus nihil probant. Nam, Ioan. III-13, dicitur filius hominis *descendisse de coelo,* in quantum suae hypostasi terrenam substantiam copulavit. Sic enim verificatur metaphora descensus, dum scilicet ille idem qui excellentia suae naturae propriae supra omnem creaturam eminebat, incipit in natura quoque infima, id est terrestri, subsistere. Item, dato quod ratione corporis dicatur Christus, 1 Cor. XV-47, *homo de coelo coelestis,* id quidem, « non quia ipsum corpus Chri- « sti secundum suam substantiam de coelo descenderit, sed quia « virtute coelesti, id est, Spiritu Sancto, est eius corpus forma- « tum », ut ex Augustino et Hilario exponit S. Thomas in resp. ad 1um (1).

(1) Nec obstat quod etiam primus Adam cui opponitur homo de coelo coelestis, habuerit corpus a Deo immediate formatum. Nam in Scripturis illud tantum dicitur esse de coelo, quod a Deo fit praeter et supra omnem ordinem naturae. Porro corpus Adae non fuit a Deo praeter naturae ordinem operante, sed a Deo naturam instituente. At Christus, ipseque solus, per Spiritum sanctum in utero virgineo *miraculosa* et *supernaturali* conceptione formatus est.

Caeterum, locus apostoli de Christo intelligitur, non tam quantum ad corpus quam quantum ad animam. Dicitur enim novus Adam Christus de coelo coelestis, ratione plenitudinis gratiae de qua nos omnes accipimus, per oppositionem ad veterem Adam qui, amissa sibi et po-

Caeterum rationes convenientiae sumuntur tum in ordine ad Deum cuius iustitiae erat satisfaciendum, tum in ordine ad diabolum cuius audacia erat retundenda, tum denique in ordine ad nos qui in gloriam filiorum Dei eramus provehendi.

In ordine quidem ad Deum, cuius iustitiae erat satisfaciendum, quia congruit ut qui peccavit, ipse satisfaciat. Et si impossibile est ut sit idem supposito, decet saltem ut satisfaciens communicet cum eo pro quo satisfacit, in natura de eadem stirpe propagata. Unde Ambrosius, de Inc. Dom. sacr. n. 54 : « Ergo « ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, ut nos re- « dimeret ex nostro ».

In ordine ad diabolum, cuius audacia erat retundenda. Oportebat enim poenam deceptoris in quadam recirculatione consistere, ut loquitur Irenaeus l. 3, c. 22 : quatenus omnia quaecumque ad perdendum hominem serpens excogitaverat, idipsum eodemque ordine, sed ratione e regione contraria, divinitus disponeretur ad reparationem. Sed haec dispensatio requirebat ut diaboli victor ex illo ipso genere nasceretur, quod per diabolum fuerat victum.

In ordine ad nos, qui in gloriam filiorum Dei eramus provehendi. Non enim qualicumque modo in hanc filiationem advocamur, sed per incorporationem ad filium naturalem ; et in hoc est excessus gratiae quem in natura reparata considerat Apostolus, Rom. V, prae statu naturae innocentis. Porro, prima veluti radix intimae illius unionis corporis mystici cum capite, est ipsa originis communitas, per quam factum est ut Unigenitus Dei Filius esset unus e filiis Adae, primogenitus inter fratres plurimos.

§ 3.

Tandem, Filius Dei assumpsit animam, eamque intellectu et ratione praeditam

---

steritati originali iustitia, factus est fons naturae coelesti spiritu destitutae. Unde subdit apostolus : « Qualis terrenus, tales et terreni, et qua- « lis coelestis, tales et coelestes. Igitur sicut portavimus imaginem ter- « reni, portemus et imaginem coelestis ».

Nam alias, non esset verus homo, et ideo mentiretur Scriptura dicens: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.* Praeterea, non solum in Evangelio passiones animae sensitivae tribuuntur Christo, ut timor et tristitia, sed etiam talia de eo leguntur quae nec naturae divinae convenire possunt, nec naturae creatae intellectu carenti, puta admiratio, Matth. VIII-10. Item, si natura divina fuisset homini Christo loco intellectus et mentis, unio incarnationis dicenda foret facta in natura, quod iam ostensum est evidenter repugnare. Denique, non solum debuit mens assumi a Verbo, sed imo fuit ratio assumptibilitatis caeterorum omnium quae naturae humanae insunt, ut ex iam dicendis in sequenti propositione satis apparebit.

THESIS XV.

(Quaest. 6).

Simul tempore facta est assumptio totius humanitatis et omnium partium eius. Sed ordine naturae, recte dicitur Verbum assumpsisse corpus mediante anima, animam mediante spiritu, et partes mediante toto.

Postquam de natura assumpta et de partibus eius egit S. Thomas, quaerit tandem de ordine assumptionis. Ubi nota non esse hic quaestionem, an omnes partes naturae humanae *uniantur* Verbo immediate, necne. Satis enim constat ex dictis, omnes et singulas esse immediate unitas Filio Dei, cum exsistant per ipsum esse personale ipsius [1]. Solum ergo inquiritur de ordine quo facta est *assumptio,* quia in natura humana considerantur diversa quorum aliqua potuerunt prius assumi quam alia. Adverte tamen quod prius et posterius dicuntur dupliciter:

[1] Et in hoc etiam sensu intelligi potest illud apostoli, Coloss. II-9: *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Id est, inhabitat, non sicut in sanctis, ratione solius gratiae habitualis quae non est nisi in anima, sed tali inhabitationis modo in quo communicat et corpus, et eodem titulo ac anima, scilicet titulo sustentationis per esse hypostaticum Verbi, cui aeque immediate unitur.

ordine scilicet temporis, et ordine naturae sive causalitatis. Et ordo quidem temporis in praesenti nullus est, quia Verbum omnia ad naturam humanam pertinentia simul sibi univit, ut ostenditur art. 3 et 4 huius quaestionis, et infra in Quaest. 33 magis declarabitur. Relinquitur itaque considerandus solus ordo naturae, in quantum dici debet prius assumptum, id quod fuit reliquis ratio assumptibilitatis, id est causa cur possent assumi et de facto assumerentur.

Quo posito, si compares ad invicem partes essentiales naturae humanae, manifestum est quod anima est causa assumptibilitatis corporis, quia corpus non est convenienter assumptibile nisi per ordinem ad animam rationalem. Dictum est enim supra, quod naturae irrationales non sunt assumptibiles a divina persona. Rursus, si in anima ipsa compares inter se partes potentiales, patet quod causa assumptibilitatis est pars superior, scilicet mens seu spiritus, cuius ratione anima ad imaginem Dei exsistit. Denique si compares partes naturae ad naturam ipsam, sic manifestum est quod integra natura in quantum est quiddam perfectum et completum, est causa assumptibilitatis partium quae sunt aliquid incompletum. In hoc igitur sensu recte dicitur quod corpus est assumptum mediante anima, et partes mediante toto Hinc Damascenus, de fide orth. l. 3, c. 6 : « Verbum Dei per in« termediam mentem carni unitum est ». Et Augustinus, epist. 140, n. 12 : « Verbum autem incommutabile nihil in deterius muta« tum, particeps carnis effectum est, anima rationali mediante ».

Difficultas tamen esse posset quia in morte Christi, interveniente separatione corporis ab anima, adhuc remansit unio Verbi ad corpus. Sed facile solvitur. Primo quia non omne quod dependet ab aliquo in fieri, dependet ab eodem postquam est in facto esse, sicut si inter duos homines amicitia causatur aliquo mediante, adhuc eo recedente, durat amicitia. Secundo quia simplex medium congruentiae potest causare coniungibilitatem, etiam postquam abscesserit, dummodo remaneat ordo et possibilitas ad ipsum. Unde, cum anima se habuerit tantum ut medium congruentiae, non autem colligantiae, nequaquam oportuit ut ea abscedente, dirimeretur coniunctio divinitatis cum corpore. Adhuc

enim remanebat habilitas et ordo ad ipsam mox in resurrectione corpori reuniendam, et ideo conclusio non sequitur.

Sed de ipsa natura a Verbo assumpta, hactenus satis. Sequitur iam ordine logico, consideratio de his quae dicuntur coassumpta, a Quaest 7ª ad 15ªm inclusive.

DE COASSUMPTIS A FILIO DEI IN NATURA HUMANA.

« Deinde considerandum est de *coassumptis* a Filio Dei in « natura humana, et primo quidem de his quae pertinent ad per« fectionem, secundo de his quae pertinent ad defectum ». Dicuntur autem *coassumpta*, ea quae in tantum trahuntur ad suppositum Filii Dei, in quantum ornant vel afficiunt humanitatem *assumptam*, id est, unitam Verbo secundum subsistentiam. Porro in huiusmodi, principem locum obtinent quaecumque sunt ornamenti ac perfectionis. Et rursus, in his quae ad perfectionem pertinent, prima consideratio esse debet de gratia, de qua S. Thomas in duabus quaestionibus 7ª et 8ª.

QUAEST. VII-VIII.

DE GRATIA CHRISTI.

Sciendum hic est quod triplex gratia consuevit attribui Christo [1]. Primo quidem *gratia unionis*, secundum quod natura humana, nullis praecedentibus meritis, hoc donum accepit ut uniretur Dei Filio in persona. Secundo *gratia singularis*, quae in gratum facientem et gratis datam dividitur; nam anima Christi fuit prae caeteris, supernaturalibus donis ornata atque ditata. Tertio *gratia capitis*, secundum quod ab ipso Christo in alios homines gratia redundat.

Et haec tria Ioannes (I, 14-16) congruo ordine complectitur. Nam quantum ad gratiam unionis dicit: *Verbum caro factum est.* Quantum ad gratiam singularem subiungit: *Et habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis.* Quantum ad gratiam capitis addit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

[1] Haec S. Thomas, in Compendio theologiae, c. 214.

Et de gratia quidem unionis dicendum amplius non est, sed de sola gratia accidentali qua unctus est Christus *prae consortibus suis* (Psalm. XLIV-8), quaeque competit ei, iuxta mox praemissa, tum in quantum est quidam singularis homo, tum in quantum est totius Ecclesiae caput.

THESIS XVI.

(Quaest. 7, Art. 1-8).

Fuit in anima Christi gratia habitualis; fuerunt etiam virtutes et dona, iis solum exceptis quae cum statu comprehensoris componi nequaquam possunt.

De donis gratiae gratum facientis praesens procedit assertio, et est ad minus theologice certa, quandoquidem in ea universaliter consentiunt theologi, non ut in opinione quadam, sed ut in veritate quae ad sacrae doctrinae depositum omnino pertineat, tametsi non sit de ea *tamquam de fidei articulo* adeo expressa Ecclesiae praedicatio, ut pro explorata haeresi propositio contradictoria hactenus habeatur.

§ 1.

Videretur tamen dicendum quod gratia habitualis non fuit in anima Christi. Etenim impossibile est ut forma sit in subiecto sine suo formali effectu. Sed formalis effectus gratiae habitualis est facere filium Dei adoptivum. Christus autem est filius naturalis, et nullo modo adoptivus. Non ergo in eo esse potuit gratia habitualis.

Praeterea, qui habet maius, non indiget eo quod minus est. Atqui in humanitate Christi est gratia unionis, quae est aliquid multo maius et excellentius quam sit gratia habitualis. Ergo inutiliter saltem ipsa habitualis gratia in Christo poneretur.

Sed contra est, tum Scripturae auctoritas, tum ratio theologica.

Primo quidem Scripturae auctoritas. — Nam, Coloss. I, 18-19, dicitur esse in Christo omnis plenitudo donorum quae sunt in mystico corpore cuius est caput secundum humanitatem [1]. Atqui primum horum donorum est procul dubio gratia sanctificans, seu forma illa accidentalis qua deiformes efficimur, et ad Dei beatitudinem radicaliter ordinamur, iuxta illud 2 Petr. I-4 : « Per quem maxima et pretiosa vobis promissa donavit, ut « per haec efficiamini *divinae consortes naturae* ».

Huc etiam faciunt omnia loca ubi Christo homini attribuitur inhabitatio Spiritus Sancti [2] ; quae eleganter refert atque ordinat Hieronymus in commentario super Isaiam, l. 4, c. 11 : « Su- « per hunc igitur florem, inquit, qui de trunco et radice Iesse « per Mariam Virginem repente consurget, requiescet Spiritus « Domini... ; nequaquam per partes, ut in caeteris Sanctis, sed « iuxta evangelium quod hebraeo sermone conscriptum legunt « Nazaraei : *Descendet super eum omnis fons Spiritus Sancti*... In « eodem Matthaei volumine legimus illud quod in consequenti- « bus scribitur : *Ecce puer meus quem elegi : electus meus in quo « complacuit animae meae : ponam Spiritum meum super eum ; iu- « dicium gentibus proferet*, ad Salvatoris referri intelligentiam, in « quo requievit Spiritus Domini, id est, aeterna habitatione per- « mansit : non ut avolaret, et rursum ad eum descenderet, sed « iuxta Ioannis Baptistae testimonium iugiter permaneret, qui « ait : *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et ma- « nentem in eo, et ego nesciebam illum, sed qui me misit baptizare « in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descen- « dentem et manentem in eo, ipse est qui baptizat in Spiritu San- « cto* ». Atqui Spiritus Sanctus humanitatem Christi non inhabitat, formaliter propter unionis gratiam, cum non sit huius unionis terminus. Superest ergo ut requiescere et manere dicatur in Christo homine, eadem ratione qua in aliis sanctis membris

(1) « *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primo- « genitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso com- « placui omnem plenitudinem inhabitare* ».

(2) Isai. XI-2 ; Matth. XII-18 ; Ioan. I. 32-33.

Christi, ratione scilicet donorum gratiae habitualis. Nam etsi per haec dona tota Trinitas mentem inhabitet ut obiectum fruitionis eius, speciali tamen appropriatione ipsemet Spiritus Sanctus, iuxta ea quae solent explicari ubi de divinis missionibus.

Accedunt rationes theologicae. — Prima est, quia illi animae quae ad divinam hypostasim assumitur, et Dei Verbi propria efficitur, debetur profecto ut sit deiformis. Sed hanc deiformitatem accipere non potest nisi per gratiam habitualem. Etenim, ut dicit S. Thomas in responsione ad 1um, « quia cum uni-« tate personae remanet distinctio naturarum, anima Christi non « est per suam essentiam divina ; unde oportet quod fiat divina « per participationem quae est secundum gratiam ». Nimirum per unionem hypostaticam nihil aliud humanitati confertur nisi ut exsistat per esse personale Verbi ; nunc autem, quantum ad esse essentiae non mutatur, sed manet cum solis perfectionibus quae humanae naturae propriae sunt. Sequitur ergo quod deiformitas ei accedere nequit nisi per formam accidentalem infusam, quam gratiam habitualem nominamus. Unde vides, unam tantum in praesenti esse differentiam inter Christum et homines caeteros: quatenus in caeteris gratia habitualis non supponit antecedens aliquod donum a quo exigatur ; hic autem gratia debetur humanitati consequenter ad donum maius quod est gratia unionis. « Gratia enim causatur in homine ex praesentia divinitatis, sicut « lumen in aere ex praesentia solis ; unde dicitur Ezech. XLIII-« 2 : *Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et terra « splendebat a maiestate eius.* Praesentia autem Dei in Christo in-« telligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam per-« sonam ; unde gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens « hanc unionem, sicut et splendor solem » (1).

Praeterea cum hic homo Christus sit filius Dei naturalis, ut dicetur infra in Quaest. 53, eo ipso debetur ei divina haereditas, scilicet fruitio infiniti boni quo Deus est dives, et quod est ipse Deus (2). Atqui ad huiusmodi beatitudinem necessaria est

(1) S. Thom., hic, art. 13.
(2) Cf. Rom. VIII-17.

habitualis gratia. « Cuius ratio necessitatis, ait S. Thomas, de « Verit. Quaest. 29, a. 1, hinc sumi potest, quod duplex ad Deum « potest esse coniunctio : una secundum esse in una persona, alia « secundum operationem.... Prima quidem coniunctio sine secunda « ad beatitudinem non sufficit, quia nec ipse Deus beatus esset, « si se non cognosceret et amaret ; non enim in seipso delecta- « retur, quod ad beatitudinem requiritur. Ad hoc ergo quod ani- « ma Christi sit beata, praeter unionem ipsius ad Verbum in « persona, requiritur unio per operationem, ut scilicet videat « Deum per essentiam, et videndo fruatur. Hoc autem excedit « naturalem potentiam cuiuslibet creaturae ; soli autem Deo se- « cundum naturam suam conveniens est. Oportet igitur, supra « naturam animae Christi aliquid sibi addi, per quod ordinatur « ad praedictam beatitudinem ; et hoc dicimus gratiam (habitua- « lem). Unde necesse est in anima Christi gratiam ponere ». Et nota quod necessitas beatitudinis in Christo non venit solum ex filiatione eius naturali, sed etiam ex fine assumptionis humanae naturae a Verbo, qui fuit salus et reparatio hominum. Talem enim oportuit esse Christum secundum humanitatem, ut convenienter esse posset auctor salutis nostrae. Si igitur salus nostra in fruitione Dei consistit, sequitur quod Christus debuit esse perfecte Deo fruens, eo quod principium in unoquoque genere debet esse perfectum. Ad hoc autem ut Christus in natura humana perfecte Deo frueretur, necessaria fuit gratia, ut mox dictum est, et sic semper redit eadem conclusio.

Ad 1um ergo dicendum, quod formalis effectus gratiae sanctificantis non est, proprie loquendo, facere filium Dei adoptivum, sed conferre animae deiformitatem qua ordinatur ad participationem divinae beatitudinis. Nunc autem ex hac deiformitate resultat denominatio filii adoptivi in personis quae aliunde huius denominationis sunt capaces, scilicet in personis Deo extraneis. Definitur enim adoptio, *personae extraneae in filium et haeredem gratuita assumptio* (1). Quare, si forte gratia inveniatur

(1) Notandum quod nomine *personae extraneae* intelligitur persona quae e substantia eius, cuius respectu extranea dicitur, genita non fuit. Non ergo alia est formalis ratio adoptionis divinae et humanae, tametsi

in persona non extranea Deo, pro quanto ornat naturam Deo unitam secundum hypostasim, semper quidem habebit suum proprium formalem effectum, quin tamen in huius naturae supposito resultet denominatio adoptivi, quia huic denominationi omnino repugnat personae conditio.

Ad 2um dicendum quod qui habet plus, non indiget eo quod est minus, quando minus continetur vel formaliter vel eminenter in eo quod est plus. Sed cum maius et minus accipiuntur in alia et alia linea, ratio non valet, praesertim si maius, nedum excludat id quod minus est, sit potius ratio exigitiva eius, ut contingit in proposito. Et haec responsio adhibenda est ad omnes eiusdem generis instantias, ut si dicatur quod humanitas Christi sancta est ipsa unione ad Verbum, ergo superflua est accidentalis forma sanctificans quae est gratia. Hoc enim verum esset si sanctitas quam formaliter confert gratia, contineretur in eadem linea ac sanctitas quam formaliter dat unio. Quippe, ratio sanctitatis consistit in applicatione seu coniunctione ad Deum qui est bonum summum atque imparticipatum. Sic Deus ipse est ipsa subsistens sanctitas, quia est subsistens actus inhaesionis ad seipsum per affectum et amorem. In creaturis vero, ubicumque est specialis applicatio ad divina, ac per hoc, a rebus profanis secretio, ibi quoque specialis elucet sanctitatis modus. Unde et dicuntur res sanctae illa quae divino cultui mancipantur, dicitur officium sanctum quod circa Deum versatur et religionem eius, etc. Videndum igitur utrum uno tantum modo humanitas Christi debeat coniungi Deo, ad diiudicandum utrum praeter gratiam unionis aliqua admittenda sit forma sanctificans, vel secus. Atqui alia est ratio coniunctionis ad Deum secundum esse exsistentiae, alia vero ratio coniunctionis per cognitionem et amorem. Gratia igitur

adoptio divina id proprium habeat, ut adoptato conferat quoddam consortium naturae adoptantis. Sed differentia est mere materialis, proveniens ex diversa conditione haereditatis ad quam adoptatus assumitur. Caeterum, consortium naturae divinae quod importat divina adoptio, longe longeque est a *consubstantialitate,* adeoque non tollit extraneitatem, prout nunc de extraneitate loquimur.

unionis formaliter confert humanitati sanctitatem quae in primo modo coniunctionis reponitur, sanctitatem dico qua adhuc sanctissimum erat corpus Christi in triduo sepulturae. At sanctitatem consistentem in coniunctione cum Deo per supernaturalem cognitionem et amorem formaliter non confert gratia unionis, sed habitus accidentalis perficiens animam Christi ut radicale principium supernaturalium operationum. Unde in Christo gratia sanctificans non superfluit, sed est maxime necessaria.

§ 2.

Ex dictis iam sequitur, fuisse in Christo habitus supernaturales operativos, qui consequuntur gratiam sicut potentiae consequuntur naturam. Et licet pleraeque rationes superius allatae, directe et explicite non respiciant gratiam habitualem nisi in quantum est radix luminis gloriae per quod intellectus creatus confortatur ad videndum Deum, tamen facile possunt adaptari omnibus habitibus infusis quibus anima proxime perficitur in ordine ad operandum divine et supernaturaliter. Necesse enim fuit ut Christus secundum humanitatem perfectissimo et divino modo in omnibus operaretur, prout congruebat Unigenito a Patre, et vero Deo homini facto. Neque ad hoc sufficiebat specialissima divinitatis per actuales motiones assistentia et directio, cum sine inhaerentibus principiis elicitivis actuum, non possit esse operatio connaturalis et undequaque perfecta. Atqui habitus operativi consequentes consortium naturae divinae quod per habitualem gratiam datur, dicuntur virtutes et dona. Ergo virtutes et dona fuerunt in Christo, imo excellentissime, ultra omnem mensuram, ut infra dicetur.

Non tamen fuerunt in eo fides et spes, quia haec duo absolute incompossibilia sunt cum visione et fruitione beata, quam habuit a primo suae conceptionis instanti. Sed quod attinet ad virtutes cardinales, nulla debet excludi, eo quod nulla est quae secundum totam latitudinem sui obiecti, repugnet summae perfectioni. Si qua enim ex illis videtur importare, vel potius supponere imperfectionem cum absoluta sanctitate incompossibilem,

hoc non est nisi quia consideratur in quodam statu adhuc imperfecto, vel secundum habitudinem ad quemdam particularem actum. Sic *temperantia,* ut dicitur art. 2 ad 3um, sumi potest in eo statu in quo adhuc habetur aliquid admixtum de inclinatione contraria, nempe in quo homo patitur adhuc affectiones inordinatas; et tamen temperantia consummata ab huiusmodi imperfectione est libera. Unde universaliter animadvertendum est, « quod virtutes morales Christo non conveniunt quantum ad « usus quosdam qui in nobis sunt, sicut quod per eas domantur « passiones quibus caro contra spiritum concupiscit, quod in « Christo non fuit. Sed quantum ad alios usus secundum quos « erant in patria, plenissime fuerunt in Christo, et etiam quan- « tum ad quosdam usus viae qui eius perfectioni non deroga- « bant, in quantum erat verus viator et comprehensor » ([1]).

Nunc autem de donis adhuc minor ratio dubitandi esse potest, cum Isai. XI, diserte attribuantur Christo: « Requiescet super « eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus « consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit « eum spiritus timoris Domini ». Accedit et ratio theologica, quia inter virtutes et dona hoc interesse videtur, quod virtutes sunt habitus disponentes ad agendum quasi ex motione propria, adhibita scilicet consueta deliberatione rationis; dona vero, habitus ordinati ad recipiendum familiarem instinctum Spiritus Sancti, ut habeat anima iusta non solum quo ad actus supernaturales seipsam moveat, verum etiam quo suggestive moveatur ab inhabitante ductore suo per actuales illustrationes mentis et suasiones voluntatis. Et ideo dici solet quod dona sunt necessaria maxime ad actus sublimes et heroicos qui communem modum excedunt, ut declarat S. Thomas in III, D. 34, Q. 1, a. 1, et iterum in 1-2, Q. 68, a. 1. Caeterum de familiari instinctu Spiritus Sancti in anima Christi expressae in Evangelio inveniuntur auctoritates, velut Matth. IV-1: *Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo,* et Luc. X-21: *In ipsa hora exsultavit*

([1]) S. Thom. in III, D. 19, q. 1, a. 2. ad 2um. Et vide tractatum *de virtutibus,* ubi de duratione virtutum post hanc vitam.

Spiritu Sancto, et dixit: Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti haec, etc. (1).

(1) Praeter dona gratiae gratum facientis, attenduntur etiam dona gratiae quae dicitur *gratis data.* Non quod huic gratiae proprium sit ut gratis detur, sed quia supra hoc quod est gratis dari, non habet per se ut gratum faciat Deo subiectum in quo est. Confertur enim solummodo in utilitatem aliorum, et ideo potest esse etiam in malis, iuxta illud Matth. VII, 22-23: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos.* Et non vacat pro nunc explicare ad quam categoriam entis praedictae gratiae gratis datae reducantur. Certe generatim dici potest quod habitus non sunt. Habitibus enim utimur cum volumus, et tamen qui accepit donum prophetiae, non ideo prophetizat quando vult. Praeterea, per habitus constituimur causae principales operationum et consequentium effectuum, et tamen impossibile est ut creatura unquam fiat causa principalis miraculorum, quae de sui ratione requirunt plenum atque absolutum naturae dominium. Quid ergo sint in seipsis dona huiusmodi, forsitan non inepte definires dicendo, quod consistunt in quadam ordinatione qua quis destinatur a Deo ad identidem prophetandum, vel miracula faciendum, etc., in fidei manifestationem.

Nunc igitur, si quaeratur utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae, respondendum est cum distinctione. Certo certius fuerunt in ipso quantum ad omnem perfectionem quam important. Nam, ut dicitur hic, art. 7, in corp., « gratiae gratis datae ordinantur ad fidei et « spiritualis doctrinae manifestationem. Oportet enim eum qui docet, « habere ea per quae sua doctrina manifestetur. Spiritualis autem do- « ctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus, secundum « illud Hebr. II: « *Cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab* « *eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et por-* « *tentis.* Unde manifestum est quod in Christo excellentissime fuerun « gratiae gratis datae, sicut in primo et principali fidei doctore ». At vero non fuerunt in eo secundum eamdem rationem quam habent in aliis, sed multo eminentiori modo. Nam prophetia, discretio spirituum, sermo sapientiae, sermo scientiae, aliaque huiusmodi, continebantur in perfectione scientiae tum beatae tum infusae qua anima eius semper fuit repleta. Et similiter operatio virtutum, gratia sanitatum, etc., in habitudine suae humanitatis ad divinitatem tanquam *coniuncti* instrumenti ad agens principale, ut ex dicendis de scientia et potentia animae Christi apparebit.

THESIS XVII.

(Quaest. 7. Art. 9-13).

In Christo, eoque solo, est absoluta et perfecta habitualis gratiae plenitudo. Unde gratia eius vero quodam sensu dicitur esse infinita, et sicut nunquam potuit augeri, ita nunquam per gratiam cuiuslibet purae creaturae poterit adaequari.

Ad huius doctrinae veram intelligentiam primum omnium observandum est, quod tota assertio procedit de gratia, prout est possibilis haberi in praesenti ordine rerum, id est, de potentia Dei quae dicitur ordinata ([1]). Nam aliunde evidentissimum est non posse dari summum in gratia, hoc sensu quod de potentia etiam absoluta repugnet gradus maior et perfectior. Quare S. Thomas, art 12 ad 2um, expresse dicit quod *virtus divina potest facere aliquid maius et melius quam sit habitualis gratia Christi,* licet non possit facere ut ordinetur ad aliquid maius quam sit unio personalis ad Filium Unigenitum a Patre: cui unioni respondet *sufficienter* mensura gratiae, quam de facto habet Christus secundum definitionem divinae sapientiae. Hinc, cum dicitur gratia Christi pertingere ad summum, esse infinita et absque mensura, non posse adaequari, et a fortiori superari per gratiam cuiuscumque alterius, sermo est semper de gratia prout est comprehensa intra terminos et sub legibus praesentis providentiae: « Sicut enim aliarum formarum est ex divina sa-« pientia determinata propria mensura, ita et gratiae, secundum « illud Sap. II: *Omnia in numero et pondere et mensura dispo-« suisti* ». Hoc igitur sensu:

§ 1.

In Christo, eoque solo, fuit et est tota gratiae plenitudo. Nam Ioan. I, dicitur: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre,*

([1]) Vide supra, thes. 13.

plenum gratiae et veritatis..., et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Oportet autem quod plenitudo de qua hic est sermo, sit perfecta atque absoluta, utpote plenitudo de qua omnes accipiunt, plenitudo quae decet Unigenitum a Patre, uno tandem verbo, plenitudo consequens unionem personalem humanitatis cum Deo. Quippe, necesse est ut quanto magis creatura aliqua ad Deum accedit, tanto magis de bonitate eius participet, et abundantioribus donis ex eius influentia repleatur, sicut et ignis calorem magis participat qui ei magis appropinquat. Nullus autem modus esse aut excogitari potest quo aliqua natura propinquius Deo adhaereat, quam si ei in unitate personae coniungatur. Ex ipsa igitur unione naturae humanae ad Deum in unitate personae omnino sequitur quod anima Christi receperit quidquid de donis gratiarum habitualibus divinitus dari potest in praesenti providentia.

Caeterum ex iisdem principiis apparet hanc plenitudinem esse propriam Christo et nulli alii communem, sicut ei soli proprius est titulus super quo fundatur. Quapropter aliae plenitudines in Scriptura commemoratae intelligi debent, non absolute, sed relative ad statum uniuscuiusque, sicut bene notat S. Thomas art. 10 ad 1um, dicens quod Beata Virgo dicta est gratia plena, non quasi habuerit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, sed quia habuit totam gratiam quae decebat personam electam a Deo ut esset mater Unigeniti eius. Et similiter, Act. VI, Stephanus dicitur plenus Spiritu Sancto, quia habuit totam gratiam convenientem ei qui in protomartyrem fuerat praeordinatus. Plenitudo tamen Virginis est incomparabiliter maior altera, ex hoc ipso quod status eius fuit, quo sublimior in puris creaturis esse omnino nequit.

§ 2.

Nunc igitur, quo sensu gratia Christi dici possit infinita, facile est determinare. Scilicet, est infinita, non in ratione entis sed secundum propriam rationem gratiae, pro quanto se extendit ad omnes gratiae operationes et effectus, (et sic accipitur infi-

nitas *extensiva*); tum praeterea, est in summo gradu qui possibilis est haberi in actuali ordine a divina Sapientia definito (et sic accipitur infinitas *intensiva*). Ideo Augustinus interpretans illud Ioan. III, *non ad mensuram dat Deus spiritum,* dicit: « Men-« sura divisio quaedam donorum est. Alii enim datur per Spi-« ritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae. Sed Christus qui « dat, non ad mensuram accipit ».

Sed iam de modo intelligendi summum illum gradum gratiae quem omnes theologi concorditer agnoscunt in anima Christi, occurrit dubitatio: an scilicet sit solum accipiendus secundum maiorem intensitatem prae gratia quae in nobis est, an potius secundum modum specifice etiam diversum atque excellentiorem. Et si quidem esset accipiendus secundum solum intensitatis excessum, tunc anima Christi eatenus tantum haberet eam gratiae plenitudinem cui aequari nunquam poterit gratia cuiuslibet alius creaturae, quatenus positivo decreto decrevisset Deus gratiam in tali limitata mensura aliis omnibus distribuere, et sub talibus augmenti conditionibus, ut in inferiori semper gradu *de facto* remaneret. Quod faceret gratiam Christi esse in summo per accidens, et non per se, secundum excessum quantitativum potius quam ontologicum, denique secundum comparationem qua comparatur magis ad minus, non autem eminentius a quo participatur ad inferiora quae participant.

Porro eiusmodi conceptio quae satis est vulgata, alicui principio nititur quod non omni forsitan scrupulo caret, quodque haud sciam an ducat in nimis diminutam aestimationem *investigabilium divitiarum Christi* (1). Principium est, non posse esse plures diversas species neque in genere gratiae habitualis, neque in visione intuitiva Dei ad quam ipsa habitualis gratia se tota ordinatur. Hoc namque principio semel admisso et praestituto, nihil aliud revera de gratia Christi dicendum relinquitur praeter id quod supra. Sed de eius soliditate non immerito quis inquireret. Sane vero, si de intuitiva visione sermo sit, omnino liquet nullam esse posse differentiam ex parte speciei intelligi-

(1) Eph. III-8.

bilis quae in omnibus videntibus Deum una est. Sed ex parte luminis elevantis intellectum, constat esse maximam diversitatem quoad perceptionis claritatem sive limpiditatem. Quae quidem diversitas, an sit necne, secundum solum plus et minus in eadem continuo specifica ratione visionis, quis pro certo diiudicabit? Nam ad plenam quaestionis solutionem oporteret conspicuum nobis esse novum illum mundum ineffabilium perfectionum, cuius veli extremitas vix ac ne vix quidem est tantisper sublevata. Interim vero, nescio an iustae discretionis limites excederet quisquis diceret, videri saltem valde verosimile, dari modos etiam formaliter diversos, seu rationes videndi Deum essentialiter inter se differentiatas, easque semper infinite elongatas ab illo modo supereminenti, omnemque speciem ac genus transcendente, quo Deus se videt et comprehendit. Et dico valde verosimile, cum non minus participabilis diversis in infinitum modis agnoscendus sit Deus finis supernaturalis, quam Deus finis naturae. Ex quo ulterius sequeretur possibilis quoque diversificatio modorum specie differentium in genere gratiae sanctificantis, quae ad visionem comparatur sicut principium ad principiatum et natura ad operationem. Nunc autem, si rationabiliter ista admittuntur, nonne etiam de gratia animae Christi altius sentiendum esset quam quod vulgata conceptio prae se fert? Tunc utique, nisi totus fallor, oporteret dicere gratiam illam, tam singulari unionis hypostaticae titulo collatam, praeeminere gratiae aliis datae, non iam solo gradu intensitatis, verum etiam perfectione specifica. Oporteret ponere eam in summo, non eo modo in quo foret absolute adaequabilis per crescentem gratiam filiorum adoptivorum, sed modo alio in quo simpliciter excelleret ex natura rei tamquam altioris rationis exsistens, quemadmodum videtur omnino sentire S. Thomas, tum in praesenti, Q. 7, a. 11 ad 3um, tum *de Verit.* Q. 29, a. 3 ad 5um, ubi sic dicit: « Quod finitum aliquid « per continuum augmentum possit attingere ad quantumcumque « finitum, veritatem habet si accipiatur eadem ratio quantitatis « in utroque finito..., non autem si accipiatur alia et alia ratio « quantitatis. Et hoc patet in quantitate dimensiva; quantum- « cumque enim linea augeatur in longum, nunquam perveniet

« ad latitudinem superficiei. Et similiter patet in quantitate vir-
« tuali... Quantumcumque enim cognitio cognoscentis Deum per
« similitudinem proficiat, nunquam potest adaequari cognitioni
« comprehensoris qui videt Deum per essentiam. Et similiter
« charitas (actualis) viatoris non potest adaequari charitati com-
« prehensoris; aliter enim aliquis afficitur ad praesentia et aliter
« ad absentia. Similiter etiam, quantumcumque crescat gratia
« alicuius hominis qui gratiam secundum aliquam particularem
« participationem possidet, nunquam potest adaequare gratiam
« Christi, quae universaliter plena exsistit ».

Vide ergo quid tibi melius videatur in hac sententiarum diversitate. Caeterum, cum non habeamus expressam aut Scripturae auctoritatem aut alius regulae determinationem, sub iudice lis relinquatur, firma interim remanente doctrina de ea plenitudine quae est in omni hypothesi intelligenda, habito respectu, non quidem ad potentiam Dei absolutam, sed solum ad praestabilitum ordinem praesentis providentiae. Adhuc tamen inquirendum restat, utrum ad praedictam plenitudinem per successiva incrementa pervenerit Christus, an potius in dote sacratissimae humanitati constituta propter unionem ad Verbum, statim ab initio perfectus exstiterit.

§ 3.

Ratio dubitandi esse posset primo, id quod legitur Luc. II-52: « Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum « et homines ». Ex quo videretur sequi quod secundum incrementum aetatis fuit etiam et augmentum gratiae.

Praeterea, Ioan. I, 32-33, testatur Ioannes Baptista se vidisse Spiritum descendentem et manentem super Christum; quibus verbis significatur quaedam missio Spiritus Sancti de novo ad ipsum facta. Sed missio Spiritus Sancti non fit nisi ad eos qui de novo participant gratiam habitualem, vel quoddam eius augmentum suscipiunt. Ergo idem ac prius.

Sed contra, firmiter tenendum est secundum constantem doctrinam omnium theologorum, quod nunquam in Christo fa-

ctum est augmentum huiusmodi. Primo quia *ab initio,* testante Evangelista, habitavit in nobis plenum veritatis et gratiae. Ab initio siquidem fuit gratia unionis in humanitate eius, adeoque et plenitudo gratiae habitualis quae unionem ipsam consequitur et ab ea exigitur, ut supra ostensum est. Secundo quia, ut dicetur in sequentibus, Christus fuit a primo instanti, *quantum ad animae perfectionem,* verus comprehensor. Sed nullus comprehensor qua talis, est capax progressus, quia status termini in quo iam invenitur, repugnat profectui qui soli statui viae proprius est. Tertio quia Christus comparatur ut quoddam primum principium ad eos omnes qui proficiunt in gratia. Non ergo ipsemet in ea proficere debuit, quia in quolibet genere primum principium oportet esse perfectum, non autem mobile de potentia in actum.

Ad 1um ergo dicendum quod ex allato testimonio evangelii nulla prorsus conclusio est. Pro cuius evidentia considera quod locus ille in quo dicitur Christus profecisse sapientia, aetate, et gratia, invenitur in narratione historiae, et quod narratio historiae semper est de iis quae cadunt sub sensu. Narrat enim Lucas, historici partes agens, factum externum, experimentale, quod acceperat a testibus oculatis apud quos adoleverat Iesus. Atqui factum huiusmodi nihil aliud esse potuit quam progressus quidam in exterioribus Iesu Christi actionibus observatus, secundum quod in eis magis magisque cum evolutione annorum manifestabatur sapientia et gratia: sicut si de quovis puero dicerem quod proficit in virtute, intelligeres, puto, testimonium meum esse de operibus virtutis, non autem directe de virtute ipsa quae in se invisibilis est. Id igitur ab evangelista tibi datur, praetereaque nihil.

Sed nunc ulterior occurrit quaestio de interpretatione facti, et est duplex interpretatio possibilis: quatenus scilicet actiones adolescentis Christi fuissent ex crescente sapientia et gratia, vel quatenus fuissent tantum crescentes manifestationes sapientiae et gratiae qua plenus ab initio erat. Et tu quidem, rationalista, cui Christus purus homo est et unus de caeteris, eligis a priori explicationem primam, ut quae sola sit consona consuetis na-

turae legibus, praeter quas nihil cogitas, nihil aestimas, nihil admittis. Ego vero, superiori revelationis lumine ductus, eligo alteram, et dico Christum profecisse sapientia et gratia sicut et aetate, secundum inditae sibi gratiae manifestationem, quam incremento aetatis sapienter voluit esse proportionatam. Unde Athanasius, Orat. 3 c. Arian. n. 52: « Ad corpus igitur spectat huius« modi progressus: eo enim proficiente, in ipso pariter, cernen« tium oculis proficiebat patefactio divinitatis ». Et quia haec progressiva manifestatio non in phantastica quadam apparentia consistebat, sed in solida realitate operum, ideo dicitur fuisse non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Vel potius, ideo *apud Deum et homines,* quia tam in iis quae erant ad Deum, quam in iis quae erant ad homines. Nec frustra talem ab eo oeconomiam observatam legimus, ne in pueritia portentosam demonstrans maturitatem, praeberet hominibus occasionem dubitandi de veritate assumptae humanitatis, aut certe non agnoscendi verum Emmanuelem qui in usum laboremque nostrum descendens, debuit per omnia fratribus similari. Quod pulchre animadvertit Augustinus, epist. ad Volusianum, dicens: « Quidam « haeretici, perverse mirando laudandoque eius virtutem, naturam « humanam in eo (Christo) prorsus agnoscere noluerunt, ubi est « omnis gratiae commendatio, qua salvos facit credentes in se, « profundos thesauros sapientiae et scientiae continens, et fide « mentes imbuens, quas ad aeternam contemplationem veritatis « incommutabilis provehat. Quid si Omnipotens hominem ubi« cumque formatum non ex materno utero crearet, sed repenti« num inferret aspectibus? Quid si nullas ex parvulo in iuven« tam mutaret aetates? Nonne opinionem confirmaret erroris, nec « hominem verum suscepisse ullo modo crederetur, et dum omnia « mirabiliter facit, auferret quod misericorditer facit? Nunc vero, « ita inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate per« sonae copulans utramque naturam, et solita sublimaret inso« litis, et insolita solitis temperaret ».

Et ad 2um similiter dicendum, quod missio Spiritus Sancti alia est visibilis, alia invisibilis. Et missio quidem invisibilis fit per infusionem vel augmentum gratiae, missio autem visibilis

est solum ad manifestationem alterius. Ex hoc ergo quod Ioannes Baptista vidit Spiritum Sanctum descendentem supra Christum, non sequitur quod tunc ipse Christus creverit in gratia, sed solum quod tunc facta sit miraculosa manifestatio plenitudinis gratiae quae in eo erat tanquam in vero Unigenito a Patre, secundum humanitatem assumptam.

Sed iam animum convertamus oportet ad gratiam Christi, prout caput est Ecclesiae, et per prius exponenda sunt ea quae ad rationem capitis spectant. Id quidem in propositione quae sequitur.

THESIS XVIII.

(Quaest. 8).

Christus est secundum diversos gradus caput omnium qui vel actu vel potentia supernaturalem vitam participant. Caeteris tamen paribus, plenius et perfectius est caput hominum, quam sit angelorum. Denique gratia capitis in eo, non re, sed ratione tantum differt a gratia habituali qua anima eius in seipsa sanctificatur.

§ 1.

Christus idem est ac *unctus*. Et duplex est unctio qua uncta est seu consecrata eius humanitas. Una est ei soli propria, in qua oleum consecrationis fuit ipsa Verbi personalitas, et per quam effectum est ut qui homo nascebatur, idem esset et Sanctus Sanctorum Deus. De hac angelus ad Danielem: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt... ut ungatur Sanctus Sanctorum.* Alia est unctio gratiae habitualis, de qua sermo est in Psalmo 44, cum dicitur: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea* (seu in hunc finem) *unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Quae etiam dupliciter consideratur: primo quidem secundum se, deinde vero secundum derivationem ad nos. Porro gratia habitualis in Christo, secundum quod ab eo in alios derivat, *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron,*

et in oram vestimenti eius, dici solet gratia capitis, sive gratia Christi in quantum est Ecclesiae caput, et de hac ipsa appellatione, praeambula quaedam esse debet explicatio.

Exordium autem hinc sumitur, quod dignitas capitis etiam supremi, non omnino convertitur cum potestate regia, quia licet ad supremum caput pertineat summa potestas gubernandi, influendo in subditos socialem vitam et motum, (unde et reges capita gentium dicuntur): proprie tamen loquendo regalis potestas Christi ad eos etiam extenditur, quorum caput nec dicitur nec est. Ratio est quia subiectio membrorum ad caput est de sui ratione subiectio non violenta, sed benevola, ut constat ex analogia corporis naturalis. Insuper attenditur secundum influentiam per quam ipsis membris provenit a capite bonum, et quidem bonum non qualecumque, sed consistens in quadam derivatione vitae quae in capite est. Atqui ii omnes qui finaliter exciderunt a supernaturali beatitudine, iam non possunt a Christo aliquam supernaturalis vitae influentiam recipere. Nullo ergo modo Christus comparatur ad eos ut caput ad membra, tametsi ad ipsos etiam regalis eius potestas aliquo modo extendatur, cum ad regem pertineat non solum fideles subditos gubernare, verum etiam rebelles coercere, et unicuique suum attribuere locum ne ordinis tranquillitas perturbetur. Et hinc est quod apostolus non dicit Christum constitutum esse caput super omnes rationales creaturas, sed solum *super omnem Ecclesiam* (Eph. I-22). In inciso autem praecedenti e contra dixerat *omnia subiecta fuisse sub pedibus eius*, et nihil dimissum fuisse non subiectum ei.

Oportet igitur sumere rationem capitis Ecclesiae ex similitudine capitis physici, in qua praeter coniunctionem cum membris in eodem vitali organismo, tria haec potissimum considerantur: *primo* situs praestantia, quia caput eminet supra partes caeteras; *secundo* praestantia perfectionis et virtutis, quia in capite, eoque solo, vigent omnes sensus; *tertio* influxus in reliquum corpus, quia caput toti corpori instillat suo modo motum et sensum, idque ratione cerebri ad quod conveniunt et unde distribuuntur spiritus vitales. Huic itaque similitudini fideliter inhaerendo, apparet quod in mystico corpore aliquid est in quo caput

cum membris communicare debet, aliquid vero in quo a membris differt. Communicare debet in eodem genere vitae: eius, inquam, vitae secundum quam socialis organismi attenditur coaptatio, nam caput et membra ad unum idemque corpus vivum pertinent. Unde si sermo sit de capite et membris in ordine supernaturali, communicatio haec intelligitur quantum ad vitam gratiae. Sed supra cetera membra caput emineat necesse est, primo quoad dignitatis excellentiam, secundo quoad virtutis et vitae plenitudinem, tertio quoad influxum [1].

Porro, praerogativam capitis Scriptura expresse attribuit Christo. Specialiter quidem *respectu hominum*, cum dicit Eph. IV-10: « Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus ». Specialiter etiam *respectu angelorum,* cum ait Coloss. II-10: « Qui « est caput omnis principatus et potestatis ». Generaliter demum *respectu omnium evocatorum ad vitam aeternam,* Eph. I, 20-22: « Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in « coelestibus supra omnem principatum, et virtutem, et domina- « tionem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc « saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus « eius, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam ». Accedit etiam pulcherrimum illud eiusdem ad Ephesios epistolae, I-10: « Proposuit,... instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae « in terra sunt ». Ubi, dum vulgata habet *instaurare*, textus graecus fert ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod est *recapitulare.* Recapitulare autem est proprie ad unum revocare caput, et eidem principi subiicere ea quae antea soluta et divisa erant. Quia vero dicit, *quae in coelis et quae in terra sunt,* patet quod non solos homines recapitulatio ista comprehendit, qui per variorum nu-

[1] Nota ergo quomodo analogia capitis physici, nedum contradicat conceptioni superius propositae de eminentia gratiae Christi, eam potius confirmare videretur. Nam caput non ita se habet ad corpus, ut perfectio capitis sit formaliter eadem ac perfectio reliqui corporis, cum sola differentia quae est secundum plus et minus. Ecce tibi in capite coadunati quinque sensus. quorum unus solus communicatur aliis membris. Ecce mirus complexus centrorum nervosorum et principiorum moventium, quorum influxus quidem, non autem formalis perfectio, ad alia derivat.

minum cultus vagi ac dispersi ad unum principem Christum congregati sunt, sed etiam angelos.

Cave tamen ne excidat e memoria, appellationem capitis esse metaphoricam, adeoque sat magnam habere latitudinem, prout magis minusve verificatur similitudo cum capite physico in sua habitudine ad corpus organicum. — Primo enim latitudo datur *quoad id in quo caput communicare debet cum membris,* quia coniunctio per gratiam potest esse vel in actu, vel in potentia tantum. Et si sit in actu, vel secundum immobilem unionem patriae, vel secundum mobilem unionem viae, et iterum, vel secundum perfectam charitatis adhaesionem, vel secundum meram quamdam inchoationem per fidem informem. Et hinc est quod non eodem modo, sed secundum diversos gradus comparatur Christus ad homines ut caput ad membra. — Sed et secundo, latitudo datur *quoad id quod proprium est capiti respectu corporis.* Unde etsi habeat Christus relate ad angelos tria illa quae ad capitis rationem pertinent, (praeeminentiam dico dignitatis propter unionem, praeeminentiam perfectionis propter gratiae plenitudinem, ac denique praeeminentiam imperii necnon et influxus propter communicationem variorum donorum spiritualis vitae), longe tamen perfectius ac multo magis proprie est caput hominum quam sit angelorum. Et ratio est primo, quia nobiscum communicat in natura speciei, cum angelis vero secundum genus intellectualis naturae tantum. Ratio est secundo quia nobis influit totum quod est spiritualis vitae et beatitudinis, tam animae quam corporis. Influit, inquam, ut causa meritoria et ut causa efficiens, eo modo qui explicabitur ubi de efficientia passionis Christi in Quaest. 48. Angelis autem, loquendo consequenter ad dicta superius, non influit probabilius substantiam gratiae et gloriae, sed ea quae pertinent ad accidentalia beatitudinis: quatenus angeli, cum sint ministri Christi per omnia ei tanquam summo principi famulantes (Hebr. I, 6-14), admittuntur etiam ad eius societatem et fruitionem et consortium, ab eoque recipiunt illuminationes de iis mysteriis gratiae in quae desiderant prospicere, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι ut dicitur 1 Petr. I-12. Unde S. Thomas in

III, D. 12, q. 2, a. 2, dicit: « Quantum ad influentiam.... non influit « Christus angelis.... merendo gratiam.... sed in his quae ad actus « hierarchicos pertinent ([1]), secundum quod unus angelus illuminat « alium.... Hoc enim multo eminentius a Christo recipiunt ».

Ultimo observabis duplicem esse statum immortalis illius societatis cuius est caput Christus: scilicet statum viae in quo tenditur ad finem, et statum termini in quo possidetur finis. Ex quo sequitur quaedam esse nunc munia capitis quae postea cessabunt et in alia mutabuntur, dicente Paulo, 1 Cor. XV-24: « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacua- « verit omnem principatum et potestatem et virtutem; oportet « autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus « eius ». Nunc enim Christus regit et gubernat homines viatores modo consentaneo statui ipsorum, utiturque ad salutis opus perficiendum et potestates adversas abolendas, tum quidem invisibili angelorum ministerio, tum visibili hierarchia quam instituit in terris, de qua vide S. Thomam, art. 6 huius quaestionis, ubi explicat quo sensu pro praesenti statu viae, alii sub Christo capita Ecclesiae et dicantur et sint. Postmodum autem, quando *tempus non erit amplius,... sed in diebus vocis septimi angeli consummabitur mysterium Dei sicut evangelizavit per servos suos prophetas,* evacuabitur hic regiminis modus, et fiet definitiva regni coelorum sub capite Christo ordinatio. Verum modus et ordo beatae illius societatis omnium electorum in communi finis fruitione collaetantium et conquiescentium, Deo exsistente omnia in omnibus, penitus ineffabilis est, et hominis mortalis captum omnino transcendit; neque enim oculus vidit, nec auris audivit.

§ 2.

Patet igitur ex praemissis, quod gratia habitualis illud est quod potissimum attendi debet in Christo sub ratione capitis

([1]) Actus hierarchici nunc dicuntur actus qui pertinent ad principatum unius intelligentiae super alias, eo modo quo hierarchia accipitur apud angelos. Est enim hierarchia sacer principatus, qui cum inter intelligentias exercetur, maxime secundum intellectuales illuminationes consideratur.

Ecclesiae, quia est ipsa vita in qua nos cum eo communicamus, de eius influentia illam recipientes. Et ideo quaeri tandem potest, utrum gratia ista quae ad nos derivat, et quae hac de causa *gratia capitis* nominatur, sit eadem secundum rem cum gratia habituali qua anima Christi sanctificatur in seipsa. Respondetur autem esse eamdem, et ad huius veritatis evidentiam observat S. Thomas quod unumquodque constituitur potens agere seu influere in alia, per ipsissimam actus eminentiam qua constituitur in seipso perfectum. Ergo eadem est plenitudo gratiae habitualis qua anima Christi secundum se perficitur, et qua caeteris omnibus influit supernaturalem sanctificationem.

Hoc tamen ne perperam intelligas, animadverte quod absolute potuisset Christus cum minima gratia influere infinitis hominibus omnia sanctificationis dona. Etenim, qua homo non influit gratiam ut causa efficiens principalis, sed influit tum ut causa meritoria, tum ut primum agens ministeriale ([1]). Porro meritum eius habuit infinitatem ex dignitate personae, non autem ex gratia habituali, et similiter ministerium principale in collatione gratiae competit ei ex unione suae humanitatis ad Verbum. Quapropter ratio S. Thomae procedit solum de eo quod requirebatur ex necessaria quadam convenientia, quatenus potestas excellentiae ad gratiae influxum in genere humano non fuit in Christo *modo convenienti,* nisi per illam ipsam gratiae plenitudinem et eminentiam quam accepit ad sui ipsius perfectionem. « Humanitas Christi excellentius bonitatem divinam par-
« ticipavit per gratiae donum. Ex quo idoneitas in ea fuit ut non
« solum gratiam haberet, sed etiam per eam gratia in alios trans-
« funderetur, sicut per corpora magis lucentia lumen solis ad
« alia transit.... Ipse (Christus) est principium quodammodo omnis
« gratiae secundum humanitatem, sicut Deus est principium omnis
« esse. Unde sicut in Deo omnis essendi perfectio adunatur, ita
« in Christo omnis gratiae plenitudo invenitur, per quam non
« solum ipse possit in gratiae opus, sed etiam alios in gratiam
« adducere, et per hoc habet capitis rationem. In capite enim

([1]) Cf. S. Thom., infra, Quaest. 64, a. 3.

« naturali, non solum est vis sensitiva ad hoc quod sentiat per « visum, auditum, et tactum, et huiusmodi sensus, sed etiam est « in eo ut in radice a quo in alia membra sensus effluunt. Sic « ergo, una et eadem gratia habitualis in Christo dicitur.... *ca-* « *pitis,* in quantum per eam fit refusio in alios ad salutem; *sin-* « *gularis* vero personae, in quantum ad opera meritoria perfi- « ciebat » (1).

Dicimus tamen gratiam capitis esse gratiam habitualem, non praecisive acceptam a gratia unionis, sed magis prout ad illam consequitur, eamque connotat. Et certe gratia capitis signatur per unctionem de qua in Psalmo XLIV: *Dilexisti,* inquit, *iustitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Sed unctio ista quae per habitualem gratiam est, non debet considerari seorsum ab unctione potiori in qua oleum consecrationis est ipsa Verbi personalitas; nam sublimior ista alterius est ratio et principium.

QUAEST. IX-XII.

DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI.

Consequenter consideranda sunt ea quae ad scientiam pertinent. Dicit enim Evangelista quod Verbum ratione naturae assumptae, habitavit in nobis plenum, non solum gratiae, sed et *veritatis.* Porro in hac quaestione quam recentes controversiae plurimum obscurant, hic erit disputationis modus. Primo quidem exponentur more scholastico conclusiones quae de triplici scientia animae Christi, universali et rata sententia in theologia recipiuntur. Tum deinde specialiter dicetur de formali haeresi quae ex falsa critica evangelicae historiae procedens, non ignorantiam modo, sed et positivos errores impio ausu attribuit Christo. Quod autem ad primum attinet, incipiendum a scientia perfectiori, id est beata.

(1) S. Thom. de Verit., Quaest. 29 a. 5, in corp.

THESIS XIX.

(Quaest. 9, a. 2 — Quaest. 10).

In Christo a primo instanti suae conceptionis fuit scientia beata qua divinitas in seipsa videtur. Fuit insuper in eo haec scientia secundum summum gradum perfectionis qui dari potest in actuali ordine rerum. Per eam denique anima Christi cognoscit omnia quae Deus scit scientia visionis.

§ 1.

Difficultas quaestionis de exsistentia visionis beatae in Christo, ut recte notat Suarez de Incarn. Disp. 26, est tantum circa tempus quo Christus illam habere coepit. Nam quod illam habuerit saltem a tempore mortis et resurrectionis suae, nimis evidens est ut probatione indigeat; sed et rationes superius allatae idipsum manifeste evincunt. Quod ergo nunc in quaestionem venire potest, est solum an tempore vitae mortalis hac scientia potitus sit, et licet S. Thomas de temporis circumstantia expresse non loquatur nisi infra in Quaest. 15, a. 10, et Quaest. 34, a. 4, maioris tamen claritatis gratia visum est hic comprehendere quidquid quolibet modo refertur ad scientiam beatam animae Christi.

In **primis** itaque dicendum, quod Christus habuit permanenter in hac vita mortali scientiam beatorum seu comprehensorum, sicut certissime constat apud omnes theologos. Ait enim ipse, Ioan. III, 11-13, ad Nicodemum: *Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* Ubi aperte loquitur de se ut homine, et de intuitiva quam habet, profundorum Dei cognitione. Subdit enim: *Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis?* Hoc est, si enarranti mihi spiritualem filiorum adoptivorum generationem, (supra, vers. 3-10), fidem detrectatis, quid erit cum vos docuero sublimiora et vere coelestia mysteria quae Deum ut in se est spectant? De

quibus tamen idoneus et omni ex parte dignus testis exsisto, nam: *Et nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo.* Ad cuius testimonii pleniorem intelligentiam considerandum est quod si solum diceretur Filius hominis *esse* in coelo, hoc recte accipi posset tanquam dictum per communicationem idiomatum. Nam Filius hominis est suppositum divinae simul et humanae naturae, et quia per divinitatem est in coelo, ex hoc ipso persona illa, quantumvis denominata ex sua natura humana, omnino potest et debet dici *esse* in coelo. Nunc autem non tantum dicitur Filius hominis esse in coelo, sed complexive, *ascendisse in coelum et esse in coelo* (1). Atqui ascensum hunc non potest sibi attribuere in natura in qua ab aeterno subsistebat, quia ascensus in coelum Deo ut Deo convenire non potest. Relinquitur ergo ut in coelum ascendisse dicatur persona Filii hominis ratione ascensionis humanitatis sibi unitae. Sed non ratione ascensus corporalis qui adhuc erat in futuro, et aliunde non faciebat ad rem de qua cum Nicodemo agebatur. Corporalis enim ascensus non pertinet ad cognitionem intellectus, et non facit aliquem idoneum ad testificanda invisibilia mysteria quae omnem corporalem sensum exsuperant. Unde tandem nullus alius in coelum ascensus intelligi potest nisi secundum mentem, ascensus consistens in elevatione animae Christi supra suam cognitionem naturalem ad visionem beatam, ut Filius hominis dicatur ascendisse in coelum et esse in coelo eo pacto quo angeli puerorum (Matth. XVIII-10) *in coelis semper vident faciem Patris.* Non quod sit semper in coelis ratione loci, sed bene ratione visionis et beatitudinis coelestis qua semper fruuntur (2).

(1) Nota bene, *ascendisse* in praeterito. ut sermo sit de ascensione iam facta. Nam etsi verbum latinum *ascendit* sumi posset tam in forma temporis praesentis quam in forma praeteriti, tamen omne dubium tollit vox graeca ἀναβέβηκε.

(2) Sunt qui putant argumentum non concludere, eo quod Filius hominis dici potuit in coelum ascendisse propter incarnationem ipsam, ratione tractionis humanae naturae ad divinam personam Verbi. Nam, inquiunt, *qui descendit, ipse est et qui ascendit,* dum scilicet consideratur incarnatio primo quidem ut descensus, pro quanto nobilior persona sese quodammodo inclinavit ad naturam inferiorem, deinde vero ut ascensus,

Eamdem etiam veritatem confirmant ea quae leguntur Ioan. VIII 38: *Ego quod vidi apud Patrem meum loquor.* Et iterum, Ioan. III, 31 32: *Qui de coelo venit super omnes est, et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Et iterum, Ioan. I-18: *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* ac si apertius diceretur: Unigenitus qui videt, et est in secreto Patris, (nam quia sinus noster intus est, secretum Patris sinus Patris vocatur, inquit August. Tract. 3 in Ioan. n. 17), ipse, etc. Et sicut per humanitatem assumptam dum nobiscum in hac vita

---

pro quanto inferior natura elevata est ad nobilius suppositum. Sed hoc nullatenus sustinetur, et falsum ostenditur, tum absolute, tum relate ad contextum. Relate ad contextum, quia contextus determinat ascensum qui sit secundum cognitionem, cuiusmodi non est unio hypostatica. Absolute, quia recte quidem dicetur persona Filii Dei per incarnationem descendisse, quatenus incepit de novo subsistere in forma servi, cum prius non esset nisi in forma Dei. At nullo possibili sensu diceretur haec eadem persona ascendisse. Ratio est quia etsi per incarnationis mysterium natura humana fuerit elevata supra suam conditionem ad esse personale Filii Dei, tamen elevatio ista de persona ipsa nequaquam praedicari potest, sed debet semper *praesupponi* ut necessarium ac *praevium* fundamentum ad omnem communicatiouem idiomatum, quemadmodum declarabitur infra in Q. 16. Sicut ergo non dicitur Filius hominis assumptus, ex hoc quod assumpta est natura in qua est hominis filius; sicut etiam non dicitur Filius hominis factus Deus, ex hoc quod humanitas eius facta est propria Deo, atque ita porro: sic nequaquam dici potest Filius hominis in coelum ascendisse, ex hoc quod humana natura tracta est ad hypostasim coelestem seu divinam. Huiusmodi enim praedicata non conveniunt naturae humanae nisi secundum gratiam unionis, *consequenter ad quam* proprietates humanitatis assumptae *incipiunt primo* praedicari de supposito assumente.

Caeterum auctoritas Pauli, Eph. IV-9, non est ullo modo ad rem, ut ex contextu evidenter constat. Ibi enim sermo est de *corporali* ascensione Christi post resurrectionem: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* Omnibus ergo modis necesse est ut ascensus in coelum, ratione cuius Christus sese in praesenti exhibet ut idoneum testem mysteriorum coelestium, de scientia beata animae eius intelligatur.

conversabatur, enarravit, ita secundum eamdem humanitatem et eodem tempore vidit. Quae enim loquebatur Christus homo, sciebat etiam ut homo, nam loquela humana ex notitia quae in humano intellectu est utique procedit [1].

Nec deest ratio theologica, quandoquidem advenerat Christus inter nos excellentissimus testis divinae veritatis, itemque perfectissimus dux hominum ad beatitudinem, et consummatus praeceptor sanctitatis. Sed ad excellentissimum veritatis testem pertinet ut de visu testificetur, et ad perfectissimum ducem, ut terminum quo alios ducturus est perfectissime cognoscat. Cui rationi apprime congruunt verba Christi: *Ego sum via, veritas et vita.* Utique veritas et vita secundum divinitatem in qua est beatitudinis terminus quo oportet nos pervenire; via vero secundum assumptam humanitatem in qua est medium ducens ac dirigens nos ad perveniendum. Porro non direxisset nos ut ipsa via, nisi per humanitatem in qua erat via, terminum contigisset, eique immobiliter coniunctus fuisset. Quis enim non videt hoc esse de ratione viae, quae idcirco infallibiliter ducit et dirigit indeclinabiliter? Nunc autem humanitas Christi terminum bea-

(1) Erit forte qui dicat, esse supra omnem *conceptum*, adeoque supra omne *eloquium,* id quod per scientiam beatam videtur: Paulum e tertio coelo reducem non invenisse verba ad renuntianda arcana visionis, et similiter alios sanctos post altissimas visiones quasi de monte Thabor descendentes. Quomodo ergo de thesauro scientiae beatae locutio illa fuisset, qua nos divina mysteria docebat Christus? Verum facile respondetur, concedendo quidem quod Christus non potuit eloqui ad nos ea quae videbat in secreto Patris, eodem quo illa videbat modo, nimirum ut erant in se; sed prorsus negando sequelam, quae si recta esset, nihil minus importaret quam impossibilitatem omnis revelationis, etiam ex parte Dei. Porro, ideo neganda est sequela, quia in eodem lumine simul videbat anima Christi, quibus humanis conceptibus, humanisve verbis, analogis quidem, et per omnem modum deficientibus, mysteria visa enuntiarentur. Caeterum, nihil potest cogitari magis absonum, magisque absurdum, quam quod Verbum caro factum per humanitatem assumptam locutum sit tamquam per *phonographum* seu mechanicum instrumentum, prout dicendum remaneret si, ubi ait se *loqui ea quae vidit,* visio ad divinitatem, sola autem locutio, aut verius sonorum prolatio, ad humanitatem esset referenda.

titudinis non contingebat formaliter per hoc quod hypostatice uniebatur Verbo, cum haec hypostatica coniunctio non sit ad esse Verbi praecise in quantum est visionis obiectum. Requirebatur ergo in anima eius scientia beata, et quidem in hac vita mortali in qua maxime sese nobis viam exhibuit [1]. Denique debitum erat ut quae natura propinquissime attingebat Deum secundum esse, propinquissime etiam ipsum attingeret per cognitionem. Porro mens, cum videt per speculum et in aenigmate tantum, peregrinatur a Domino, et tunc solum est praesens ac propinqua, quando cognoscit facie ad faciem.

Unde etiam dicendum, quod Christus habuit scientiam beatam a primo instanti suae creationis, quia non erat maior ratio de uno tempore vitae mortalis ac de alio. Et ideo Ierem. XXXI-22 legitur: *Creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum,* hoc est, in utero habebit virum, virum scilicet, non aetate et magnitudine membrorum, sed plena et consummata perfectione sapientiae. « Novam rem, inquit Hieronymus in Ierem. « l. 6, cap. 31, creavit Dominus super terram. Absque viri se- « mine femina circumdabit virum gremio uteri sui, qui iuxta in- « crementa quidem aetatis per vagitus et infantiam *proficere vi-* « *debitur* sapientia et aetate; sed *perfectus vir* in ventre femineo « solitis mensibus continebitur ». Atqui in Scripturis non dicitur hoc modo vir nisi qui visione beata consummatur, nam reliqui aestimantur ut parvuli iuxta apostolum, Cor. XIII, 11-12. Vide etiam Damascenum, l. 3 de fide orth. c. 22, itemque Bernardum, Hom. 2 super Missus est, n. 8-11.

§ 2.

Nunc, quod anima Christi videat divinam essentiam clarius qualibet alia creatura, est corollarium praemissorum de plenitudine habitualis gratiae.

Ostensum quippe est, plenitudinem hanc accipiendam esse sensu absoluto, quia ex quo divina Sapientia in sua aeterna prae-

[1] Cfr. August. Tract. 2 in Ioan. n. 4, et Tract. 69, n. 2.

definitione attribuit Christo quantitatem gratiae quae decebat Filium naturalem, oportuit ut in praesenti ordine nulla maior vel etiam aequalis dari posset, imo ut omnis gratia quibuslibet filiis adoptivis concessa compararetur ad gratiam Christi veluti quaedam diminuta eius participatio. Idem enim Deus qui in universo visibili omnia disposuit in numero et pondere et mensura, singulis rebus proportionatas attribuens vires et formas, easdem profecto proportionalitates et iustas mensuras servavit in distributionibus gratiae, atque hoc modo summae unioni ad Deum (quae est secundum subsistentiam), summum etiam gradum gratiae sensu supradicto debuit assignare. Atqui plenitudinem gratiae necessario consequitur plenitudo gloriae, seu visionis ac fruitionis divini boni. Ergo in hac etiam visione anima Christi eminet supra omnes creaturas, non humanas tantum, verum etiam angelicas.

Ad minoris intelligentiam, considera quod perfectio cuiuslibet cognitionis mensuratur ex duobus: scilicet ex vigore luminis intellectualis a quo pendet cognitionis claritas et certitudo, tum ex specie intelligibili a qua pendet modus quo obiectum per cognitionem attingitur. In cognitione autem gloriae haec species una eademque est pro omnibus intellectibus tam angelicis quam humanis. Est enim ipsa divina essentia sese eis uniens per modum formae intelligibilis. Et ideo, unus etiam idemque est in omnibus modus cognoscendi ex parte rei cognitae, quam omnes pariter intuentur ut est in se. Quare diversitas ibi solum esse potest in claritate et limpiditate visionis, pro maiori minorive perfectione luminis intellectualis. Sed non luminis naturalis, quia quantum ad naturam aequaliter sunt improportionati intellectus angelici et humani; ergo luminis gloriae, quod necessario proportionatur mensurae gratiae habitualis a qua fluit sicut facultas a propria natura. Gratia autem Christi est in summo; ergo et lumen confortans intellectum eius ad visionem beatam. Patet igitur ex praedictis, quod anima Christi summum cognitionis gradum inter caeteras creaturas obtinuit quantum ad visionem qua Dei essentia videtur, et alia in ipsa.

Hinc Apostolus ad Eph. I-20 dicit: *Constituens ad dexteram*

suam in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Quo quidem loquendi modo Christus nobis ostenditur tamquam possidens potiora Dei bona, et primum ac supremum tenens locum in beatitudine et gloria. Nec obstat quod sessio ad dexteram in coelestibus describatur ibi ut consequens resurrectionem a mortuis, cum tamen visio intuitiva data sit Christo ab initio. Non enim necesse est ut quidquid importatur in sessione ista, post ascensionem inceperit, siquidem Scriptura loquitur de gloria consummata et beatitudine undequaque perfecta, quae tamen quoad substantiam iam erat in Christo antequam resurgeret et corporaliter ascenderet supra omnes coelos.

§ 3.

Restat demum ut dicatur de obiecto secundario scientiae beatae in Christo. Supponitur enim quod beati in divina essentia visa creaturas vident; non tamen omnes creaturas tam exsistentes quam possibiles, (nam cognoscere in causa omnia ad quae virtus causae sese potest extendere, esset comprehendere causam, et divina essentia a creato intellectu comprehendi omnino nequit); sed tanto plures creaturas, quanto perfectius Deus videtur. Supponitur praeterea, quod « nulli intellectui beato deest « quin cognoscat in Verbo omnia quae ad ipsum spectant ». Cuius ratio est quia visio beata est propria cognitio comprehensoris qua talis, id est illius qui attigit ultimum perfectionis. Ei autem qui est in ultimo suae perfectionis intellectualis, procul dubio competit cognoscere omnia ad suum officium, suum statum, suum dominium, suamque dignitatem attinentia. Quomodo enim esset undequaque completus in scientia, quem adhuc lateret aliquid de propriis negotiis ac rebus? Atque hinc statim sequitur animam Christi non solum videre per scientiam beatam multo plura quam quivis alius comprehensor, sed etiam cognoscere in essentia divina visa, omnia quae sunt, aut erunt, aut fuerunt, etiam facta vel dicta vel cogitata a quocumque secundum quod-

cumque tempus. Ratio est quia omnia ista ad Christum vere spectant, in quantum ut homo, est omnium iudex, et praesertim dominus universorum, utpote cui *omnia tradita sunt a Patre,* Matth. XI-27; *omnia in manibus data,* Ioan. XIII-3; *omnia sub pedibus subiecta,* 1 Cor. XV-26, et Hebr. II-8. Recte ergo ponitur scientia beata in Christo se extendens ad totum obiectum illius scientiae Dei quam visionis vocant.

Hanc conclusionem rident neocritici dicentes intellectum humanum sicut est intellectus animae Christi, nequaquam talis ac tantae scientiae esse capacem. De demonstratione autem suae assertionis non curant, forte quia rem existimant per se evidentem, cui nullo argumento opus sit. Quod quidem facile eis permitteretur, si de absoluta capacitate intellectus humani iudicandum foret secundum praesentem nostrum cognoscendi modum per species a rebus acceptas et a phantasmatibus abstractas. At vero haec ipsa suppositio est, quam ratio non approbat, et fides destruit. Ratio non approbat, quia nihil tam inevidens quam quod humanus intellectus nequeat a Deo elevari ad eam intelligendi perfectionem quae praesentis vitae conditiones undequaque transcendat. Fides vero destruit, cum docet naturale lumen intellectus nostri posse per habitum infusum usque adeo intendi, et tam sublimi formae intelligibili applicari, ut ad intuenda ipsa Dei profunda nobis pateat accessus. Et quid, quaeso, de capacitate obedientiali animae humanae in genere scientiae adhuc erit incredibile, semel ac possibilis supponitur visio Dei ut est in se?

Dicesne quod in anima humana capacitas etiam mere obedientialis ad scientiam infinitam esse non potest? Id quidem omnino concedimus. Et quod scientia animae Christi, si se extenderet actu et simul *ad omnia quae quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt vel facta, vel dicta, vel cogitata a quocumque secundum quodcumque tempus* [1], foret scientia infinita? Id iam negamus. Et si pro ratione afferas quod cogitationes et motus angelorum et hominum, quorum est vita interminabilis, in infini-

[1] S. Thom. Q. 10, a. 2 in corp.

tum utique multiplicabuntur, respondemus negando consequentiam, eo quod aliud est cognitio infiniti, aliud vero infinita cognitio. Nam et nunc finite cognoscimus Deum infinitum, et in futura vita videbimus infiniti Dei incircumscriptam essentiam, videbimus eam totam, videbimus eam cum proprio modo infinitatis eius, at non visione infinita. Denique, nonne vulgare etiam et ubique receptum axioma est, quod humanum cor non quietatur nisi in possessione boni infiniti? Quis tamen unquam de infinito actu quo infinitum illud bonum deberet apprehendi, aliquid est suspicatus? Si ergo non tenet consequentia ab infinitate obiecti ad infinitatem cognitionis, etiam quando sermo est de obiecto simpliciter et per essentiam infinito, quanto minus tenebit quoad obiectum quod est infinitum secundum quid tantum, id est secundum solam quantitatem seu multitudinem actuum sibi succedentium per interminabilem aevi durationem.

Nec obstat quod multitudo ista non habeat ultimum in quo sistat intellectus. Hinc enim efficitur, impossibile quidem esse cognoscere multitudinem huiusmodi per modum multitudinis, intellectu quasi transeunte per indefinitae successionis viam, id est, discurrente per singula, et apprehendente partem post partem; non autem cognoscere per modum unitatis, seu per unam speciem quae se extendat ad infinita, et in qua omnia simul uno eodemque actu, etiam ut sunt ab invicem distincta, videantur. Porro in scientia beata species intelligibilis est una, nimirum divina essentia unite et simul repraesentans cuncta exsistentia pro qualibet differentia aeviternitatis ([1]).

([1]) Ad horum meliorem intelligentiam considerandum in primis est quod infinitum dupliciter sumitur: ex parte actus et ex parte potentiae, ut dicitur in 1ª Part. Q. 7, a. 1. Quippe infinitum generatim dicit negationem termini. Et si quidem negatio termini se teneat ex parte actus, tunc infinitas ad perfectionem pertinet, quia actus non terminatur nisi per receptionem in potentia per quam perfectio contrahitur et limitatur. Si autem negatio termini se teneat ex parte potentiae, tunc e converso infinitas pertinet ad imperfectionem, quia potentia non terminatur nisi per receptionem actus a quo perficitur. Unde etiam in nostris linguis vox *terminatum*, *finitum*, usurpatur in acceptionibus e diametro oppositis. De opere enim artis dico: quam perfectum, quam terminatum,

Non ergo affertur ratio a priori contra illam plenitudinem scientiae quam antiqua et traditionalis theologia, in Scripturarum doctrina optime fundata, concorditer agnoscit in anima Christi. Caeterum, nec in rationibus a priori specialiter insistunt adversarii. Habent enim alia argumenta, eaque, ut ipsi aestimant, magis decretoria, ex positivis fontibus quos sibi critica vindicat, deprompta. De quibus tamen nondum est dicendi locus, quia

---

quam finitum! utique in laudem operis. De Deo autem dico: magnus est, perfectus est, non terminatus nec finitus, pariter ad extollendam Dei excellentiam. Ergo, modo removeo finitudinem, et modo illam assero, utrobique ad perfectionem insinuandam, quia nunc finitudo sumitur ex parte actus, nunc vero ex parte potentiae.

His igitur suppositis, dico quod cum quaestio movetur de scientia beata animae Christi respectu infiniti, vel est sermo de obiecto primario, vel de obiecto secundario. — Et obiectum quidem primarium est infinitum ex parte actus seu perfectionis, absolute et simpliciter. Verum anima Christi non videt istud infinitum infinito modo, quia non comprehensivo modo: imo eo modo videt seu ea claritate quae etsi emineat supra omnem mensuram puris creaturis concessam, adhuc tamen infinite elongatur a modo quo Deus cognoscibilis est. Nec difficultas specialis ibi esse potest supra difficultatem communem quae alibi pertractatur cum dicitur Deus videri totus sed non totaliter. — Obiectum vero secundarium est infinitum ex parte potentiae, quia est infinitum atque interminatum quoad multitudinem sive quantitatem; terminatio autem est sicut forma quantitatis, ut dicitur in 1ª Part. Q. 7, a. 1, ad 2um. Et tale quidem infinitum in quantitate nusquam esse potest actu in natura rerum, quia omnis quantitas actu exsistens est necessario sub aliquibus terminis comprehensa, sicut omnis materia sub aliqua forma. Sed neque esse potest in intellectu per modum sui, seu per repraesentationem sibi commensuratam ac veluti parallelam, in qua esset accipere partem post partem. Et ideo non mirum est si nos qui non habemus experientiam nisi cognitionis rerum in seipsis per species acceptas a rebus, tantam in praesenti difficultatem inveniamus. Nunc autem hoc infinitum non cognoscitur ab anima Christi per modum infinitatis, sed per modum finitudinis seu unitatis, in eminenti specie essentiae divinae quae unite repraesentat omnia quae in seipsis sibi invicem succedunt per interminabilem aevi durationem. — Ergo anima Christi nec infinite cognoscit infinitum per essentiam quod est divinitas, nec per modum infiniti cognoscit infinitas multitudines. Unde nulla ostendi potest repugnantia.

ordo nostrae disputationis fert ut priusquam errorem criticorum directe aggrediamur, communem scholarum doctrinam exponamus de aliis scientiis quae praeter beatam fuerunt in Christo. Et ad hoc statim ponitur sequens propositio.

THESIS XX.

(Quaest. 11-12).

Praeter scientiam beatam fuit ab initio in anima Christi scientia infusa, per quam absque dependentia a phantasmatibus cognovit omnes res naturalis ordinis, necnon et omnia mysteria gratiae quae unquam facta sunt vel fient. Agnoscendum etiam in eo est tertium genus scientiae, scilicet acquisitae, in qua sola profecit secundum naturae ordinem, mensuram aetatis, et rerum experientiam.

Scientia beata de qua supra, est scientia undequaque supernaturalis: supernaturalis, inquam, non solum ex parte luminis a quo procedit, sed etiam ex parte modi cognoscendi qui non est modus commensuratus naturali facultati intelligentiae creatae. Ibi enim, ut dictum est, intelligibilis species est ipsa Dei essentia, cui ineffabiliter applicatur praeter et supra omnem naturae ordinem intellectus sive humanus sive angelicus. Porro gratia non destruit naturam, ut fert notum axioma, et ideo fieri nequit ut cognitio gloriae tollat modum intelligendi unicuique intellectui competentem secundum proprium gradum propriamque conditionem. Ex quo iam sequitur, nullum beatorum esse posse, qui simul cum visione Dei et creaturarum in Deo, non habeat inferiorem scientiam: scientiam dico sibi connaturalem, per quam res creatae directe cognoscuntur in seipsis. Quapropter, si solum diceremus fuisse in Christo, praeter visionem beatificam, illud scientiae et cognitionis genus quod est proprium huic praesenti statui viae, nihil sane difficultatis occurreret, et assertio vix ac ne vix quidem specialem pateretur demonstrationem. Nunc autem cum communi theologorum, inferiorem scientiam in Christo dividimus in duas species prorsus diversas: unam per se

infusam in qua fuit perfectus a primo instanti conceptionis suae, alteram acquisitam in qua more caeterorum per temporum intervalla de potentia transivit in actum. Quid igitur haec sibi velint, et quibus fundamentis innitantur, operae pretium est investigare.

§ 1.

Principii loco ponendum est quod anima humana habet *naturaliter* duplicem statum, termini scilicet et viae, et duplicem etiam correspondentem modum cognoscendi. Nam in statu viae non intelligit nisi per species a phantasmatibus acceptas et ab eis dependentes. Dico autem dependentes non solum quoad originem, verum etiam quoad usum, quatenus dum anima actu intelligit, continuo indiget convertere se ad sensibilem phantasmatis repraesentationem, tamquam ad tabellam e qua intelligibilis forma per intellectum agentem fuit abstracta ([1]). In statu autem termini connaturale ei est ut intelligat « per species ex influentia

([1]) « Impossibile est intellectum nostrum secundum praesentis vitae « statum quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu « nisi convertendo se ad phantasmata. Et hoc duobus indiciis apparet. « Primo quidem quia cum intellectus sit vis quaedam non utens cor- « porali organo, nullo modo impediretur in suo actu per laesionem ali- « cuius corporalis organi, si non requireretur ad eius actum actus ali- « cuius potentiae utentis organo corporali. Unde manifestum est quod « ad hoc quod intellectus actu intelligat, non solum accipiendo scien- « tiam de novo, sed etiam utendo scientia iam acquisita, requiritur actus « imaginationis et caeterarum virtutum (pertinentium ad partem sensi- « tivam). Videmus enim quod impedito actu virtutis imaginativae per « laesionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memo- « rativae virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in « actu etiam ea quorum scientiam praeaccepit. Secundo quia hoc qui- « libet in seipso experiri potest, quod quando aliquis conatur aliquid « intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, « in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam « quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus « ei exempla ex quibus sibi phanthasmata formare possit ad intelligen- « dum ». S. Thom. 1, Quaest. 84, a. 7.

« divini luminis participatas, quarum anima fit particeps sicut et « aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo. Unde, « tam cito cessante conversione ad corpus, ad superiora conver- « titur. Nec tamen propter hoc cognitio vel potentia non est na- « turalis, quia Deus est auctor non solum influentiae gratuiti « luminis sed etiam naturalis » (1). Caeterum evidens est quod species illae infusae, utpote exemplatae a divina essentia prout est intelligibilis omnium similitudo, longe alterius rationis sunt ac species acquisitae, et nec quoad originem nec quoad usum a phantasmatibus usquequaque dependent. Proinde modus ille intelligendi similis est modo cognoscendi angelico, pro quanto scilicet res non amplius videntur secundum quod ex sensibilibus in intelligibilem earum veritatem mens deduci potest, sed per oppositam viam conversionis ad immaterialia, quae sunt intelligibilia simpliciter et per se. Scientia ergo infusa de qua in praesenti, ea est quae connaturaliter debetur animae pro statu termini. Et dicitur infusa, non quidem quantum ad cognitionem ipsam, sed quantum ad species impressas quae actum cognoscendi determinant. Habet modum commensuratum naturae animae humanae, tam ex parte cognitorum quam ex parte cognoscentis, et non est necessario simul in actu respectu omnium obiectorum suorum sicut scientia beata. Denique potest consistere cum solo lumine naturaliter indito, (et sic est certo certius in damnatis), sed tunc dicenda videtur omnino imperfecta, nam anima cum sit infima in ordine intellectivarum substantiarum, infimo etiam et debilissimo modo participat intellectuale lumen sive intellectualem naturam, ita ut, nisi a Deo per habitum superadditum con-

(1) S. Thom. I, Quaest. 89, a. 1, ad 3um. Ubi obiter nota quod *secundum naturae ordinem* anima humana non est in termino, nisi quando separatur a corpore. Et ideo argumenta quae demonstrant exsistentiam specialis scientiae statui termini connaturalis, desumuntur ex conditione status separationis. Non tamen sequitur, eiusmodi scientiam esse in solis animabus separatis. Nam et remanebit post resumptionem corporis in futura resurrectione, et statim ab initio adesse deberet, si forte *praeternaturaliter* contingeret animam creari et infundi corpori cum omnibus perfectionibus quae statui termini propriae sunt.

fortetur, non sufficiat ad plene et complete cognoscendum eo cognoscendi modo qui puris spiritibus maxime proprius est ([1]).

Haec igitur de scientia quae animae humanae in futura vita naturaliter debetur, necessario praemittenda erant.

Nunc autem ratio ponendi in anima Christi scientiam per se infusam ab initio suae creationis, haec est, quia ab initio fuit secundum se in statu termini. Christus enim non erat viator nisi quantum ad corpus, et quantum ad ea quae unionem cum corpore passibili consequuntur. Caeterum, quantum ad animam absolute consideratam statim extra viam fuit, uti postea explicabitur, et iam sufficienter patet ex dictis de scientia beata quae est propria comprehensorum. Nisi ergo ab initio habuisset scientiam statui termini debitam et connaturalem, id est, scientiam infusam superius declaratam, caruisset perfectione requisita secundum suae conditionis modum: quod profecto de anima hypostatice unita Verbo indignum est sentire, praesertim cum apostolus dicat, Coloss. II-3, esse in ea omnes thesauros sapientiae et scientiae absconditos ([2]).

De obiecto autem huius scientiae observare oportet quod pro statu termini naturaliter debentur animae humanae species

([1]) Cf. S. Thom. Prima Parte, Quaest. 89, a. 1 in corp.; et de Verit. Quaest. 19, art. 1; et Quaest. disp. de Anima, art. 15.

([2]) Contra hanc rationem forte obiiceret quispiam: Scientia infusa fuisset in Christo qua viatore, vel qua comprehensore. Non qua viatore, cum haec scientia non sit propria viatorum, ut constat. Neque qua comprehensore, cum sola scientia beata sit propria scientia comprehensorum. Sed facile respondetur quod status comprehensoris includit statum termini in communi, et superaddit consecutionem divinae ac supernaturalis beatitudinis. Et licet scientia infusa non pertineat ad comprehensores sub posteriori respectu, bene tamen sub priori. Est enim scientia connaturalis omni animae exsistenti in termino quocumque modo, iis etiam qui sunt in inferno, vel in limbo, vel in purgatorio, vel qui fuissent in pura natura constituti: quamquam maior minorve eius perfectio dependeat a speciali cuiusque conditione in hoc ipso termini statu. Christo ergo debebatur haec scientia, quia ab initio fuit in statu termini quantum ad animam absolute consideratam. Debebatur autem cum perfectione proportionata conditioni animae hypostatice unitae Verbo, ut in sequentibus dicetur.

infusae quibus cognoscat res ordinis naturalis; et si vivat vita gratiae, etiam res ordinis supernaturalis; et si in summo gratiae emineat, etiam totum ordinem in quo tenet principatum. In Christo igitur scientia infusa se extendit primo ad creationem universam, et ad ipsas substantias angelicas prout sunt cognoscibiles, non quidem propria et intuitiva cognitione, sed per modum quo illas naturaliter cognoscit anima humana in altera vita. Praeterea se extendit ad omnia mysteria gratiae quae per revelationem divinam creaturis innotuerunt. Denique addit S. Thomas, ipsam versari etiam circa omnia facta singularia, tam praesentia, quam praeterita, quam futura.

Sed hic quoad cognitionem futurorum occurrit difficultas, quia futurum contingens duobus tantum modis notitiae intellectus creati subiacere videtur. Vel per scientiam beatam in speculo divinae aeternitatis in quo se habet non ut futurum, sed ut praesens; vel per revelationem per quam cognoscitur pure et simpliciter ut a Deo preannuntiatum. Quomodo ergo anima Christi habere potuerit notitiam futurorum per scientiam infusam, difficile est videre. Adhuc tamen ex duobus probabiliter explicatur. Primo ex hoc quod scientia infusa Christi, sicut scientia angelorum, constituitur per species universales ab initio inditas quae iam potentia repraesentant facta futura, tametsi nondum actu vel habitu, quamdiu futura sunt. Secundo ex hoc quod haec ipsa futura anima Christi per lumen gloriae actu semper videt ut praesentia in speculo aeternitatis; quo fit ut notitia adhuc mere potentialis quam continet scientia infusa secundum se et ratione sui, possit per conversionem ad scientiam beatam in actum reduci. Et sic fortasse propositae difficultati satisfiet. Quamquam in his oporteat nos ad sobrietatem sapere. Nihil enim obscurius quam quae scientiam infusam spectant, ubi a generalioribus descenditur ad magis determinata.

§ 2.

Sed nunc, quid de scientia acquisita dicendum sit, iure meritoque inquiritur. In primis eius quidditas non est pluribus declaranda, cum sit illa ipsa scientia quam habemus in praesenti

vita. Et de aliis quidem duabus, utpote statum viae excedentibus, nonnisi analogica apud nos notio est; de hac vero est notio etiam propria, imo experimentalis. Caeterum, cum dicitur *acquisita,* minime necesse est ut acquisita intelligatur per doctrinam scholae vel magistrorum institutionem. Unde S. Thomas ponens scientiam acquisitam in Christo, nihilominus negat Christum aliquid didicisse magisterio hominis vel angelorum. Et re quidem vera, quidquid per propriam inventionem comperimus, profecto comperimus scientia acquisita, idest, accepta e rebus exterioribus tamquam a signis sapientiae Dei, ut dicitur in littera (1). Huiusmodi ergo scientiam nunc Christo vindicamus, et quomodo se habeat ad duas alias scientias, quomodo praesertim cum illis componatur et nequaquam dicenda sit redundare, paucis declarandum est.

Augustinus, l. 4 de Genes. ad litt. c. 23, duplicem in sanctis angelis cognitionem attendens, beatam scilicet qua res vident in Verbo, et inditam seu infusam qua res vident in seipsis, unam vocavit *diurnam,* alteram vero *vespertinam,* quia haec secunda in comparatione alterius longe est decoloratior: « Multum quippe « interest, inquit, inter cognitionem cuiusve in Verbo Dei, et co« gnitionem eius in natura eius, ut illud merito ad diem perti« neat, hoc ad vesperam... Quapropter, cum sancti angeli qui« bus post resurrectionem coaequabimur semper videant faciem « Dei, prcul dubio universam creaturam in ipso Verbo Dei prius « noverunt, in quo sunt omnium aeternae rationes, tanquam in « eo per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, « quam sic noverunt quasi infra despicientes, eamque referentes, « ad illius laudem in cuius incommutabili veritate rationes se-

(1) « Dicendum quod ille qui addiscit ab homine, non accipit im« mediate scientiam a speciebus intelligibilibus quae sunt in mente « ipsius, sed mediantibus vocibus sensibilibus. tamquam signis intelli« gibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatae sunt « signa intellectualis scientiae ipsius: ita creaturae a Deo conditae, « sunt signa sapientiae eius. Unde dicitur Eccli. 1-10, quod *Deus ef« fudit sapientiam super omnia opera sua* ». S. Thom. hic, Quaest. 12. a. 5, ad 2um.

« cundum quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tamquam « per diem, hic autem tamquam per vesperam ». At vero, dum scientia per se infusa, comparatione scientiae beatae, vespera est et non dies, ita nunc comparatione scientiae acquisitae, dies dicenda esset potius quam vespera. Omnium enim infimus cognitionis modus ille est quo mens ad intelligibilem rerum veritatem assurgit, pro quanto ad eam ex sensibilibus manuduci potest.

Et tamen non est cur in una eademque anima perfectio cognitionis tam beatae quam infusae excludat scientiam acquisitam quae est humano intellectui maxime naturalis, eidemque cum unitur corpori maxime debita. Nonne in hoc universo adspectabili, ut sensibile quoddam exemplum adhibeam, aliter apparent res in splendoribus lucis meridianae, aliter sub pallida luce lunae, aliter cum sol matutinus oritur ab alto, aliter vero cum decrescit horizontem versus, et priusquam dispareat, ultimo rutilat? Unde pictores easdem res, sive nemora, sive littora, sive campos, sub diversis lucis vicissitudinibus depingere solent: nec quispiam sane dixerit frustra hoc fieri, si modo sensu aesthetico non omnino privetur. Et simile quid considerari potest in ordine scientiae. Aliter namque videntur res a beatis in divina arte secundum quam factae sunt, et in qua longe magis fulgent quam in seipsis, aliter vero videntur in seipsis per species creatas, et aliter iterum per species in anima a phantasmatibus abstractas, aliter per species desuper influxas. « Numquid tamen « dicet aliquis, inquit Augustinus ubi supra, c. 29, illam coele- « stem in angelorum millibus civitatem, aut non contemplari « Creatoris aeternitatem, aut mutabilitatem ignorare creaturae, « aut ex eius quoque inferiore quadam cognitione non laudare « Creatorem? Simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant, « possunt tamen et faciunt. Simul ergo habent et diem et ve- « speram et mane..., quia non ibi abscessu lucis superioris, sed « inferioris cognitionis distinctione fit vespera; nec mane tamquam « nocti ignorantiae scientia matutina succedat, sed quod vesper- « tinam etiam cognitionem in gloriam Conditoris attollat. Deni- « que et ille, nocte non nominata, *vespere*, inquit, *et mane et me-*

« *ridie enarrabo et annuntiabo, et exaudies vocem meam* (1), signi-
« ficans quid sine temporum vicibus ageretur in patria, cui eius
« peregrinatio suspirabat ».

Sicut ergo scientia beata non impedit in Christo scientiam infusam, ita nec infusa acquisitam. Quam ideo necesse est in eo agnoscere, quia assumpsit naturam nostram cum omnibus perfectionibus ei propriis, et quia in eius anima intellectus agens cuius est abstrahere species a phantasmatibus, non potuit esse frustra. Sed haec scientia non fuit in eo statim ab initio, nec eam habuit perfectam a prima adolescentia, cum de ratione eius sit ut per collationem et discursum comparetur, itemque ut dependeat a phantasia, quae non potest operari, organo corporeo nondum rite disposito. Nec obstat quod anima Christi dicatur fuisse statim a tempore incarnationis *plena gratiae et veritatis.* Nam veritas seu scientia de qua hic sermo, ea est quae consequitur gratiam, non quae naturaliter acquiritur. Insuper, scientia acquisita est perfectio animae, non prout absolute in seipsa consideratae, sed prout unitae corpori. Cum igitur Christus ante passionem fuerit viator quoad corpus, nihil certe prohibet quin creverit in scientia illa iuxta aetatis incrementa. Et secundum hoc, vere dici potest profecisse, etiam intrinsecus. Secundum hoc, fuit in eo naturalis quidam progressus, ad quem accommodaret manifestationem scientiae superioris. Quae quidem progressiva manifestatio omnino requirebatur, ut iam superius notatum est, ne si in puerili aetate perfectam sapientiam demonstrasset, phantasticus homo putaretur.

§ 3.

Sed iam supersunt solvendae nonnullae difficultates, quarum prima est ex doctrina apostoli, 1 Cor. XIII. Dicit etiam fore ut destruatur in futura vita scientia quae nunc est, idque profecto non alia de causa, nisi quia perfectio visionis beatae non compatitur eam. Ergo nec in Christo potuerunt esse simul cum

(1) Psal. LIV-18.

scientia beata scientiae inferiores. — Ad hoc autem facilis et obvia responsio est, quod scientia de qua hoc loco apostolus, non est scientia vel infusa vel acquisita de qua nos loquimur, sed gratia gratis data connumerata cum dono linguarum et dono prophetiae, quae etiam dicitur *sermo scientiae* ad informationem aliorum in doctrina fidei. Hic enim agit de iis de quibus tractaverat in capite superiori, videlicet de donis quae sunt in instructionem proximi, inter quae eminet donum exponendi mysteria christianae religionis per analogiam obiectorum humanae scientiae vel experientiae. Et tale donum destruetur, pro quanto in patria usum amplius non habebit. — Et similiter dicendum de iis quae sequuntur: *Cum venerit id quod perfectum est, evacuabitur id quod ex parte est.* Non enim accipitur id quod ex parte est, de eo quod respectu scientiae beatae se habet solum ut minus perfectum, sed de eo quod includit vel supponit imperfectionem positivam ad genus privationis pertinentem. Et sic, *ex parte* est fides, itemque spes: ista propter inevidentiam obiecti, haec propter elongationem a termino, utraque quia est veluti motus non quiescentis, adeoque actus exsistentis in potentia in quantum huiusmodi. Sic etiam *ex parte* sunt dona gratis data, ab apostolo prius enumerata, tametsi non propter eamdem rationem. Neque enim important in seipsis imperfectionem positivam, sed tamen illam supponunt in iis ad quorum utilitatem dantur, et ideo evacuabuntur, adveniente statu omnimodae perfectionis in patria. Nunc autem scientia sive infusa sive acquisita, licet longe posita a perfectione scientiae beatae, adhuc tamen in proprio ordine propriaque ratione nullam importat privationem seu imperfectionem positivam. Quamobrem, non solum non debet evacuari, perfecto adveniente, sed imo requiritur ad omnimodam perfectionem unicuique beato competentem. Alias, si deberet evacuari scientia, multo magis deberet evacuari cognitio sensibilis post resurrectionem, cum ista adhuc magis elongetur a perfectione visionis beatificae.

Secundo occurrunt difficultates ex hoc quod videatur impossibile ut in eadem potentia sint simul plures operationes. Atqui si in anima Christi coexsistissent scientia beata, infusa, et ac-

quisita, necessario in eius intellectu fuissent plures operationes simul. Nam scientia beata est semper in actu, et nequidem potest concipi in solo habitu. Ergo scientia inferior, vel nunquam poterit esse in actu, quod est absurdum, vel erit in actu simul cum scientia beata, et sic erunt plures operationes simul elicitae ab eodem intellectu. — Ad hoc autem respondeo, impossibile quidem esse ut in eadem facultate apprehensiva sint plures operationes eiusdem speciei et solo numero distinctae, (idque propter generalem repugnantiam plurium eiusdem speciei accidentium in eodem subiecto), non tamen plures operationes diversae speciei, quando simul adsunt ea ad quae terminentur. Et re quidem vera, necesse est ut intellectus simul videat illud omne cui unitur tamquam intelligibili in actu, sicut necesse est ut oculus corporeus videat illud omne cui unitur tamquam sensibili in actu. Videndum igitur est utrum possibile sit, intellectum simul uniri pluribus intelligibilibus in actu. Et de naturali quidem cognitione loquens S. Thomas, impossibile hoc esse affirmat, quia in naturali cognitione intellectus non unitur intelligibili in actu nisi per hoc quod ipse intellectus formatur forma representativa sibi inhaerente: et non potest esse, ait, quod intellectus simul informetur pluribus formis repraesentativis, sicut esse non potest quod idem corpus secundum idem diversis coloribus coloretur vel diversis figuris figuretur. Quamquam hoc ipsum, ut opinor, accipi debeat non secundum omnimodam aequiparationem, sed secundum quamdam proportionem, de formis intelligibilibus omnino disparatis, quae ad ordinem unitatis nequaquam reducuntur. Alias angelus qui est semper in actu cognitionis sui ipsius, nusquam posset intelligere alia a se, quod absit. Quidquid vero sit, patet quod ratio nullo modo applicatur quoad simultaneam unionem intellectus cum intelligibili scientiae beatae et scientiae inferioris, quandoquidem intelligibile scientiae beatae non est forma informans intellectum, in eoque recepta. Unde nihil prohibet quominus in eodem intellectu sit visio Dei simul cum qualibet cognitione inferiori, et si qua adhuc superesset quaestio, tota versaretur circa possibilitatem simultaneitatis actuum scientiae infusae et scientiae acquisitae. De qua etiam non videtur

esse dubitandum, si obiecta non sint disparata, uti superius insinuatum est. Caeterum, cum nec de infusae nec de acquisitae scientiae ratione sit ut semper in exercitio sui inveniatur, nulla contradictio sequeretur, quacumque hypothesi facta. Sufficit ergo ad praesens, ut salva sit simultaneitas actus scientiae beatae cum actu alterutrius ex aliis duabus, et de hoc satis hactenus est dictum.

COROLLARIUM.

Sunt ergo in Christo omnia genera scientiae possibilia. Et quoad acquisitam superat caeteros homines; quod infusam, partim superat angelos, et partim superatur ab eis; sed quoad beatam, eminet simpliciter et absolute supra cunctas creaturas, et ideo bene dicitur habitasse in nobis plenus gratiae et veritatis.

Haec assertio compendium est et recapitulatio praecedentium, addita speciali consideratione circa perfectionem uniuscuiusque scientiae in Christo, comparative ad alias creaturas sive humanas sive angelicas.

Iam dictum est quod in omni cognitione oportet distinguere apprehensionem obiecti et modum quo apprehenditur. Et ex parte quidem apprehensionis, cognitionis perfectio consistit in eius claritate sive limpiditate, mensuramque habet ex vi et efficacia luminis intellectualis, seu naturalis seu gratuiti, a quo intellectiva operatio procedit. Ex parte autem modi quo apprehenditur obiectum, perfectio consideratur secundum cognitionis proprietatem, necnon et comprehensionem: ita scilicet ut quanto plura aliquis uno actu et per modum unius distincte ac proprie intelligit, tanto sit sublimior intelligendi ratio, et tanto magis participans de modo quo Deus per suam essentiam et in sua essentia omnes entis abyssos omnesque possibiles entis differentias suo intuitu penetrat ac pervadit. Porro, sub hoc respectu perfectio cognitionis non amplius pendet per se ab efficacia luminis, sed a specie intelligibili, id est, ab obiecto prout intelligibiliter unitur intellectui, eique applicatur.

Quapropter, cum in scientia beata ipsa Dei essentia, non per speciem vicariam sui, sed per seipsam sese applicet intellectibus creatis, profecto ex parte intelligibilis formae nulla est differentia, et ideo unus quoque est respectu omnium videntium modus rei visae, scilicet Dei et rerum creatarum in Deo. Sunt tamen in puritate et claritate visionis gradus innumeri, sed non secundum maiorem minoremve perfectionem luminis naturalis, ut iam praemissum est, quia omnes creaturae intellectuales aequaliter elongantur per naturam suam ab unione cum Deo tamquam cum forma intelligibili, et ex consequenti omnes aequalem habent capacitatem obedientialem ad recipiendum lumen gloriae quo mens ad videndum Deum confortatur. Si igitur nihil obstat quominus huiusmodi lumen sit abundantius in anima humana quam in angelo et supremo etiam angelorum, nulla pariter occurrit difficultas quoad praeeminentiam animae Christi in visione Dei supra cunctos beatorum ordines. Et re quidem vera: « Conve-
« niens fuit ut prae caeteris creaturis illa anima divina visione
« beatificaretur, quae Deo propinquius coniungebatur. In qua
« quidem visione gradus attenditur secundum quod aliqui aliis
« clarius Deum vident, qui est omnium causa. Quanto autem
« aliqua causa plenius cognoscitur, tanto in ipsa plures eius ef-
« fectus perspici possunt... Anima igitur Christi summam perfe-
« ctionem divinae visionis obtinens inter creaturas caeteras, omnia
« divina opera et rationes ipsorum in ipso Deo plene intuetur,
« ut non solum homines, sed etiam supremos angelorum illuminet.
« Et ideo apostolus dicit quod in ipso sunt omnes thesauri sa-
« pientiae et scientiae Dei absconditi » (1).

Sed nunc, quod ad scientiae infusae perfectionem attinet, oportet distinguere respectum sub quo scientia Christi eminet supra scientiam angelorum, et respectum sub quo scientia angelorum eminet supra scientiam Christi. Nam in hac scientia, cognitio perficitur *per receptionem intelligibilis in intellectu,* nec iam trahitur mens ad intelligibile secundum quod est in seipso, sed e converso intelligibile per speciem sui vicariam trahitur ad

(1) Comp. Theolog. c. 216.

mentem cognoscentis, et induit modum eius. Hinc fit primo, ut quidquid excellentia sua superat cognoscentem, non possit secundum hanc scientiam cognosci cognitione propria, ut in se est. Et ideo anima humana in futura vita seipsam quidem intuitive naturaliter videt, sed per species infusas cognoscit superiora ad modum sui, et non secundum proprium modum nobilitatis eorum (1). Hinc fit secundo, ut quanto intellectus est inferioris speciei, tanto etiam magis deficiat ab unitate, ac per hoc, a perfectione ac sublimitate cognitionis: siquidem universaliores (comprehensione) species proportionantur supremis angelis, hoc est, species perfectius imitantes essentiam divinam in quantum una exsistens intelligibiliter repraesentat omnia; minus universales inferioribus, atque ita porro, usquedum pervenias ad animam humanam, quae etiam separata ultimum obtinet locum in hierarchia intelligentiarum. Nam licet post hanc vitam intellectus noster non indigeat converti ad phantasmata, semper tamen manet infimus intellectus cui hoc ipsum maxime naturale est, puta intelligere per conversionem ad phantasmata et per collationem ac discursum, ut Angelicus observat, Quaest. 11, a. 4, circa finem. Si ergo compares scientiam infusam Christi cognitioni inditae angelorum, invenitur minus perfecta quoad modum cognoscendi qui non est ita sublimis et altus. Sed nihil prohibet quominus in sua multiplicitate se extendat ad plura; nihil etiam

(1) « Est commune omni substantiae separatae, quod intelligat id « quod est supra se, et id quod est infra se, per modum suae sub- « stantiae. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelli- « gente; est autem aliquid in altero per modum eius in quo est. Modus « autem substantiae animae separatae est infra modum substantiae an- « gelicae, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et « ideo, de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet; de an- « gelis autem imperfectam et deficientem, loquendo de cognitione na- « turali animae separatae. De cognitione autem gloriae est alia ratio ». Ita S. Thomas in Prima Parte, Quaest. 89, a. 2. Nec aliter sentit de cognitione infusa animae Christi. Dicit enim in Tertia Parte, Quaest. 11, a. 1 ad 2um: « Christus ante passionem non solum fuit viator, sed etiam « comprehensor; unde anima eius poterat cognoscere substantias sepa- « ratas *per modum quo cognoscit anima separata* ».

impedit quominus habeat excessum claritatis ex lumine gratuito per quod potest naturale lumen confortari, quin intellectus a suo gradu specifico removeatur. Et hoc modo scientia infusa Christi excedit scientiam angelorum, ut probant rationes in praecedentibus iam sufficienter expositae.

Tandem de scientia acquisita non est dubium quin fuerit in Christo modo excellenti, id est, secundum summum gradum scientiae humanae. Quomodo enim anima eius non eminuisset supra caeteras quoad dona, non modo gratuita, verum etiam naturalia? Praeterea, si diversi gradus virtutis intellectivae proportionantur dispositionibus organorum quae sunt instrumenta animae ad intelligendum, statim sequitur fuisse in eo excellentissimam rationis vim. Nam corpus eius non per causas secundas defectibiles, sed sola virtute Spiritus Sancti formatum, ex hoc ipso fuit animae rationali perfectissime proportionatum atque complexionatum, ita ut naturale lumen intellectus agentis plenum habuerit exercitium, nullis etiam inordinatis phantasiae vel passionum motibus unquam perturbatum.

Hactenus doctrina scholastica de scientia animae Christi. Breviter dicendum nunc superest de opposito errore neocriticorum.

THESIS XXI.

Vana sunt argumenta quae novi exegetae ex historia evangelica depromunt contra veram et catholicam doctrinam de omniscentia animae Christi. Sed et apertam haeresim prae se ferunt opiniones quas e rationalistis acceperunt, de positivo errore in quo fuisset idem ipse Christus circa mox venturam consummationem saeculi, et de progressiva evolutione per quam pervenisset ad conscientiam filiationis divinae vel vocationis messianicae.

Plenitudo scientiae in anima Christi non est de his veritatibus quae possunt ex factis historiae, adaequate saltem demonstrari. Equidem narratio evangelica Iesum ubique monstrat

velut transcendente quadam scientia ornatum. Quem scilicet secreta cordium non latebant, (*Marc.* II-6, *Matth.* XVI-7, *Luc.* XI-39, *Ioan.* II-25, etc.). Qui ea etiam cognoscebat, quae in notitiam eius nullo medio humano potuerant devenire, (*Ioan.* IV-29, *Ioan.* I-48, *Luc.* VII-47, *Marc.* XVI-13, etc.). Cuius denique conspectui futura aeque ac praesentia subdebantur, (*Matth.* XI-23, *Luc.* XIX-41, *Luc.* XXI-20, *Marc.* X-33, *Marc.* XIV-2, etc.). Haec igitur et alia plura quae hic transcribere non vacat, indicio tibi erunt illius omniscientiae de qua in superioribus dictum est, non tamen sufficiens et adaequata eius demonstratio. Quapropter, si nihil aliud sibi critici vellent, nisi quod e solius historiae fontibus non constat omne id quod de extensione scientiae in anima Christi docet vera et orthodoxa theologia, non esset sane cur eis contradiceretur. Nunc autem longe ultra procedunt, novum fingentes Christum a quo penitus abhorret catholica fides, communi nostrae ignorantiae, communibus erroribus, imo et hallucinationibus obnoxium.

§ 1.

Et primo quidem, contra sanam et catholicam doctrinam omnino sentiunt quicumque in anima Christi aliquam ignorantiam ponunt. Nam etsi in hac parte non possit afferri diserta et solemnis definitio, adhuc tamen communis Ecclesiae fides iis documentis constat, quae nullis ambagibus relinquunt locum. Praecipua autem sunt sequentia (1). Saeculo V, cum primum incepisset quaestio agitari (2), occurrit retractatio Leporio presbytero

(1) Apud Vacant, Dictionnaire de théologie catholique. Art. *Agnoètes*.

(2) Nota bene, *cum primum incepisset agitari quaestio*. Certe, ante saeculum V feruntur quidam tribuisse Christo nescientiam quorumdam futurorum, utputa diei iudicii, sicut testatur Ambrosius l. 5 de fide, c. 18: qui etsi non abeat in eam opinionem, tamen non damnat sic sentientes. Sed sciendum quod tunc, saeculo IV, de confutanda haeresi Ariana maxime solliciti erant Patres. Porro Ariani qui animam rationalem a Christo tollebant, referebant ad Verbum nescientiam de qua Marc. XIII-32, et contra consubstantialitatem argumentum inde sume-

mposita, et ab omnibus Africae necnon et Galliarum episcopis approbata, in qua anathematizatur doctrina Christo homini ignorantiam imputans: « Tunc dixi, imo ad obiecta respondi, Domi-« num nostrum Iesum Christum secundum hominem ignorare. « Sed nunc non solum dicere non praesumo, verum etiam prio-« rem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici « non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum pro-« phetarum » (1). Saeculo VI, cum Themistius diaconus novae sectae Agnoetarum auctor exstitisset, prodit tractatus Eulogii patriarchae Alexandrini *contra Agnoetas,* a Photio in Bibliotheca compendiatus, cuius generale argumentum est, quod Christi humanitas, utpote hypostatice unita Verbo, nihil ignorare potuit sive de praesentibus sive de futuris (2). Hunc tractatum velut catholicae fidei per omnia conformem vehementer commendat Gregorius Magnus l. 10, epist. 35 et 39, eidemque consonat epistola synodica Sophronii ad Sergium, lecta in concilio sexto. Saeculo VIII, Ioannes Damascenus inter haereticos

---

bant. Hinc Patres in hoc intendebant, ut nescientiam, *quocumque tandem modo intelligi illa deberet*, non ad Verbum qua Verbum, sed ad naturam assumptam tribuendam esse ostenderent. Quidquid aliud erat, secundarium erat, et ad controversiam cum praepotentibus haereticis omnino indifferens. Non mirum igitur est si circa id quod in quaestionem non veniebat, non ita firma fuerit praedicatio, imo si ad sensum deteriorem permissive se habuerint aliqui etiam e praestantioribus, ut videre est in Ambrosio l. c. Satis enim tunc erat, poni in tuto principale dogma consubstantialitatis Verbi.

(1) Migne, Patr. Lat. Tom. 31, col. 1229. — Cf. Cassianum l. 1 de Incarn. c. 6.

(2) « Aliam orationem composuit (Eulogius) contra Agnoetas sive « *ignorantes*. Monachos autem quosdam ait ex Palaestina solitudine exci-« tasse pravum dogma, qui Dño nostro I. C. ignorantiam ex iis quae « ipse dixit, assignare conati sunt... Sanctus autem Eulogius, Christum « Iesum, neque secundum humanitatem quidem, multo minus vero se-« cundum divinitatem ignorasse... contendit. Neque enim humanitas « Christi in unam inaccessibilis sapientiae hypostasim admissa, quid-« quam velut rerum praesentium, ita et futurarum poterit ignorare ». Photius, Bibliot. cod. 230.

Agnoetas recenset in suo libro de haeresibus n. 85. Imo scribit l. 3 de fide orth. c. 22, eos qui in sapientia Christum Dominum progressum habuisse dicunt, non a primo exsistendi initio unitionem carnis esse factam arbitrari, sed vanissimo Nestorio potius auscultantes, hanc ipsam copulationem solius habitudinis ac merae inhabitationis esse fingere. « Nam, inquit, si caro a primo « statim ortu vere Deo unita est, imo potius in ipso exstitit, et « identitatem secundum hypostasim cum eo habuit, qui fieri po- « tuit, ut non omnibus prorsus sapientiae gratiaeque donis af- « fluxerit? Non quidem ut gratiam participaret, nec per gratiam « in communionem eorum quae Verbi erant veniret. Quin po- « tius, ob unionem illam secundum hypostasim, cum humana di- « vinaque unius Christi propria facta esset, quippe qui Deus « simul homoque erat, gratiam et sapientiam et bonorum omnium « plenitudinem fontis instar mundo profuderit ». Nec alius sen tentiae sunt Theophylactus (in Luc. 11-52), Beda (Homil. 12 in Domin. post Epiph.), Alcuinus (l. 2 de fide S. Trinit. c. 11), Anselmus (Cur Deus homo, l. 2, c. 13), Bernardus (de grad. humil. c. 3). Denique, ab aetate scholasticorum, tam apertus tamque explicitus est quoad omniscientiam animae Christi, omnium scholarum consensus, ut clare appareat doctrinam hanc de iis esse, a quibus nulli catholico quacumque ratione recedere licet.

Caeterum nullas ex evangelio rationes critici afferunt, praeter illas quae a SS. Patribus et Doctoribus in pleno lumine iamdudum positae sunt. Ait quidem Christus apud Marcum XIII-32: *De die autem illo et hora nemo scit, neque angeli, neque Filius, nisi Pater*. Sed cui adhuc vera huius loci interpretatio obscura esse posset? Interrogatus de epocha diei iudicii, (supra, Marc. XIII-4), eo modo respondet quo respondere solent quicumque interrogantur de his quae sub secreto vel sacramentali vel naturali acceperunt. Dixit ergo nescire se iudicii diem, quia praescindendo nunc ab alia explicatione infra afferenda, non sciebat scientia communicabili, non sciebat ut diceret: bonum enim nobis erat ut denuntiatus dies maneret occultus. E contra, Pater ipseque solus, (appropriando Patri ea quae divinitatis sunt), sciebat scientia quam poterat utique communicare, et revera communicaverat

Christo. Si enim Christo homini datum est ut sciret qualiter oporteat iudicare, ut habetur Ioan. V-27, multo magis datum est ei scire iudicii tempus. Unde Augustinus, Enarr. in Psalm. 36, Serm. 1: « Utiliter Deus latere voluit illum diem, ut semper sit « paratum cor ad exspectandum quod esse venturum scit, et « quando venturum sit nescit. Quia vero D. N. I. C. magister « nobis missus est, etiam Filium hominis dixit nescire illum « diem, *quia in magisterio eius non erat ut per eum sciretur a « nobis* ».

Solet etiam more humano eos cum quibus conversatur interrogare, velut Luc. VIII-30, Marc. V 30, IX-20, IX-15, etc. Sed valde difficilem se exhiberet, cui non sufficeret responsio Origenis in c. 13 Matthaei: « Qui novit quae sunt in cordibus ho- « minum Christus Iesus, sicuti de hoc docuit in evangelio Ioan- « nis, non ignarus interrogat. Sed quoniam semel assumpserat « hominem, utitur omnibus quae sunt hominis, quorum unum « illud est, interrogare. Nec mirandum si id facit Salvator, cum « ipse etiam omnium Deus moribus hominum sese accommodans, « perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percontetur, « velut in hoc, *Adam, ubi es?* et, *ubi est Abel frater tuus?* ». Unde, Marc. IX 32, cum interrogasset discipulos: *quid in via tractabatis?* et illi tacerent, non audentes confiteri quod inter se disputaverant de primatu, nihilominus respondet secretis eorum cogitationibus dicens: *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus,* etc. Ut nimirum scias, ipsum non consuevisse interrogare quasi ad cognoscendum ea quae sibi essent ignota, nam *opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine,* inquit Ioannes II 25. At vero, homo inter homines conversans, quomodo ea quae humanae conversationis sunt non usurpasset?

Legitur quoque miratus esse fidem centurionis et civium suorum incredulitatem, Matth VIII-10, et Marc. VI-6. Sed nota bene quod admiratio non necessario ex ignorantia causatur. Sufficiens enim admirationis ratio est si aliquid occurrat novum atque insolitum. Porro, ut infra docet Angelicus, Q. 15, a. 9: « In Christo non poterat esse aliquid novum et insolitum quan-

« tum ad scientiam qua cognoscit res in Verbo... Potuit tamen « aliquid esse sibi novum et insolitum secundum scientiam ex- « perimentalem, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua « nova occurrere. Et ideo... si loquamur de eo quantum ad scien- « tiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et as- « sumpsit hunc affectum ad nostram instructionem, ut scilicet « doceat esse mirandum quod etiam ipse mirabatur. Unde dicit « Augustinus l. 1 super Genesim c. Manichaeos: *Quod mirabatur « Dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est « sic moveri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi « signa sunt, sed docentis magisterium* ». Non ergo recte concluderetur aliquid unquam latuisse animam Christi, sed tantum, non unum fuisse in ea cognitionis modum; quatenus praeter scientiam superiorem quae ab initio plena exstitit et perfecta, agnoscenda est scientia inferioris ordinis, et eiusdem rationis cum nostra, quam experimentalem vocant, seu etiam acquisitam.

Nec melior conclusio erit ex auctoritate eorum Patrum quarti saeculi, qui Arianis obiicientibus praedicta evangelii loca contra Filii consubstantialitatem, ea quidem ad humanam Filii naturam, non ad eius divinitatem referenda esse respondebant, sed simul viderentur concedere positivam in eius anima ignorantiam, velut *Athanasius* orat. 3 c. Arianos, n. 43, *Nazianzenus* orat. 30, n. 15, *Cyrillus Alexandrinus,* Thesaur. assert. 22, etc. Ad haec enim duplex responsio est.

Prima: Quod quacumque suppositione facta, auctoritates istae minime sufficerent ad conciliandam quamdam orthodoxiae speciem iis opinionibus quae Christo secundum hominem defectum scientiae attribuunt: tum quia veteres illi Patres ut iam dictum est, unice solliciti fuissent de removendo defectu a Christi divinitate contra positionem Arianam quae sola tunc in controversiam veniebat, et de humanitate eius non data opera ac firma sententia, sed velut transmittendo argumenta fuissent locuti; tum praesertim quia non omnia quae veteres in quaestionibus nondum eliquatis dixerunt, possunt etiam postea, facta iam in Ecclesia doctrinae explicatione, tuto et catholice vel tradi vel defendi. Id quidem rectissime animadvertit Cardinalis Franzelin,

de Incarn. thes. 42, et huius observationis legitimitas abunde constat ex principiis alias expositis de divina traditione.

Verumtamen non est omnino cur concedamus Patres supra citatos circa praerogativas assumptae humanitatis quocumque tandem modo haesitasse, licet non ita clare locutos eos in quaestione nondum agitata aequum sit admittere. Et re quidem vera, natura a Christo assumpta potest dupliciter considerari, inquit Angelicus Q. 15, a. 3: « Uno modo secundum rationem suae « speciei, et secundum hoc dicit Damascenus eam esse *ignoran-* « *tem et servilem:* unde subdit: *Nam serva quidem est hominis* « *natura eius qui fecit ipsam, et non habet futurorum cognitionem.* « Alio modo potest considerari secundum id quod habet ex unione « ad hypostasim divinam, ex qua habet plenitudinem scientiae « et gratiae, secundum illud Ioan. I-14: *Vidimus eum quasi Uni-* « *genitum a Patre, plenum gratiae et veritatis* ». Et ideo locutiones de ignorantia Christi secundum hominem, duplicem sensum ferunt: quatenus scilicet, vel ignorasset absolute et simpliciter, vel ignorasset solummodo quantum erat ex vi naturalis luminis humani intellectus. Porro multa sunt quae posteriorem hunc sensum apud Patres quorum auctoritas obiicitur, credibilem faciunt. Primo modus quo loquuntur de progressu Christi in sapientia (1). Secundo categorica et expressa affirmatio de eo quod Christus qua homo sciebat iudicii diem (2). Tertio explicatio a Nazianzeno

(1) Nazanz. Orat. 43, n. 38: « Proficiebat, inquit, ut aetate, ita etiam « sapientia et gratia. Non quod haec in illo incrementum caperent; « quid enim eo quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? « sed quod haec paulatim detegerentur et elucerent ». Et Cyrillus l. 3 c. Nestor. c. 4: « At enim in sapientia factum esse incrementum dicis, ta- « metsi quomodo id non stultum sit? Credimus enim ex ipso ventre atque « utero virgineo, ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem prodiisse « plenum procul dubio sapientia et gratia quae illi naturaliter inerat. « Quodnam igitur incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri « sapientiae...? Quomodo igitur proficere dictus est? Ut ego arbitror, « quia Deus Verbum pro incremento et aetate sui corporis, divinorum « illorum bonorum quae sibi inerant, manifestationem admetiebatur ».

(2) Cf. Chrysost. Hom. 77 in Matth. n. 11; Hilar. l. 9 de Trinit. c. 62; Hieron. in Matth. XXIV-36; August. de diversis quaest. Q. 60-65, et l. 13 de Trin. c. 19.

suppeditata, orat. 30, n. 15: « Horam quidem ut Deus cognitam « habet, ignorat autem ut homo, si quis partem aspectabilem ab « ea disiungat quae mente sola perspici potest ». Id est, si abstractio fiat ab unione ad Verbum, in qua sola ratio erat exigitiva superioris illius ac plane supernaturalis scientiae quae ad omnia praeterita, praesentia, et futura se extendebat. Et haec etiam explicatio est Eulogii apud Photium, ubi supra: « Nudae « puraeque humanitatis signum proprium est ignorantia. Hac ra- « tione ergo Christi humanitati, ut simplici et purae humanitatis « naturae consideratae, praecise secundum ea quae a seipsa habet, « adscribi poterit ignorantia ». Eadem quoque Gregorii Magni, l. 10, epist. 39, ubi rem omnem brevi formula complectitur dicens, nosse quidem Christum, diem et horam iudicii *in natura humanitatis, sed tamen non ex natura humanitatis* (1).

§ 2.

Sed si salva orthodoxia, ignorantia in Christo concedi non potest, quanto minus positivus error; praesertim vero error in eius doctrina expressus, in eius praedicatione assertus, in ipso

(1) Traditionis testimonium circa scientiam animae Christi optime resumit Vacant, loco supra citato: « Avant Arius, les Pères ne parlent « pas clairement de la différence qu'il y a entre la science divine et la « science humaine du Christ. Au IVe et au Ve siècle la controverse « avec les Ariens les amène à insister sur cette différence. Ils opposent « la science divine du Christ à sa science purement humaine, sans s'ex- « pliquer beaucoup sur la science surnaturelle que l'âme du Christ « possédait. Cependant ils affirment tous cette science surnaturelle, et « expliquent que la sagesse du Christ a progressé dans sa manifesta- « tion plutôt qu'en réalité. A partir du VIe siècle on affirme contre les « agnoètes que le Christ comme homme, n'a pas été soumis à l'igno- « rance. S. Grégoire le Grand formule une distinction qui concilie tous « les enseignements antérieurs, en disant que le Christ connaissait le « jour du jugement dans sa nature humaine, mais non par les lumières « de cette nature... A partir du XIIIe siècle, les scolastiques distin- « guent nettement trois sciences dans l'âme du Christ. Tous admettent « que le Sauveur a toujours eu comme homme, la vision béatifique, « et qu'en raison de cette vision il n'a jamais rien ignoré au sujet des « créatures ».

evangelii principio positus. Quid enim, quaeso, magis fundamentale in christianismo, quam quod doctrina Christi sit doctrina infallibilis veritatis, et praedicatio eius, praedicatio de ipso divinitatis fonte defluens? Et hic nota quod verba Christi erant verba Dei, non solum hoc sensu, quod quidquid in Christo humanitatis erat, attribuendum fuit Deo ratione unitatis suppositi, (quomodo et ambulatio, comestio, passio, mors Christi, fuit ambulatio, comestio, passio, mors Dei), sed eo etiam sensu, quod referebant ipsissimos conceptus quos per humanitatem sibi hypostatice unitam ad nos dirigebat divinitas, iuxta illud Ioan. VII-16: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Nota iterum quod non est simile de Christo et de sanctis Dei hominibus per quos locutus est Spiritus Sanctus. Isti enim fuerunt instrumenta separata, quae identidem tantum assumebantur in organa divinarum communicationum. At humanitas Christi fuit organum increatae Sapientiae coniunctum et permanens, in quo procul dubio falsa opinio, falsa sententia, falsa praesertim praedicatio nonnisi impie et blasphematorie fingeretur. Praeterea, si fallibilis Christus, quomodo infallibilis Ecclesia? Si pseudopropheta in eo quod se habuisset ut totius fundamentum evangelii, quomodo adhuc credibilis christiana religio? Denique, si pro haereticis semper habiti sunt illi qui contra traditionem ecclesiasticam detorquebant ad suos privatos sensus doctrinam Christi, quomodo non ultra haereticas eas exegeses censebimus, quae ipsum destruunt principium de infallibili evangelii veritate, hactenus commune apud eos omnes qui christiano nomine utcumque gloriabantur? Caeterum, alibi demonstratae sunt duae sequentes propositiones. Prima: *Quod omnes textus evangelii qui afferuntur pro praenuntiato a Christo fine mundi tamquam proxime et sine mora venturo, fuerunt male a rationalistis et neocriticis intellecti.* Secunda: *Quod absque fundamento erronea persuasio de imminente iam iudicio et parousia Christi, in scriptis apostolicis passim respersa asseritur, imo contra diserta et expressa quae in iisdem inveniuntur testimonia* (1).

(1) *Quaestiones de Novissimis* (2a edit.) Q. 8, § 2.

Ad ea ergo quae ibi dicta sunt, ne rem actam iterum agere videamur, liceat benevolum lectorem remittere.

De conscientia demum filiationis divinae et vocationis messianicae quid dicendum, nisi quod mirum sane non est si quaestio de modo quo haec conscientia advenerit Christo, a rationalistis moveatur. Eis enim Christus est purus homo; filiatio divina et vocatio messianica, aliquid ad solam mentalitatem pertinens; conscientia vero eius, merum quoddam psychologiae phaenomenon. Consequens igitur est ut quaerant quo tempore, quibus externis circumstantiis, qua interna evolutione, eiusmodi persuasio inceperit intrare in anima Christi. Sed totius quaestionis suppositum absolute subtrahitur, semel ac vera creditur incarnatio Dei, veraque hypostatica unio humanitatis ad Verbum. Statim namque apparet, unionem hanc non esse de his ad quae poterat sese extendere scientia naturaliter acquisita a Christo, cum nec per immediatam sensus intimi perceptionem cognoscibilis esset, nec per quamcumque illationem ab iis quae naturali experientiae subiiciuntur. Apparet quoque conscientiam de qua nunc agitur, per solam scientiam beatam vel etiam infusam haberi potuisse, adeoque non per elaborationem seu evolutionem illam quam adstruunt neocritici. Quorum opiniones in hac parte, non solum impetunt catholicam doctrinam de scientia animae Christi, verum etiam intime cohaerent cum rationalistico errore quo eiusdem Christi Domini nostri vera negatur divinitas.

QUAEST. XIII.

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

Hucusque consideravimus quidquid perficit animam Christi, vel in sua essentia (ut gratia), vel in ordine ad operationes immanentes (ut virtutes et scientia). Superest itaque dicendum de perfectione eius quantum ad operationes transeuntes in exteriorem effectum, et sic succedit consideratio *potentiae.* Potentiam dico *activam ad extra,* eodem scilicet sensu quo hoc nomen accipitur cum de Deo omnipotentia praedicatur.

Hic igitur, primum omnium sciendum est quod anima Christi dupliciter considerari potest: « Uno modo *secundum propriam « virtutem sive naturalem sive gratuitam.* Alio modo prout est « *instrumentum Verbi Dei* sibi personaliter uniti » [1]. Priori modo habet potentiam ad operandum ut causa principalis; posteriori modo ut causa instrumentalis tantum. Et ad huius evidentiam nota esse quosdam effectus ad quos naturalis virtus creaturae omnino proportionatur; quosdam vero alios quorum proportionatum principium nequit esse virtus ex intimis creatae essentiae exoriens, sed tamen potest supernaturaliter a Deo infundi creaturae; quosdam denique alios, quibus sola proportionatur virtus divina, sicut producere aliquid ex nihilo, vel (quod eamdem in agendo vim requirit atque independentiam), facere in subiecto id ad quod nullo modo naturaliter est in potentia, puta operari miraculum, aut aliud eiusmodi. Est igitur creatura, salva in omnibus necessitate motionis divinae, causa principalis effectuum primi et secundi generis per virtutem propriam vel naturae vel gratiae. Ad effectus vero tertii generis, seclusa creatione, operari quidem potest, sed pure instrumentaliter, hoc est, non per virtutem activam naturalem aut gratuitam sibi inhaerentem, sed quodam modo analogo ad modum quo causant physica quae apud nos sunt instrumenta, cum deferunt virtutem artis in solo artifice a quo moventur residentem.

Sic ergo manifestum est quod loquendo de potentia activa animae Christi ad extra, necesse est distinguere ea quae potest secundum propriam virtutem tum naturae tum gratiae, et deinde ea quae potest ut organum sive instrumentum divinitatis. Porro, quod attinet ad primum genus, non est cur specialis instituatur disputatio. Est enim in Christo haec potentia omnino eiusdem rationis ac in caeteris, servata semper proportione quam exigit perfectionis excessus, sive in naturalibus donis, sive praesertim in gratuitis. Et ideo S. Thomas hic, art. 2 in corp. dicit: « Po- « tentiam habuit (anima Christi) ad illos effectus faciendos qui « sunt animae convenientes, puta ad gubernandum corpus, et

[1] S. Thom. hic, art. 2 in corp.

« ad disponendos humanos actus, et etiam ad illuminandum per « gratiae et scientiae plenitudinem omnes creaturas rationales « ab eius perfectione deficientes, *per modum quo hoc est conve-* « *niens creaturae rationali* ». Restat igitur sola consideratio de alio genere effectuum, hoc est, de iis quae potest anima Christi ut instrumentum Verbo Dei coniunctum in persona. Hinc:

THESIS XXII.

(Art. 2-3).

Anima Christi ut instrumentum coniunctum Verbo, habuit per modum habitus potentiam ad faciendum omnia miracula ordinabilia ad incarnationis finem. Specialiter vero, et eadem de causa, eius potestati omnis dispositio proprii corporis totaliter subdebatur.

Dicit Gregorius Magnus l. 2 Dial. c. 30, quod sancti, non solum orando et impetrando, sed etiam quandoque *potestative,* ac per hoc *cooperando,* miracula faciunt. Quod qualiter esse possit, exponit S. Thomas, de Pot. Quaest. 6, art. 4 in corp. « Constat, « inquit, quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus « autem quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, « scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet angelis, per- « venit, ut in legis veteris latione apparet. Et per hunc modum « per spiritus angelicos vel humanos, imperium divinum ad cor- « porales creaturas pervenire potest, ut *per eos quodammodo na-* « *turae praesentetur divinum praeceptum,* et sic agant quodammodo « spiritus humani vel angelici ut instrumentum divinae virtutis « ad miraculi perfectionem ». Hucusque S. Doctor. Sed, quid sit huiusmodi prasentatio divini imperii ad naturam, merito inquiritur. Imperium enim divinum est immediate efficax omnium quae imperat, nec potest physice transire per instrumentum, ut mediante instrumento, physice pertingat ad effectum. Dico igitur, tunc praesentari naturae divinum imperium, quando res naturalis designatur ad miraculosam immutationem quae solo Dei imperio perfici potest: designatur, inquam, ea efficaci ordinatione,

qua posita, iam debitum, necessarium, atque infallibile est ut sic immutetur. Hac enim ratione res naturalis fit in actu proximo suscipiendi in se omnipotentis imperii effectum, et plane verificatur metaphora qua dicitur *praesentari* ipsum imperium divinum: praesentari, id est, poni coram et veluti in praesentia, quia tunc intimatur ut praesens imperium Dei, quando in natura inducitur destinatio ad id quod hic et nunc requirit interventum omnipotentiae cui ad nutum obediunt omnia. Et sic intelligo id quod legitur in libro Iosue, X-12: *Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis... Stetit itaque sol in medio caeli..., obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.* Obediente, inquit, Domino voci hominis, i. e. exsequente Deo imperio omnipotentiae id quod ordinaverat homo. At non homo ut homo, ex proprio arbitrio agens, sed homo ordinans in auctoritate et ut instrumentum Dei. Sic etiam intelligo sacerdotem operari instrumentaliter ad transubstantiationis effectum; sic dico praesentari naturae divinum praeceptum, cum virtute verborum transit panis in corpus Christi, et vinum in sanguinem.

Hoc modo virtus instrumentalis ad miraculosas immutationes non est virtus physica, sed magis pertinens ad intentiones intellectus ordinantis, adiuncta voluntate. Et licet ad huiusmodi ordinationes naturalis vis animae operetur, (semper enim instrumentum aliquid de suo ponere debet), eis tamen efficacia non competit, nisi prout fiunt in virtute supremi dominii quod solus Deus habet in totum universum. Hinc analogia inter instrumenta Dei in operatione miraculorum, et physica quae apud nos sunt instrumenta artium, in duobus consistere videtur. Primo in hoc, quod propriae operationi physici instrumenti respondet conversio rationalis instrumenti ad rem naturalem quam destinat miraculosae immutationi. Tum secundo in hoc, quod physico motui quem in operatione artis principale agens instrumento communicat, respondet destinationis efficacia fluens a voluntate Dei, certos sibi homines vel angelos in instrumenta patrandarum virtutum eligentis.

Sed nunc ulterius considerandum est quod praeter virtutem

instrumentalem proprie dictam, attendere oportet in physicis ipsam permanentem instrumentalem formam, per quam res fit habilis ad instrumentales operationes; nam securis instrumentalem quidem virtutem non habet nisi quando actu movetur ab artifice, sed recepit formam instrumenti quando securis effecta est. Unde S. Thomas, 3, q. 72, a. 3 ad 2um: « Instrumentum vir« tutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit « formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad « effectum ». Porro id quod in instrumentis artium videre est, proportionaliter quoque attendi potest in iis rationalibus instrumentis quae sibi eligit Deus ad opera naturam superantia. Nam licet sacerdoti actu non insit instrumentalis virtus causativa transubstantiationis, nisi in ipsa actuali confectione sacramenti, permanenter tamen retinet formam instrumenti, scilicet characterem per quem destinatur ad exercendas ex officio sacramentales actiones sub Deo agente principali. Verum, quia omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur, instrumentalis forma in eo non est ut in re inanimata, sed ut in instrumento quod ratione pollet et libero arbitrio: quo fit ut ad actiones ad quas per characterem deputatur, pro sua voluntate sese determinet, potens effectus eas quando vult exercere. Unde tandem dicitur habere *per modum habitus* potentiam ad convertendum panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, quia habituum proprium est ut eis utamur cum volumus. Eadem igitur ratione statuimus in praesenti, animam Christi habuisse *per modum habitus* potentiam ad omnes immutationes miraculosas ordinabiles ad incarnationis finem. Non quod virtus instrumentalis causativa miraculorum sit verus habitus, sed quia humanitas a Verbo assumpta permanenter constituta est in esse instrumenti, et quidem voluntarii ac liberi, respectu quorumlibet miraculorum quae ad instaurationem omnium in coelis et in terra facere possunt. Permanenter, inquam, constituta est in esse instrumenti, non tamen per quamdam qualitatem accidentalem superadditam, qualis est character, sed per ipsam unionis gratiam; nam ad nihil aliud assumpta est nisi ut reparationis nostrae esset instrumentum, et ideo per ipsissimam exsistentiam in Verbo rationem organi coniuncti consequitur.

Quare, paucis recapitulando praemissa, proponitur demonstranda sequens proportio: Sicut sacerdos habet *per modum habitus* potentiam ad miraculosam conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ita Christi anima ut Filio Dei hypostatice coniuncta, habet *per modum habitus* potentiam, eamque plane inconditionatam, ad omnia miracula quae possunt incarnationis fini deservire (1). Et haec demonstratio, primo quidem generaliter perficitur quoad potentiam Christi respectu naturae exterioris; tum secundo specialiter, respectu omnis dispositionis sui proprii corporis.

§ I.

In primis habuit anima Christi potentiam ad facienda miracula ut verum Verbi instrumentum. Nam Christus homo, ut homo, potestative, et non solum orando, miracula patrabat. Sed potestative miraculum facere, nihil aliud est quam agere ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi effectionem. Ergo, etc. Minor est evidens per se. Maior vero constat ex multis evangelii locis, puta Ioan. XI-43. Nam imperium istud, *Lazare, veni foras,* ex humana etiam natura processisse manifestum est, quia praemiserat Christus orationem, et nonnisi consequenter ad exauditionem Patris, cui ut assolet, appropriat ea quae divinitatis sunt, imperavit morti. Sed imperium praesentatum naturae consequenter ad exauditionem huiusmodi, profecto nihil aliud esse potuit quam imperium hominis ut organi divinitatis. Et simile argumentum trahi potest ex Matth. IX-6: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Indubium enim est quod Filius hominis, etiam qua talis, habuit

(1) Dico plane inconditionatam, ad differentiam potentiae sacerdotis quae non tantum ad unum miraculum alligatur, verum etiam ad unum determinatum modum operandi illud, mediantibus verbis sacramentalibus ex opere operato. At potentia animae Christi nulli determinato medio erat alligata, sed quibusvis modis pro arbitrio in actum suum exire poterat: vel tactu, vel voce, vel simplici etiam voluntate.

potestatem peccata dimittendi, quandoquidem et nobis illam commisit. Ergo etiam qua homo operatus est miraculum, huius suae potestatis confirmativum; non autem qua homo, ut causa principalis; ergo ut divinitatis instrumentum. Et eadem est ratio de omnibus aliis miraculis Christi. Recte tamen Sancti Patres operationem miraculorum naturae divinae attribuere solent, eo quod, ut notat S. Thomas art. 3 huius quaestionis, « virtus actionis « non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti ».

Sed et potentiam habuit anima Christi ad *omnia* miracula ordinabilia ad incarnationis finem, quia ut bene animadvertit Caietanus, instrumentum ductivum debet esse ad finem, et in ratione instrumenti esse illi commensuratum. Unde ex hoc ipso quod finis incarnationis est omnium instauratio, et anima Christi proprium Verbi incarnati instrumentum effecta est, statim habetur quod instrumentaliter potest ad omnia quae in huiusmodi finem ordinantur. « Ad quod etiam dicta antiquorum doctorum « concordant, qui humanam naturam in Christo organum quod« dam divinitatis posuerunt: sicut et ponitur corpus, organum « animae. Aliter enim est animae organum corpus, et aliter ex« teriora instrumenta. Haec enim dolabra non est proprium in« strumentum sicut haec manus; per dolabram enim multi pos« sunt operari, sed haec manus ad propriam operationem huius « animae deputatur; propter quod manus est organum unitum « et proprium, dolabra autem instrumentum extrinsecum et com« mune. Sic igitur et in unione Dei et hominis considerari po« test. Omnes enim homines comparantur ad Deum ut quaedam « instrumenta quibus operatur. Deus enim est qui operatur in « nobis et velle et perficere pro bona voluntate, secundum apo« stolum ad Philipp. II. Sed alii homines comparantur ad Deum « quasi instrumenta extrinseca et separata; moventur enim a « Deo, non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad opera« tiones communes omni rationali creaturae... Sed humana na« tura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea « quae sunt operationes proprias solius Dei, sicut est mundare « peccata, illuminare mentes per gratiam, et introducere in per« fectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura

« Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et coniunctum, « ut manus ad animam » (1).

Fuit denique in anima Christi potentia miraculorum per modum habitus, quatenus poterat ea uti prout volebat. Huc facit illud Matth. VIII, 2-3: *Domine, si vis, potes me mundare.* Nam, ut notat Suarez, licet fuerit a leproso dictum, tamen quod ex recta fide fuerit profectum, ipse Dominus ostendit dicens: *Volo, mundare.* Et constat humanam hanc fuisse voluntatem, eo vel magis quod Christus, dum inter nos versaretur, voluntatem divinam, Patris voluntatem dicere solebat, non suam, ut patet ex his et similibus locis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu,* et iterum: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris.* Similiter Ioan. XI, cum ante suscitationem Lazari orationem praemisisset, dixit se id facere propter eos qui aderant, non quod ipse indigeret: *Pater,* inquit, *gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.* Quo nihil significantius dici potest. Si enim asserit se semper audiri ad operationem miraculorum, huiusque rei conscium se esse, plane consequitur ipsum prout volebat potuisse miracula efficere. Denique hanc habitualem potestatem probant multitudo, continuitas, excellentia, varietas signorum quae patravit Dominus circa omne creaturarum genus. « Apparuerunt, inquit Chrysostomus, Hom. 12 in Ioan., angeli « in terra cum gloria multa; sed ut servi et Domino obsequentes « omnia faciebant; ipse vero ut Dominus et Imperator, etsi sub « vili forma et habitu apparuerit. Attamen sic quoque creatura « Dominum suum agnovit. Nam daemones undique fugiebant, ipsa « mors repulsa interim, postea penitus abolita est; omne genus « infirmitatis solutum est; monumenta mortuos emittebant, morbi « infirmos deserebant. Haec itaque omnia miracula colligens evan- « gelista, quae in corporibus, quae in animis, quae in elementis... « hanc mirabilem emisit vocem: *Vidimus gloriam eius, gloriam « quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis* ».

(1) S. Thom. l. 4 c. Gent. 41.

Quapropter Christus ut homo, in miraculorum operatione, dupliciter a caeteris sanctis thaumaturgis distare dicendus est. Primo in hoc quod operatio instrumentalis et operatio principalis erat ab eodem supposito in duplici natura, divina et humana, operante. Et ideo, ut postea dicetur, operatio miraculorum in Christo vocatur *operatio theandrica,* quod in aliis non fuit. Secundo distat, quia nullus alius sanctus virtutem miraculorum per modum habitus habuit. Non enim alii quandocumque volebant, miracula facere poterant, sicut Gregorius, in 2 Dial. ubi supra, « probat per exemplum Pauli qui stimulum a se removeri pe- « tiit, nec impetravit; et per exemplum Benedicti qui detentus « fuit contra suam voluntatem per pluviam sororis precibus im- « petratam ». Quare, virtus ad cooperandum Deo in miraculis, intelligitur in sanctis similis « gratiae prophetiae quae datur ad « supernaturaliter cognoscendum, per quam propheta non potest « quandocumque vult prophetare, sed solum cum spiritus pro- « phetiae cor eius tangit, ut Gregorius probat in 1 Hom. super « Ezechielem » (1).

Ad illud autem quod de Christo legitur, Marc. IV-5: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem earum,* nota quod causa finalis miraculorum Christi fuit fides in animis excitanda. Erat enim spiritualis salvator afferens salutem non temporalem, sed aeternam, cui suscipiendae idonei esse non poterant nisi credentes. Et huius rei, Num. XXI, in serpente aeneo illustris praecessit figura: qui aspiciebant, sanabantur. Quo posito, dico Christum non potuisse in civitate sua Nazareth virtutem ullam facere defectu solius congruentiae in opere; videbat enim finem miraculorum apud cives suos non esse obtinendum. Nec obiicias ipsum fecisse miracula apud alios aeque indispositos, sicut in Corozain, Bethsaida, et Capharnaum. Nam in hoc ipso secundum charitatis ordinem plus dilexit concives quam caeteros, nolens ut in patriam caderet terribile illud anathema: *Vae tibi Corozain...; verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum*

(1) S. Thom. *de Pot.* q. 6, a. 4, in corp.

remissius erit in die iudicii. Hinc Hieronymus in c. 13 Matth. dicit: « Non quod illis incredulis facere non potuerit virtutes « multas, sed quod, ne multas faciens virtutes, cives incredulos « condemnaret ».

§ 2.

Nunc autem, quidquid pertinet ad potentiam instrumentalem animae Christi supra suum corpus, non est nisi specialis applicatio doctrinae praecedentis. Et non habet maiorem difficultatem, sed potius maiorem evidentiam; si enim Christo subdebatur mundus exterior, quanto magis propria caro.

Praeterea, ad finem incarnationis omnino requirebatur ut Christus qua homo haberet potestatem in suam vitam corporalem, iuxta illud Ioan. X, 17-18: *Ego pono animam* (i. e. vitam) *meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Et ratio est quia alias non potuisset Christus in cruce se offerre in verum ac proprium sacrificium. Nam etsi in sacrificiis cruentis iugulatio materialis ad quemlibet de populo pertinere posset, semper tamen requirebatur visibile ministerium sacerdotis consummantis victimae destructionem, et ordinantis illam ad cultum Dei. Est enim sacerdos, proprius minister sacrificii. Unde in V. T., occisio quidem victimae quandoque fiebat etiam a laicis, sed necessario aderat sacerdos sanguinem de visceribus animalis exceptum fundens super altare, et hoc modo sacrificalem formam oblationi imponens ([1]). Similiter, non oportuit ut Christus hostia simul et sacerdos semetipsum occideret, causam mortis sibi inducendo; nam materialis mactatio ad carnifices pertinebat. Requirebatur tamen visibilis eius actio consummans seu ordinans destructionem in honorem Dei, eamque constituens in esse oblationis sacrae. Haec porro esse non potuit simplex et mera permissio qua in se admisit impias furentium Iudaeorum manus, eo

([1]) Cfr. 2 Paralip. XXX-16.

quod permittere se occidendum, victimae est oblatae, non sacerdotis offerentis. Fuit igitur actus humanae voluntatis sensibiliter manifestatus quo clamans voce magna, *potestative deposuit animam suam,* id est, admisit mortem, quam etsi naturaliter ex illatis cruciatibus consequentem, potens tamen erat suo arcere imperio. « Fuit mors Christi, ait S. Thomas, Comp. theol. c. 230, nostrae « morti conformis, quantum ad id quod est de ratione mortis, « quod est animam a corpore separari: sed quantum ad aliquid « mors Christi a nostra morte differens fuit. Nos enim morimur « quasi morti subiecti, ex necessitate vel naturali vel alicuius « violentiae nobis illatae. Christus autem mortuus est, non ne- « cessitate, sed potestate et propria voluntate. Unde dicebat, « Ioan. X: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum « sumendi eam.* Huius autem differentiae ratio est, quia naturalia « voluntati nostrae non subiacent... Quidquid autem in Christo « secundum humanam naturam erat naturale, totum eius volun- « tati subiacebat propter divinitatis virtutem, cui subiacet tota « natura. Erat igitur in potestate Christi, ut quamdiu vellet, anima « eius corpori unita remaneret, et statim cum vellet separaretur « ab ipso. Huiusmodi autem virtutis indicium Centurio cruci « Christi assistens sensit, dum eum vidit clamantem expirare, per « quod manifeste ostendebatur quod non sicut caeteri homines « ex defectu naturae moriebatur. Non enim possunt homines cum « clamore spiritum emittere, cum in illo mortis articulo vix etiam « possint palpitando linguam movere... Non tamen dicendum est « quod Christus ipse se occiderit. Ille enim dicitur aliquem occi- « dere, qui ei causam mortis inducit; non tamen mors sequitur, « nisi causa mortis naturam vincat, quae vitam conservat. Erat « autem in potestate Christi ut natura causae corrumpenti ce- « deret vel resisteret, quantum ipse vellet; ideo et ipse Christus « voluntarie mortuus est, et tamen Iudaei occiderunt eum ». Itaque voluntaria vitae depositio fuit actio proprie sacerdotalis, per quam sua sacrificio crucis forma fuit indita. Sicut enim Aaronicus sacerdos sanguinem victimae effluentem fundebat super altare Dei, ita sacerdos Christus vitam quam a se nemo per violentiam abstulit, reposuit in manibus Patris, et sic per pro-

prium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

Si tamen anima Christi consideretur secundum propriam naturam ac virtutem, constat quod non poterat proprium corpus a naturali dispositione immutare, sicut etiam non poterat *hoc modo* removere corpora exteriora a regulari cursu legum naturalium. Unde Damascenus ad propriam divinitatis virtutem, et ad instrumentalem animae potentiam quam hucusque exposuimus respiciebat, cum dixit: « In Domino, quae naturalia erant, « voluntatem minime praevertebant. Neque enim coactum quid « in eo conspicitur, sed omnia voluntaria. Volens enim fame, vo- « lens morte, volens siti affectus est » ([1]).

Nota. Ex dictis apparet non posse ullatenus attribui animae Christi *omnipotentiam* respectu miraculorum, tum quia omnipotentia (simpliciter) dicit potentiam supremam ac principalem, tum quia extenditur ad omnia, et non restringitur ad ea solum quae sub incarnationis fine comprehenduntur.

Nunc autem nihil prohibet dicere quod Christus habuit omnipotentiam secundum quid, quatenus potuit et potest efficere omnia quae sunt in sua voluntate, eo modo quo in ea sunt. Imo ratio affirmandi est evidens, quia nemo in scientia et prudentia perfectus, aliquid absolute vult quod suae potestati non subiacet; sed anima Christi nullum habuit in scientia et prudentia defectum. Considerandum tamen quod Christus potuit velle aliquid, non absolute sed limitate, seu potius voluntate non beneplaciti, sed signi, sicut cum Marc. VII dicitur quod ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. Sensus enim est quod voluit adhibere omnia media naturalia hic et nunc occurrentia ad hoc ut maneret incognitus, idque pro eruditione nostra, quin tamen ferretur intentio eius in ipsam obtentionem finis.

Hactenus de perfectionibus a Filio Dei in humana natura coassumptis.

([1]) De fide orthod. l. 3, c. 20.

QUAEST. XIV-XV.

DE DEFECTIBUS COASSUMPTIS A FILIO DEI.

Postquam dictum est de iis quae pertinent ad perfectionem naturae humanae in Christo, dicendum tandem est de defectibus coassumptis a Verbo in hac vita mortali. Et *primo* de defectibus tam corporis quam animae absolute consideratis. *Secundo* de iisdem prout poterant componi cum statu comprehensoris in quo fuit Christus quantum ad animam, a primo instanti suae conceptionis.

THESIS XXIII.

(Quaest. 14. — Quaest. 15. Art. 1-7).

Christus convenienter assumpsit pro statu viae defectus qui consequuntur ex peccato communi totius naturae, et non repugnant plenitudini scientiae et gratiae : illos scilicet omnes et solos, qui ad passibilitatem tam corporis quam animae pertinebant.

Haec positio, primo quidem generaliter adstruit quinam defectus debeant Christo viatori attribui, quinam vero debeant removeri. Tum deinde explicat in speciali rationem ac modum earum quas de facto a nobis assumpsit, infirmitatum.

§ 1.

Triplex est defectuum humanorum categoria. Quidam sunt qui ex particularibus causis in singulis hominibus innascuntur, sicut caecitas, lepra, morbus caducus, etc. Et isti absolute removentur a Christo, sive proveniant ex propria culpa hominis (puta ex inordinato victu), sive causentur ex deficientia virtutis formativae in genitoribus. De illis enim solis sermo est qui communes sunt toti naturae. Verum secundo, in iis ipsis communibus

defectibus quidam inveniuntur repugnantes perfectioni scientiae et gratiae, sicut ignorantia, difficultas ad bonum, pronitas ad malum sive fomes peccati. Neque hos Christus assumpsit. Unde tertio, remanent ii qui ad passibilitatem et mortalitatem pertinent, sicut esuries, sitis, lassitudo in labore, dolor, tristitia, atque ita porro. Hos defectus vocat Damascenus, de fide orth. l. 3, c. 20), *naturales et indetrectabiles passiones.* Naturales quidem, quia sponte fluunt ex principiis naturae humanae, et nonnisi praeternaturaliter in statu innocentiae impediebantur. Indetrectabiles vero, quia cum plenitudine gratiae et scientiae sunt componibiles, et morali perfectioni nihil derogant. Hos etiam dicitur Christus *assumpsisse,* non *contraxisse,* quia illud contrahitur, quod simul cum sua causa trahitur ; causa autem communium defectuum in natura humana fuit de facto peccatum ; unde cum peccati maculam Christus ex sua origine non habuerit, nulli fuerunt in eo defectus contracti, sed magis assumpti. Porro, etsi fuerint assumpti etiam quoad naturalem necessitatem eis subiacendi, adhuc recte dixit Damascenus ubi supra, naturales infirmitates nostras voluntatem in Domino minime praevertisse : tum quia per potestatem miraculorum poterat semper illas impedire, tum quia nunquam eis repugnabat voluntas ut ratio, licet repugnaret voluntas ut natura prout infra dicetur, Quaest. 18.

Nunc igitur, ad demonstrationem positionis quod attinet, quaestio esse potest, vel de facto, vel de convenientia facti.

Factum continetur his et similibus testimoniis : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati* (1), id est, in carne simili carni peccatorum, passibili scilicet et mortali. Item : *Debuit per omnia fratribus similari* (2), utique quantum ad nostrae naturae infirmitatem, prout totius declarat contextus apostoli. Est autem sermo, ut constat, de solis defectibus communibus qui in omnibus hominibus reperiuntur, a quibus tamen necessario excipi debet quidquid facit ad minorationem scientiae et sanctitatis, iuxta illud evangelii : *Habitavit in nobis plenum gra-*

(1) Rom. VIII-3.
(2) Heb. II-17.

tiae et veritatis. Non ergo in defectibus assumptis includitur ignorantia, non fomes peccati, non inclinatio ad malum; quia etsi fomes in sanctis non sit *damnationis*, ut loquitur apostolus ad Rom. VIII-1, facit tamen ut in eis aliquid inveniatur adhuc repugnans legi Dei, et nondum subiectum formae sanctificanti. Si autem interior ad malum inclinatio obstat quominus sint in gratia perfecti etiam ii qui gratiam *participant*, quanto magis fuit incompossibilis cum absoluta plenitudine illius qui ab initio unctus est Sanctus Sanctorum. Hinc Damascenus, loco superius citato: « Christum porro naturales minimeque reprehendendas « hominis passiones assumpsisse confitemur. Nam suscepit to- « tum hominem et quaecumque hominis sunt, excepto peccato. « Naturales porro et inculpatae passiones hae sunt, quae in vio- « lati praecepti poenam humanae vitae irrepserunt: velut fames, « sitis, defatigatio, labor, lacrymae, interitus, mortis fuga, metus « et agonia ex qua sudores et sanguinis guttae, auxilium ob na- « turae infirmitatem ab angelis allatum, aliaque id generis, quae « quidem natura universo hominum generi conveniunt. Omnia « igitur assumpsit, ut omnibus sanctitatem conciliaret. Tentatus « est, vicitque, ut victoriam nobis pararet... Caeterum malus ille, « extrinsecus, non suggestis cogitationibus, Christum adortus est, « quemadmodum et Adamum, etc. ». Consonant et Gregorius M., Hom. 11 in evang., dicens: « Qui in utero Virginis incarnatus « in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in se- « metipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed « eius mentem peccati delectatio non momordit ».

Nunc autem convenientia praedictorum multis rationibus apparet. In primis, supra enumerati defectus debuerunt esse in Christo, ut pro peccato satisfaceret. Deinde ut patientiae nobis exhiberet imitandum exemplar. Tertio ut fidem incarnationis confirmaret, et phantasticae carnis removeret suspicionem. Denique ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, iuxta apostoli doctrinam, Hebr. II. Dico, ut misericors fieret, ea utique misericordia quae ab experimentali miseriae cognitione procedens, consistit in vero *compassionis* affectu. Nam haec est misericordia veluti propinqua ac vicina nobis, qua nos indigemus, utpote ita

a natura comparati, ut medias inter tribulationes ad eos potissimum confugiamus, quos eorumdem malorum participatio miseris succurrere docuit.

At non decebant Christum illae poenae peccati quae repugnant perfectioni sanctitatis ; imo nec iuvissent ad satisfactionem pro peccato. « Provenit enim peccatum hominis ex hoc quod a « Deo avertitur, conversus ad commutabilia bona. Punitur au- « tem homo pro peccato in utrisque. Nam et privatur gratia et « caeteris donis quibus Deo coniungitur, et meretur etiam pati « molestiam et defectum in eo propter quod est a Deo aversus. « Ille igitur ordo satisfactionis requirit ut per poenas quas pec- « cator in bonis commutabilibus patitur, revocetur ad Deum. « Huic autem revocationi contrariae sunt illae poenae quibus « homo separatur a Deo. Nullus igitur per hoc Deo satisfacit, « quod privatur gratia, vel quod ignorat Deum, vel quod habet « inordinatam animam, quamvis hoc sit poena peccati ; sed per « hoc satisfacit, quod in seipso aliquem dolorem sentit, et in ex- « terioribus rebus damnum. Non igitur Christus illos defectus « assumere debuit, quibus homo separatur a Deo, licet sint poena « peccati, sicut privatio gratiae, ignorantia, et huiusmodi. Per « hoc enim minus idoneus ad satisfaciendum redderetur. Quin « imo, ad hoc quod esset auctor humanae salutis, requirebatur « ut plenitudinem sapientiae et gratiae possideret, sicut iam « ostensum est » ([1]). Conveniens ergo fuit, imo necessarium, ut defectus huic plenitudini oppositos in se non sumeret. Sed nec etiam conveniebant defectus corporales ex particularibus corruptionibus in singulis personis contingentes. Nam isti defectus per se non fluunt ex humanae naturae principiis, imo consequuntur causas quae in Christo esse non potuerunt, cum ipse nihil unquam inordinatum in regimine suae vitae exercuerit, et nulli vitio formatio eius in utero virgineo potuerit esse obnoxia. Accedit quod iidem defectus ad derogationem dignitatis in aliquo pertinere videntur. Denique assumptio eorumdem ad satis-

([1]) S. Thom., Comp. theol. c. 226.

factionem non fuit necessaria, cum abunde ad eam sufficeret communis naturae infirmitas.

Sed iam ad penitiorem considerationem susceptae a Christo passibilitatis deveniendum est, prout enuntiatum habes in altera huius positionis parte.

§ 2.

Primum omnium scito quod duplex est passibilitas, pro quanto passio stricto vel largo sensu sumitur.

Passio propriissime accepta, est motus alterationis, quo scilicet removetur patiens a convenienti dispositione, et transmutatur in deterius, incipiens corrumpi. Et hoc modo passio non est nisi in corruptibilibus, ac per consequens, in solis corporeis. Sed quia in corporeis sensitivis alteratio dupliciter contingit, duplex etiam *passio proprie dicta* distinguitur: *corporalis* nimirum, et *animalis*. Et passionem *corporalem* dico eam quae fit secundum laesionem membrorum vel organorum irritationem, sicut cum Christus esuriit, fatigatus est ex itinere, flagellis caesus est, et cruci affixus. Passio vero *animalis* ea est qua alteratur homo absque laesione organorum secundum affectiones appetitus sensitivi, sicut cum Christus in horto coepit pavere et taedere et contristari usque ad mortem. De hac animali passione scribit Caietanus in 1-2, q. 22, a. 1: « Absolute loquendo, omnis « passio animae est cum aliqua disconvenienti mutatione (cor- « porea), quia cordis motus intenditur aut remittitur a suo na- « turali motu, *et ex hoc illae operationes animae quas vocamus « eius passiones, habent rationem et nomen passionis.* Verum quia « inter disconvenientes mutationes datur latitudo, et minus di- « sconveniens respectu magis disconvenientis habet rationem « melioris, ideo passiones illae quae ad deterius declinant « magis proprie passiones dicuntur. Declinant autem in de- « terius mutationes illae, cum sunt materia passionum consisten- « tium in fuga seu retractione, ut timor et tristitia, quam illae « quae sunt materia passionum consistentium in extensione seu « prosecutione, ut amor et laetitia, quia vita humana consistit in « vitali extensione cordis ad totum corpus. Et propterea in lit-

« tera dicitur, quod tristitia habet magis rationem passionis quam « laetitia. Ista enim disconvenientiam solam intensionis motus « habet; illa ultra disconvenientiam remissionis motus, habet « motum contrarium vitali expansioni cordis ad corporis par- « tes » (1). Et haec est ratio quare, cum de passibilitate Christi sermo est, passionibus corporalibus annumerari solent solae interiores passiones timoris, taedii, moestitiae, etc., etsi alias habuerit Christus quae sunt respectu boni appetibilis, in quibus etiam vere salvabatur passionis ratio (2).

(1) Quod amor, gaudium, laetitia, prout in appetitu sensitivo, adhuc vere habeant rationem passionis, facile ostendit S. Thomas *de Verit.* q. 26, a. 8, ex hoc quod per has affectiones cor dilatatur vel accenditur, vel qualitercumque disponitur aliter quam sit eius communis dispositio : « Unde ex huiusmodi affectionibus aliquem mori contingit ».

(2) Ex propria ratione oppositarum passionum de quibus nunc sermo, explicabis agoniam Christi in horto. Cum enim instaret tempus quo pro nostra omniumque salute pati decreverat Iesus Dominus noster, applicavit animae suae potentias circa huius suae passionis causas, rationes, acerbitatem, ordinemque universum. Hinc ergo naturaliter oriri debuerunt in appetitu sensitivo tristitia et timor proportionata magnitudini mali apprehensi. Hinc quoque transmutatio corporalis quae ad vitam pellendam suffecisset, nisi fuisset subsecuta contraria impressio. Nam in timore sequitur ex parte corporis contractio caloris et spirituum ad interiora, inquit Angelicus 1-2, Q. 44, a. 1. Et fuit tam intensa, ut iure meritoque diceret : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sed ecce apparet consolator angelus, cuius aspectus provocat in phantasia terribilibus undique obiectis preoccupata, contrarias audaciae, aliasque id genus passiones. Debuit ergo accidere nova transmutatio corporalis opposita priori. Et prior quidem trahebat ad mortem, posterior revocabat ad vitam. Inde agonia quam Lucas expresse commemorat ut consequentem angeli adventum. Quippe nova haec humorum ac spirituum impulsio fieri non potuit sine conatu et lucta vehementi (quod est de ratione agoniae), velut si quis toto impetu antrorsum currens retrahatur versus punctum e diametro oppositum. Et si licet parva componere magnis, hanc luctam, hunc conatum nos etiam experimur, cum in timore terribilis somnii prius constituti subito excitamur, et a sensu timoris ad regularem statum revocamur. Agoniam ergo Christi censerem fuisse vim illatam sanguini seu humoribus, qui prius per vehementem tristitiam contracti, rursus ad extremitates missi sunt, in tantum ut sanguis etiam pelleretur extra, et foras erumperet. Cf. Calmet, dissert, de sudore sanguineo D. N. I. C.

Et haec quidem praemissa velim *de passione proprie dicta.* Nunc autem, quia ut dicitur de Verit. Quaest. 26, a. 1, passio proprie dicta est cum quadam abiectione dispositionis convenientis, prout patiens ab ea dispositione transmutatur in contrarium, ideo *ampliatur nomen passionis* secundum usum loquentium, ut pati dicatur illud quod qualitercumque impeditur ab eo quod sibi competit, sicut si dicamus hominem pati cum prohibetur suam facere voluntatem, vel cum accidit ei aliquid quod naturali tendentiae voluntatis repugnat. Et in hoc sensu passio nihil aliud est quam afflictio in appetitu intellectivo consequens apprehensionem coniunctionis cum malo. Hoc sensu patiuntur tam angeli quam animae separatae in inferno. Hoc etiam sensu patiebatur Christus secundum superiorem animae partem, cum in cruce clamans dicebat: *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?*

His igitur praenotatis, manifestum est quod de passibilitate Christi prout secundum laesionem organorum seu membrorum corporis attenditur, nihil speciale dicendum occurrit. Item, quod attinet ad passibilitatem improprie dictam, prout anima eius fuit spirituali afflictioni et tristitiae obnoxia, gravis equidem habetur difficultas, sed quae tota versatur circa coexsistentiam huiusmodi doloris cum gaudio beatifico, et ideo relinquitur exponenda ac dissolvenda in propositione sequenti. Restat itaque dubium circa passibilitatem quae attenditur secundum operationes appetitus sensitivi, eo quod fuerunt philosophi qui passiones has ab animo sapientis, tamquam morali perfectioni repugnantes, eliminandas esse censuerunt.

Videri ergo posset, passiones appetitus sensitivi non fuisse Christo convenientes, nam primo passiones impediunt iudicium rationis et diminuunt voluntarium.

Praeterea, vel versantur circa appetibile, ut amor et gaudium, vel circa refugibile, ut timor et ira. Sed sapientis est non commoveri ex prosperis, sicut nec deprimi ex adversis, quia unum est bonum verum, nimirum bonum virtutis, quod inter prospera et adversa semper idem est in sapiente.

Adhuc, passiones tristitiae, timoris, aliaeque eiusmodi, con-

trariantur fortitudini et retrahunt rationem a prosecutione boni virtutis. Si ergo removetur a Christo concupiscentia ex hoc quod est inclinatio ad malum, pari ratione debuit removeri ab eo timor ac moestitia, iuxta illud Is. XLII-4 : *Non erit tristis neque turbulentus.*

Denique, in anima bene ordinata omnes motus debent esse sub dominio rationis seu voluntatis, et quidem voluntatis consideratae secundum propriam virtutem vel naturae vel gratiae, et non solum secundum potentiam instrumentalem quam forte habet ad patranda miracula. Sed motus passionum appetitus sensitivi non poterant hoc modo esse sub dependentia voluntatis in Christo ; dictum est enim supra, quod passibilitas fuit ab eo assumpta, etiam quoad naturalem necessitatem ei subiacendi. Oportet igitur in Christo agnoscere solas passiones corporales, nullo modo autem animales.

Sed contra est, quod dicit Augustinus, l. 14 de Civ. Dei, c. 9, n. 3 : « Etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam « dignatus humanam, adhibuit eas (passiones) ubi adhibendas « esse iudicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus « et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum « ergo eius in evangelio ista referuntur, quod super duritiam « cordis Iudaeorum cum ira contristatus sit (Marc. III-5) ; quod « Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit (Io. XI-35) ; quod « concupiverit cum discipulis suis manducare pascha (Luc. XXII-« 15) ; quod propinquante passione, tristis fuerit anima eius « (Matth. XXVI-38) : non falso ista referuntur. Verum ille hos « motus, certae dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit « animo humano, ut cum voluit factus est homo ». Consonat et Ambrosius, l. 10 in Lucam, c. 22 : « *Tristis est,* inquit, « *anima mea.* Et alibi : *Nunc anima mea turbata est valde.* Non « ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima obnoxia pas-« sionibus, divinitas libera... Suscepit enim animam meam, su-« scepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud « videretur ».

Respondeo itaque dicendum quod in passionibus animae est aliquid quasi materiale, scilicet transmutatio alterans corpus, et

aliquid quasi formale, id est, operatio appetitus sensitivi ([1]). Porro ipsa operatio appetitus sensitivi non est unquam defectuosa nisi *per accidens,* quatenus scilicet vel fertur in illicita, vel praevenit iudicium rationis, vel denique excedit iustum modum, impediens rationem a faciendo ea quae sibi conveniunt. Et deordinatio quidem eiusmodi vere repugnat consummatae plenitudini moralis perfectionis; sed sicut non est de essentiali ratione passionum animae, ita nec fuit aliquatenus in Christo. Illud igitur quod *per se* ad defectum pertinet in passionibus nostris non est nisi materiale, hoc est, alteratio corruptiva compositi ex qua operatio ipsa nomen passionis sortitur. Hic tamen defectus non pertinet ad ordinem moralem, ut constat, sed ad ordinem physicum, et consequitur conditionem mortalitatis in qua nobiscum Christus communicavit. Non ergo perfectioni ei debitae quidquam derogatur, sed imo imperfectio potius in eo fuisset, si absque his passionibus conversatus esset inter nos. Recte enim Augustinus, l. 14, de Civ. Dei, c. 9, n. 4: « Dum vitae huius infirmitatem « gerimus, si eas omnino nullas habeamus, tunc potius non re- « cte vivimus. Vituperabat enim et detestabatur apostolus quos- « dam, quos etiam esse dixit sine affectione (Rom. I-31). Culpa- « vit etiam illos sacer Psalmus, de quibus ait: *Sustinui qui si-* « *mul contristaretur, et non fuit.* Nam omnino non dolere, dum « sumus in hoc loco miseriae, profecto, sicut quidam etiam apud « saeculi huius litteratos sensit et dixit, non sine magna mer- « cede contingit, *immanitatis* in animo, *stuporis* in corpore... Porro, « si απάθεια illa dicenda est, cum animum contingere omnino « non potest ullus affectus, quis hunc stuporem non omnibus « vitiis iudicet esse peiorem? ».

Ad 1um ergo dicendum quod passiones impediunt iudicium rationis et diminuunt voluntarium, cum rationem praeveniunt, eamque pertrahunt. Sed secundum quod consequuntur ad volun-

([1]) « Attendendum in omnibus animae passionibus, quod *transmu-* « *tatio corporalis quae est in eis materialis,* est conformis et proportio- « nata *motui appetitus qui est formalis,* sicut in omnibus materia propor- « tionatur formae ». S. Thom. 1-2, Quaest. 37, a. 4, in corp.

tatem, sic magis addunt ad bonitatem actus duplici ratione « Primo per modum signi, quia passio ipsa consequens in infe- « riori appetitu est signum quod sit motus voluntatis intensus; « non enim potest esse in natura passibili, quod voluntas ad ali- « quid fortiter moveatur, quin sequatur aliqua passio in parte « inferiori.... Secundo per modum adiutorii, quia quando voluntas « iudicio rationis aliquid eligit, promptius et facilius id agit si « cum hoc passio in inferiori parte excitetur, eo quod appetitiva « inferior est propinqua ad corporis motum. Et hoc est quod Phi- « losophus dicit in 3 Ethic., inducens versum Homeri: *Virtutem « et furorem erige,* quia videlicet cum aliquis est virtuosus vir- « tute fortitudinis, passio irae electionem virtutis sequens facit « ad maiorem promptitudinem actus. Si autem praecederet, vir- « tutis modum perturbaret » (1).

Ad 2um dicendum quod virtus, etsi sit magnum bonum hominis, non tamen est unicum bonum circa quod versari debet affectus: tum quia non est ultimus finis humanae vitae, tum quia multa bona sunt infra virtutem, quae ordinate secundum rationis dictamen appetuntur. Accedit quod non sibi soli virtutem appetit sapiens, sed et aliis, et ideo pro deficientia aliorum a virtute, necnon et pro malis quae inde incurrunt, recte dolet et contristatur.

Ad 3um dicendum, tristitiam et timorem non contrariari virtuti nisi sint praeter et contra rationem, quod contingit dupliciter. Vel quia habent pro obiecto mala non vera, sed apparentia tantum, vel quia iustam mensuram excedunt, in tantum ut voluntatem deliberate operantem aut retrahant aut retardent ab officio suo. Sed neutrum fuit in Christo, nam timor et tristitia eius respiciebant mortem crucis, necnon et peccata hominum cum omnibus consectariis eorum, quae omnia iudicio rectae rationis sunt mala verissima. Insuper, non retardabant voluntatem ab exsequendo beneplacito Patris, et ideo negatur paritas cum concupiscentia, quia concupiscentia nominat motum appetitus sensitivi praecise in quantum praevenit rationem et exorbitat a regula eius.

(1) *De Verit.*, q. 26, art. 7 in corp.

Ad 4um denique concedendum quod passiones debuerunt esse sub *proprio* dominio animae Christi quoad operationem appetitus sensitivi. Siquidem appetitus ille *natus est* regi per rationem tamquam *per motorem proprium et connaturalem,* et ideo, absoluta perfectio moralis perfectum requirit dominium super operationem ipsam. Nunc autem, de alteratione corporali adiuncta non currit eadem ratio. Non enim oportet ut in sensu composito operationis, sit sub propria virtute voluntatis: quia lege physica cum operatione connectitur, et nonnisi miraculose, pro praesenti statu unionis animae cum corpore, nata est impediri. Defectus igitur ex hac parte incidens ordinem moralem nequaquam ingreditur, ut per se constat, et paulo supra sufficienter fuit declaratum. Unde huic etiam difficultati videtur fieri satis.

Adhuc tamen contra omnes praecedentes solutiones instantia fieri forsitan posset ex hoc quod fuerunt viri fortes, imo et feminae qui mortem etiam crudelissimam absque timore obierunt, aut certe absque ostensione timoris. Et quod magis est, non defuerunt qui cum maxima spiritus exsultatione martyrium fecerunt, quemadmodum de S. Agatha legitur, quae glorianter ibat ad carcerem quasi ad epulas invitata, et de S. Andrea, cuius notus est iubilus in conspectu crucis, et de S. Ignatio qui bestias sibi paratas cogitans, vix prae laetitia sui compos erat. Quae quidem ad laudem fortitudinis eorum quam maxime facere videntur. Quomodo ergo in Christo qui timorem non solum habuit, sed et palam demonstravit, (nam *coepit pavere et taedere; et dixit illis: tristis est anima mea usque ad mortem,* et reliqua): quomodo, inquam, non erit ex hoc capite perfectionis diminutio?

Sed ad hoc dicendum est primo, Christum multo magis quam caeteros esse potuisse absque tristitia et pavore, ratione pleni et absoluti dominii in appetitum inferiorem: voluntarie tamen assumpsisse eiusmodi affectus propter fines supra declaratos, § 1. In quo quidem, nedum minoratae, imo potius excellentissimae fortitudinis laus continetur: et tanto magis eminens, quod absentia timoris in quibusdam martyribus causam habebat speciale donum Dei, qui in hoc ipso infirmitati eorum indulgebat, ut coram mundi potestatibus illustrius testimonium darent veritati.

Si autem sermo sit de ostensione timoris, nota bene quod tam ostensio quam dissimulatio secundum virtutem esse potest, vel contra virtutem. Secundum virtutem, si fiat quando oportet, ubi oportet, propter quod oportet, et eo modo quo oportet. Contra virtutem vero, si quando non oportet, ubi non oportet, propter quod non oportet: ut si quis ostenderet ex pusillanimitate, vel e contra, stoico more dissimularet ad iactantiam et ad captandam gloriam hominum. Porro, assumptum timorem Christus ostendere debuit: tum ut exemplo suo doceret nos qualiter summa etiam fastidia nostra voluntati Patris postponere debemus: tum ut in via desolationis ductor nobis praeiret, ac per hoc, miseris et afflictis levamen afferret: tum denique ut convinceret nos, se non apparentiam tantum malorum nostrorum suscepisse: non me fefellit, ait Ambrosius, ut aliud esset, et aliud videretur. Sed et hunc suum angorem ostendit *quando* et *ubi* oportuit: in horto scilicet, cum intimis familiaribus adhuc conversans, antequam traderetur. O quanta in hoc stupendo evangelii verbo documenta: *coepit pavere et taedere!*

Sed iam de compossibilitate passibilitatis tam corporis quam animae cum gaudio visionis beatificae gravior occurrit difficultas. Ad cuius elucidationem sequens statuitur propositio.

THESIS XXIV.

(Quaest. 15. Art. 10).

Speciali miraculo tribuendum non est quod in Christo, simul cum fruitione beata, fuerint dolores tam exteriores quam interiores, iidemque tam in parte sensitiva quam in parte superiori. Sed horum coexistentia connaturaliter consequebatur ad statum quem habuit Christus in terris, secundum quod unicuique virium permittebatur id agere et pati quod sibi proprium erat, quin bonum vel nocumentum unius potentiae redundaret in aliam.

Christo apud nos degenti vere applicari potest illud Ierem. XIV-8: *Quasi colonus futurus es in terra, et sicut viator declinans*

ad manendum. In incarnatione enim duplex stupenda novitas attenditur. Prima est quod Deus in terris visus sit, et cum hominibus sit conversatus. Secunda est quod homo beatus conditionem et statum viatorum participaverit, atque hoc modo se habuerit ut colonus in terra non sua, vel sicut advena, loci legibus subiectus ad quem peregre profectus est. Et haec est novitas quam his verbis enuntiat Angelicus: « Christus ante passionem « secundum mentem plene videbat Deum, et sic habebat beati- « tudinem quantum ad id quod est proprium animae. Sed quan- « tum ad alia deerat ei beatitudo, quia (ut satisfaceret pro ho- « mine), et anima eius erat passibilis, et corpus passible et mor- « tale, ut ex supra dictis patet. Et ideo *simul erat comprehensor* « in quantum habebat beatitudinem propriam animae, et *simul* « *viator* inquantum tendebat in beatitudinem secundum id quod « ei de beatitudine deerat ».

Huiusmodi ergo arcanum in praesenti declarandum assumitur. Sed res est difficilis, et contra possibilitatem coexsistentiae utriusque status sat graves rationes occurrunt.

Videretur ergo, non fuisse compossibilem in Christo fruitionem deitatis intuitive visae cum doloribus corporis, et a fortiori, animae. Nam beatitudo ex sua essentiali ratione excludit omne malum, eo quod obiectum beatificans satiat animam, nihilque desiderandum relinquit. Sed quisquis fruitur visione divinae essentiae constituitur in statu beatitudinis, et quisquis adhuc est obnoxius doloribus, adhuc habet quod desideret.

Praeterea, contraria non sunt in eodem subiecto. Sed gaudium et tristitia sunt contraria, et propter hoc docet S. Thomas, infra Quaest. 84, a. 9 ad 2um, quod in appetitu sensitivo simul esse non possunt.

Sed si dicatur quod gaudium et tristitia in Christo non fuerunt contraria, (nec ratione obiecti, quia non de eodem, nec ratione motus, quia gaudium beatificum est sine omni motu), adhuc non quiescit animus. Cum enim virtus animae sit finita, si operatio est valde intensa in una parte, impeditur in altera; unde intensum gaudium necessario aufert omnem tristitiam, impediendo quominus anima occupari possit circa obiectum triste.

Sed nullum potest excogitari gaudium magis intensum, quam sit illud quod ex visione Dei exoritur. Ergo nulla tristitia cum gaudio huiusmodi unquam coexsistere potuit.

Sed si dicatur hoc fuisse ex miraculo, primo quidem de huius miraculi intrinseca possibilitate dubitari potest, deinde vero non satisfit. Sequeretur enim Christum in terris fuisse continuo in statu quodam innaturali, quod videtur magnum inconveniens et « quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi ».

Sed contra, firma est evangelii auctoritas quae ponit Christum a principio plenum sapientiae et veritatis, sicut decebat Unigenitum a Patre, et simul passibilem in anima et corpore donec resurgeret a mortuis.

Ad huius igitur rei elucidationem, primum omnium est considerandum quod nihil repugnat quominus anima gloriosa uniatur corpori passibili; non enim habet anima gloriam in quantum est corporis forma. Et ideo, cum dicitur gloria animae redundare in corpus, non debet hoc intelligi de physica redundantia; nam alias gratia etiam sanctificans quae est radix luminis gloriae et immediate inhaeret essentiae animae, immutaret modum essendi corporis, quod constat esse falsum. Intelligitur ergo de redundantia quae sit secundum convenientiam, quatenus per se loquendo, rectus ordo requirit ut corpus participet immobilem animae statum, exigitque ut consequenter ad beatitudinem animae in superiori parte rationis, elevetur etiam pars inferior secundum quam anima communicatur corpori ut forma materiae. Caeterum, unio animae gloriosae cum corpore mortali minime est praeter vel contra leges physicas, et pro tanto nunquam dici deberet proprie loquendo miraculosa. Conceditur tantum quod foret praeter ordinem debitae convenientiae, nisi convenientia esset accipienda ex specialibus et extraordinariis conditionibus, sicut revera contigit in Christo, in quo ne improprie quidem miraculosa dici debuit animae gloria in corpore passibili. Exigebatur enim ex ipsa ratione seu fine assumptionis humanae naturae a Verbo, ut saepe in superioribus dictum est. Nullo ergo vero sensu miraculo adscribendum quod in Christo,

simul cum gloria animae dolores fuerint exteriores, ad passionem corporalem pertinentes.

Ulterius nunc procedendo dico non esse magis miraculosum, si in anima gloriosa coniuncta corpori passibili, simul cum fruitione divinae essentiae, *coexsistat tristitia et dolor in appetitu sensitivo,* sed ad hoc sufficere, ut unaquaeque virium animae sibi permittatur. Non enim tristitia sensibilis et gaudium beatificum sibi invicem repugnant *ex parte obiecti,* quia non sunt de eodem. Quippe obiectum gaudii praedicti est bonum divinum possessum, obiectum vero passionis tristitiae supponitur esse nocumentum tam proprium quam alienum. Proprium quidem, puta mors, omnium naturalium terribilium terribilissimum. Alienum etiam, puta malum quod iis quos quis diligit imminere cognoscitur. Neque iterum sibi invicem repugnant gaudium visionis Dei et passio tristitiae *ex parte motus* seu transmutationis corporalis, eo scilicet pacto quo dictae passioni, quae est cum constrictione cordis, repugnat opposita passio laetitiae quae est cum cordis dilatatione. Nam fruitio beatifica est sine omni motu corporeo. Neque tandem physice incompossibilia dicenda sunt haec duo *ratione naturalis redundantiae* operationis unius potentiae in aliam, puta partis intellectivae in sensitivam, quia huiusmodi redundantia physice non habetur, nisi quantum ad illas operationes intellectus et voluntatis quas nos in praesenti statu exercemus, et in quibus vires sensitivae cum intellectivis semper communicant. Cum enim noster modus intelligendi sit per conversionem ad phantasmata, nihil intellectu apprehendimus quod simul suo modo non apprehendat imaginatio, ideoque pars intellectiva redundat in sensitivam, et vice versa. Verum in eo qui simul comprehensor esset et viator, conditiones forent ex toto diversae, et praeter omnem status nostri praesentis experientiam, eo quod, ut dictum est, visio et fruitio divinae essentiae penitus transcendit vires sensitivas, quae nullatenus in operatione beatifica cum mente communicant aut communicare possunt. Atque hinc tandem concludo quod redundantia gaudii beatifici in vires inferiores, eodem modo est intelligenda ac redundantia gloriae animae in corpus. Rectus quippe ordo per se postulat ut animae gloriosae impas-

sibile corpus uniatur, ita ut omnis passibilitas ab ipsa etiam anima auferatur, et pro tanto verum est quod, « secundum na- « turalem habitudinem quae est inter animam et corpus, ex gloria « animae redundat gloria ad corpus » (1). At si propter speciales conditiones rectus ordo aliud postulet, sicut coniunctio animae gloriosae cum passibili corpore nulla ratione esset miraculosa, ita etiam connaturaliter accideret ut anima illa pateretur passione tam corporea quam animali, simul in ea exsistentibus fruitione beata et doloribus tum exterioribus tum interioribus, saltem in parte animae inferiori. Unde Damascenus l. 3 de fide orth. c. 20 dicit quod in Christo, beneplacito divinae voluntatis *permittebatur* « naturam pati quae carni erant propria » : hoc ipso insinuans, non deberi hanc dispensationem cuidam miraculosae immutationi, sed magis simplici permissioni qua non impediebantur naturales consequentiae assumptae mortalitatis.

Restat itaque difficultas *quoad solos dolores in parte intellectiva.* Dolores autem huiusmodi, ut in propositione praecedenti dictum est, nihil aliud sunt quam afflictio in appetitu spirituali consequens apprehensionem coniunctionis cum aliquo malo. Quippe, dolor se habet ad odium sicut delectatio ad amorem, et ideo odium latius patet quam dolor, eadem ratione qua amor latius patet quam delectatio. Ad delectationem enim non sufficit ut sit et apprehendatur in obiecto ratio boni amabilis, sed insuper requiritur coniunctio boni et perceptio huius coniunctionis. Simili igitur modo, ad dolorem non sufficit ratio mali odibilis, sed requiritur coniunctio mali et dictae coniunctionis apprehensio (2). Quo posito, dico nullum dolorem potuisse contingere animam Christi in superiore sui parte consequenter ad scientiam qua intuitive contemplabatur divinitatem, et omnia creata in ea. Sic enim *introierat in potentias Domini, et memorabatur iustitiae eius solius.* Sic non apprehendebat ulla mala *in seipsis,* sed solum ut contenta in summis rationibus aeternae sapientiae, quo sub respectu materia tristitiae esse nequaquam possunt. Unde dicitur

(1) S. Thom. 3, q. 14, a. 1 ad 2um.
(2) Cf. S. Thom. 1-2, q. 35, a. 1.

in Comp. theol. c. 232, quod comprehensores qua tales, quidquid ex se tristitiam causare posset, puta aliorum defectus et perditionem, apprehendunt pure et simpliciter secundum quod decenter ordinatum exsistit, et quod aliquis peccare permittatur, et quod pro peccato puniatur. At vero per scientiam tam infusam quam acquisitam apprehendebat anima Christi mala propria et aliena, primo quidem *in seipsis,* deinde etiam *ut sibi aliquo modo coniuncta.* Coniuncta, inquam, vel in quantum sua propria mala erant, (puta mors crucis), vel in quantum mala erant hominum reposita super se tamquam super caprum emissarium et universalem hostiam pro peccato. Atque hinc, propter naturalem repugnantiam voluntatis ad coniunctionem cum malo, spiritualem tristitiam ac dolorem concipiebat. Quare iterum, fruitio divinitatis et dolor seu afflictio intellectivae partis animae Christi sese mutuo non excludebant. Non *ratione obiecti,* quia non erant de eodem secundum idem. Quin imo, tristitia se habebat ut materiale respectu gaudii beatifici, sicut « potest alicui displicere quod peccavit, et placere quod hoc ei « displicet, ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii » (1). Non *ratione intensitatis,* quia, ut mox dicetur in responsione ad 3um, nulla spiritualis operatio potest impedire aliam praecise quia intensa est, sicut intensus actus intellectus non impedit intensum actum voluntatis. Non denique *ratione redundantiae,* quia exsistente in intellectu cognitione beata simul cum apprehensione ingruentium malorum in seipsis, naturaliter in voluntate sequebantur affectus unicuique cognitioni respondentes ac proportionati.

Sic igitur patet quomodo in Christo omnia contigerunt connaturaliter ad statum quem habuit in terris, et quomodo non opus fuerit miraculo, sed solum ut unicuique virium permitteretur id agere et pati quod sibi proprium erat.

Ad 1um ergo dicendum quoad beatitudo de sui ratione excludens omne malum, est beatitudo consummata quae in Christo viatore non fuit, sed fuit in ipso beatitudo quoad principalem et substantialem partem tantum. Ad rationem vero additam, (scilicet satiari animam ex beatitudinis obiecto quod est divina es-

(1) S. Thom. 3. q. 84, a. 9 ad 2um.

sentia intuitive visa), dico hoc dupliciter intelligi posse. Si enim sensus sit quod nequit voluntas velle aut desiderare quidquid foret coniunctum cum amissione boni quo fruitur et in quo immobiliter figitur, sic assertio veritatem habet. Pone animam fruentem Deo, pone visionem coniunctam cum passionibus quas pertulit Christus in cruce, imo cum acerbioribus; finge impossibile fore ut anima illa e tantis malis unquam eripiatur nisi renuntiando visioni Dei, profecto nunquam renuntiabit nec poterit renuntiare; necessitatur enim. Sed si sensus sit, visionem intuitivam per se, necessario, et semper auferre possibilitatem quidlibet aliud desiderandi, sic assertionis falsitas patet exemplo animarum quae in coelo adhuc desiderant resurrectionem corporis, et subtus altare Dei, Apoc. VI, clamant: « Usquequo, Domine, « non vindicas sanguinem nostrum de his qui sunt in terra? » (1). Hinc in forma. Visio beata satiat animam, excludendo possibilitatem desiderandi omne id quod sui privationem induceret, *Conc.* Excludendo possibilitatem desiderandi quidlibet aliud, *Subdist.* Si sit coniuncta cum caeteris omnibus per quae beatitudo completur atque integratur, *Conc.* Alias, *Neg.*

Ad 2um dicendum quod « in ratione et in sensualitate et in « sensu erat tristitia et dolor..., in quantum secundum has po- « tentias dolebat Christus de poena corporis et aliis huiusmodi, « qui tamen dolor erat quodammodo materia gaudii fruitionis, « in quantum gaudium illud se extendebat ad omnia illa quae « apprehenduntur ut Deo placita. Et sic patet quod dolor qui « erat in anima Christi nullo modo gaudium fruitionis impedie-

(1) Distingue ergo beatitudinem quoad substantiam, et beatitudinem quoad accidentalia sine quibus nondum habetur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sane vero, beatitudo generatim consistit in perfectissima operatione circa altissimum obiectum quod Deus est. Nunc autem, quia in natura creata, praesertim humana, plures potentiae sunt, et plures etiam actus unius potentiae respectu diversorum obiectorum, ideo cum principali parte beatitudinis componi potest carentia eorum quae ad eius integritatem requiruntur. Solus enim Deus habet boni plenitudinem in supereminenti simplicitate, sed alii per quamdam compositionem consummatam suam perfectionem consequuntur.

« bat... Tristitia enim contrarium gaudium impedit sicut quod-
« libet contrarium impeditur a suo contrario; tristitia autem quae
« erat in anima Christi nullo modo gaudio fruitionis contraria
« erat, quod patet ex tribus. *Primo,* quia non inerat eidem se-
« cundum idem, sed vel in diversis potentiis erant, vel in eodem
« secundum diversam operationem. *Secundo,* quia non erant de
« eodem. *Tertio,* quia unum erat materiale alterius, sicut accidit
« in poenitente qui dolet, et de dolore gaudet » (1). Et non est simile de tristitia et gaudio *prout coexsistere fingerentur in appetitu sensitivo.* Sic enim se invicem necessario excludunt, quia sunt necessario contraria ex parte transmutationis corporalis, nam ut dictum est supra, gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia vero cum constrictione (2).

Ad 3um dicendum, quod vere quidem experimur quasdam operationes nostras sua intensitate impedire alias, puta intensam operationem intellectus et imaginationis impedire operationem vitae vegetativae, imo quandoque omnino suspendere exercitium virium exteriorum, sicut in extaticis videre est. Et hinc recte accipit S. Thomas documentum ad probandum unitatem animae in homine (3). Factum igitur est extra omnem controversiam, sed ratio facti non videtur bene assignata. — Nam *primo,* cum virtus etiam angeli sit finita, sequeretur angelum impediri a contemplatione per actiones quibus corporalem materiam administrat, hominem custodit, etc.; quod absit. Sequeretur beatos post resurrectionem tanto magis ab operationibus naturae humanae convenientibus abstrahendos, quanto intensius Deum videbunt; imo fore omnes instar extaticorum sine omni sensu et motu corporali. — *Praeterea,* si ideo una intensa operatio animae impedit aliam, quia animae virtus est finita, seu quia determinatam habet summam virium de qua si aliquid expenditur per unam potentiam, tanto minus manet expendendum per alteram, oporteret hoc verificari de omni operatione animae. Atqui non veri-

(1) S. Thom. in II, D. 15, q. 2, ad 5um.
(2) Cf. S. Thom. in 3a Part. Quaest. 84, a. 9, ad 2um.
(3) Prima Part. Quaest. 76, a. 3, in corp.

ficatur. Non enim ex hoc quod operatio intellectus est summae intensitatis, fit ut pro tanto remittatur operatio voluntatis. Sed potius, quo intensior est operatio prima, tanto intensior est vel esse potest et altera. — *Praeterea,* iste modus dicendi ponit quamdam generalem virtutem in anima, quae antecedit potentias et per unamquamque earum quodammodo effluit. Quod tamen nequaquam concedendum est, quia vires animae sunt formaliter ipsissimae potentiae quae ab invicem distinguuntur. — *Praeterea,* per operationem spiritualis potentiae vis activa non consumitur, quia dicta potentia semper est integra, et agit absque ulla deperditione vel corruptione sui. Et ideo, si qua sit impossibilitas ponendi simul plures actus intellectus, haec impossibilitas nunquam est praecise repetenda ex materiali multiplicitate operationum, sed magis ex irreductibilitate unius ad aliam: quatenus una eademque facultas non potest determinari ad movendum se simul motibus disparatis, sicut nec unus idemque homo ad ambulandum simul versus opposita. Unde si medium in quo res videntur per superiorem scientiam sit ratio medii in quo videntur per inferiorem, nusquam operatio unius scientiae impediet simultaneitatem actuum alterius, sicut contingit ex. gr. quando medium visionis est divina essentia, in qua omnis forma intelligibilis creata rationem sui habet, et ex qua velut exemplata derivatur (1).

Ex his omnibus concludo quod conceptus ille unius summae virium, (puta ut centum vel bis centum), quae expensa ex una parte, manet pro tanto diminuta ex altera, non potest applicari nisi viribus mechanicis vel etiam sensitivis quae subiectantur in organo corporeo, et ipso exercitio consumuntur, non quidem ratione sui, sed ratione *calorici* ad operationem animalem necessarii. Unde vides quo sensu operatio intensa intellectus impedit *apud nos,* imo quandoque suspendit operationes alias. Nunc enim nulla est intellectus operatio in qua suo modo non communicet phantasia, et ideo si calor vitalis impenditur ad functiones organicas imaginationis, intellectui deservientes, pro tanto dimi-

(1) Cf. S. Thom. *De Verit.* Quaest. 8, a. 14 in corp. et ad 11um.

nuitur ille qui necessarius est ad ciborum digestionem et alia huiusmodi.

Quapropter axioma, obiectum sic distinguendum existimo: Una operatio animalis, quando est intensa, impedit aliam, *Conc.* Operatio spiritualis, *Subdist.* Si sit coniuncta cum operatione animali ei deserviente, iterum *Conc.* Si omnino absoluta a quocumque ministerio imaginationis et sensuum, *Nego.* Ratio patet ex praemissis. Nunc autem, tam visio quam fruitio beata est essentialiter a sensibus independens, ut constat. Igitur nullo modo potuit ratione suae intensitatis excludere simultaneitatem quarumcumque operationum in corpore et anima Christi.

Ad 4um denique dicendum, non fuisse proprie loquendo miraculosam in Christo coexsistentiam fruitionis beatae et passionum tam animae quam corporis. Et ideo conceditur sequela, sed negatur suppositum.

Nota. — Animadversione dignum est quod omnes defectus a Filio Dei assumpti, ad corruptibilitatem corporis reducebantur. Constat quoad passiones proprie dictas, quae in solis corporeis inveniri possunt. Patet etiam quoad passiones animae in parte intellectiva, ad quas requiritur, praeter perceptionem mali in seipso, *conscientia coniunctionis cum malo.* Nam malum de quo doluit Christus, vel fuit proprium malum, id est mors crucis, vel fuit alienum malum, utputa peccata et miseriae hominum. Utrumque autem *non coniungebatur ei nisi ratione similitudinis carnis peccati,* ut recte asseratur fuisse comprehensor quantum ad animam, viator vero quantum ad corpus.

Sed quoad hanc coexsistentiam status viatoris et status comprehensoris, observanda veniunt duo. Primum est, quod viator dicitur ille qui adhuc est elongatus a termino, et tendit ad terminum; comprehensor, qui iam terminum est consecutus. Est igitur impossibile ut respectu eiusdem termini, hi duo status simul sint, sed respectu diversorum, nihil prohibet. Comprehensor itaque erat Christus, respectu *substantiae beatitudinis* quam habuit ab initio; viator respectu *consummationis beatitudinis* nondum adeptae, necnon et respectu humanae redemptionis adhuc perficiendae.

At non solum respectu diversorum, utriusque status assignatur distinctio, verum etiam secundum diversa, hoc est: secundum corpus viator, secundum animam comprehensor. In quo tamen recte intelligendo discretione opus est. Est enim sensus verus, et posset esse sensus falsus. Esset sensus falsus si quis intelligeret quod solum corpus, et non anima, subiectum exstitit seu privationum seu operationum quae in Christo viatore fuerunt. Nam certe passibilitas pertinebat ad viatorem, et tamen non in solo corpore tamquam in subiecto fuit. Similique modo, operationes, quibus Christus meruit et satisfecit, erant procul dubio operationes viatoris, cum ad meritum et satisfactionem status viae requiratur. Et tamen non fuerunt solius corporis operationes, sed etiam animae, et quidem multo principalius, ut per se constat. Verus itaque sensus est, quod omnes defectus omnesque conditiones ad statum viatoris pertinentes se tenebant *radicaliter* et *causaliter*, non ex parte animae, sed ex parte corporis, hoc est, carnis mortalis et passibilis in qua nobiscum communicavit, iuxta illud Heb. II-14: « Quia ergo pueri communicaverunt carni « et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem « destrueret eum qui habebat mortis imperium, i. e. diabolum, et « liberaret eos qui timore mortis obnoxii erant servituti ».

CAPUT TERTIUM.

(Quaest. XVI-XXVI).

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM.

« Deinde considerandum est de his quae consequuntur unio-
« nem. Et primo quantum ad ea quae conveniunt Christo secundum
« se (**Quaest. 16-19**). Secundo de his quae conveniunt Christo
« per comparationem ad Deum Patrem (**Quaest. 20-24**). Tertio
« de his quae conveniunt Christo per comparationem ad nos
« (**Quaest. 25-26**) ». Ita S. Thomas in prooemio quaestionis 16ae.

Hunc porro ordinem ut melius intelligas, finge quaestionem 16am et sequentes poni immediate post quaestionem 2am, ubi de modo unionis Verbi incarnati, nam revera omnes quaestiones intermediae quadammodo ponuntur in obliquo. Sunt enim de extremis unionis seorsim consideratis, hoc est, de persona assumente ac de natura assumpta cum iis quae eam ornant vel afficiunt. Nunc igitur S. Doctor quasi ad caput redit, et iterum ponit ante oculos modum unionis, inquirens de iis quae consequuntur ex hoc quod « secundum veritatem catholicae fidei, vera « natura divina unita est cum vera natura humana, non solum « in persona, sed etiam in supposito vel hypostasi » (1). Caeterum, non agitur de iis quae unionem consequuntur ordine exigentiae vel realis resultantiae, sed de iis quae *logice,* id est, per deductionem rationis erui possunt ex hac generali praemissa: Humanitas est unita Verbo secundum hypostasim. Hinc non oportet ut quae hic dicuntur *consequentia unionem,* inveniantur extra rationem intrinsecam et constitutivam ipsius unionis, sed sufficit ut sint quaedam determinationes per ratiocinium deducibiles ex unionis modo, prout generaliter et magis confuse in formula fidei continetur.

Primo itaque considerandum est de consequentibus *unionem* quantum ad ea quae competunt Christo *secundum se.* Et quia

(1) S. Thom., hic, q. 16, a. 1 in corp.

unum qua tale dicit ens, et addit negationem divisionis, ideo *consequentia unionem* respiciunt in Christo, vel rationem entis (**Quaest. 16**), vel rationem indivisionis quae est formalis ratio unitatis (**Quaest. 17-19**).

QUAEST. XVI.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM RATIONEM ENTIS.

Tota haec quaestio versatur circa veritatem et falsitatem propositionum quae de Christo formari possunt, attenta unione naturarum in una Verbi hypostasi, et inter alia plura continet doctrinam quae alias tradi solet sub nomine communicationis idiomatum.

THESIS XXV.

(Art. 1-5)

Ex hoc quod humanitas et divinitas unitae sunt in uno Verbi supposito, consequitur quod concreta utriusque naturae vere et proprie de se invicem praedicantur. Consequitur etiam quod idiomata sive proprietates naturae tam divinae quam humanae adiective significata, possunt indifferenter praedicari de quibuslibet nominibus supponentibus pro hypostasi, sive nomen de quo dicuntur det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen *Christus;* sive solum naturam divinam, sicut hoc nomen *Deus,* vel *Filius Dei;* sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo* vel *Iesus.* Non tamen ea quae sunt unius naturae possunt praedicari de alia, secundum quod in abstracto significantur.

Hic de terminis abstractis et concretis quaedam praemittere necesse est. Abstrahere, ex vi vocis idem est ac *trahere ab,* seu *separare,* adeoque aliquid dicitur *abstracte,* quando significatur

separatim ab eo cum quo, vel est coniunctum secundum se, vel certe coniungi solet in rebus quae sunt apud nos, et constituunt proprium ac proportionatum obiectum intellectus nostri. Quod si adhuc consideres duplicem esse coniunctionem, videlicet coniunctionem formalitatum quae est secundum rationem, et coniunctionem realium principiorum quae est secundum rem, videbis aliquid triplici potissimum modo *abstracte* dici. — Primo modo, quando significo aliquam rationem entis seorsum a determinationibus quas a parte rei habet, et cum quibus a parte rei identificatur. Sicut cum considerando Socratem, praedico de eo tum rationem transcendentalem entis, tum communem rationem substantiae, tum genericam rationem animalitatis, tum specificam rationem rationalitatis, tum demum rationem individualem socrateitatis. Et sic abstractio, non solum quoad separationem, sed etiam quoad distinctionem unius ab alio, se tenet ex parte mentis considerantis. — Secundo modo aliquid abstracte dicitur, quando significatur quoddam principium entis separatim a comprincipio vel subiecto a quo realiter quidem distinguitur, sed tamen nec separatur nec ita separari potest, ut separatim persistat in realitate sua. Sicut cum praedico de Socrate scientiam, abstracte dicitur scientia, sed non eodem modo ac prius, quia inter Socratem et eius scientiam realis prorsus, et non tantum rationis distinctio est. Quare abstractio sese hic tenet ex parte mentis quoad solum modum significandi seorsum a subiecto, id quod seorsum ab eo nec est nec esse potest. Et ideo in hac categoria abstractorum inveniuntur omnes termini significantes accidentia praecisive a substantia, vel etiam quaelibet principia realia praecisive a comprincipiis cum quibus componunt concretum ens. — Tandem est et tertius modus quo aliquid abstracte dicitur, quando scilicet significatur forma secundum quod in rei etiam veritate exsistit separata ab omni potentia subiectiva, sicut cum Deum dico sapientiam, vitam, bonitatem. Et tunc abstractio non se tenet amplius ullo modo ex parte mentis, sed omnino ex parte obiecti, pro quanto perfectio quae *alias* est realiter recepta in quodam principio potentiali, *nunc* vere invenitur abso-

luta ab omni receptivo, et ut talis significatur, videlicet ut pura et in se subsistens perfectio.

In praesenti autem, cum de concretis et abstractis agitur, non attenditur nisi secundus ex tribus modis quibus aliquid abstracte dici potest. Quatenus nempe pro *concretis* habenda sunt illa omnia et sola nomina quae significant naturas ut in hypostasi habente ipsas, vel proprietates ut in subiecto cui insunt. Pro *abstractis* vero, ea quae significant naturas seorsum ab hypostasi, vel proprietates seorsum a subiecto, sive ille significandi modus fundetur in reali compositione obiecti secundum se, ut in iis quae spectant creaturas, sive fundetur solum in conditione illarum rerum ad quarum similitudinem mens nostra apprehendit et significat divina (1). — Quibus praemissis:

§ 1.

Nomen significans naturam in concreto, supponere potest pro qualibet hypostasi huius naturae, sicut hoc nomen *homo* pro hypostasi Petri vel Socratis, etc., et hoc nomen *Deus* pro hypostasi Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti. Sed consequenter ad unionem, una eademque Verbi hypostasis est simul hypostasis tum divinae, tum humanae naturae. Ergo pro ea supponere potest tam terminus *Deus,* quam terminus *homo,* et ideo, sicut vere ac proprie dicitur quod *Deus est homo,* ita vicissim quod *homo est Deus.* Hinc in Concilio Ephesino, can. 5, legitur: « Si « quis audet dicere hominem Christum theophorum, id est, Deum « ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, ana- « thema sit ».

Insuper, de quocumque nomine supponente pro aliqua hypostasi praedicari potest quidquid proprium est naturae, cuius est hypostasis. Sed in Christo una est hypostasis duarum naturarum. Ergo de quocumque nomine supponente pro hypostasi eius, indifferenter praedicatur quaelibet proprietas vel divinae vel humanae naturae. Hinc Damascenus l. 3 de fide orth. c. 4

(1) Cf. S. Thom., Prima Part. Quaest. 13, a. 1 ad 2um.

dicit: « Cum de persona sermo est, sive ab utraque parte simul, « sive ab altera tantum eam appellemus, utriusque naturae pro- « prietates (idiomata) ipsi imponimus. Etenim Christus, quae vox « utrumque complectitur, et Deus et homo dicitur, *et creatus et « increatus, et passibilis et impassibilis.* Cum iam ab una parte « Filius Dei et Deus nuncupatur, coniunctae ac consubsistentis « naturae, hoc est carnis, proprietates recipit, ut et *Deus passi- « bilis* nominetur, et *Dominus gloriae crucifixus* dicatur: non qua « Deus est, sed qua idem ipse simul est homo. Eodemque modo, « cum homo et filius hominis appellatur, divinae essentiae pro- « prietates et ornamenta suscipit. *Puer* enim *omni aevo antiquior* « dicitur, et *homo initii expers:* non id quidem, qua ratione puer « et homo est, sed qua Deus saeculis anterior cum esset, ad « extremum factus est puer. Atque hic est iam alternae commu- « nicationis modus, dum unaquaeque natura ea quae sibi pro- « pria sunt alteri communicat, propterea quod eadem est hypo- « stasis. Qua ratione de Christo dicere nobis licet: *Hic Deus « noster in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et: « *Hic homo increatus est, et impassibilis, et incircumscriptus* ». Cf. etiam canonem 4um Concilii Ephesini, ubi sub anathemate prohibetur ne quis in personis duabus seu subsistentiis eas voces dividat quae de Christo vel dicuntur a sanctis, vel in apostolicis et evangelicis scriptis continentur.

§ 2.

Hucusque de concretis nominibus sermo fuit; nunc autem, quod de abstractis non sit similis ratio evidentissime patet. Abstracta enim significant naturas vel proprietates praecisive ab hypostasi. In mysterio autem incarnationis non est eadem natura divina et humana, sed solum eadem est hypostasis utriusque naturae, et ideo falsa est ista: *humanitas est divinitas,* tametsi vera sit ista: *homo est Deus,* et sic de aliis. Unde Damascenus, ubi supra: « Divinitatem nominantes, ea quae humanitati pro- « pria sunt ipsi minime assignamus, nec rursus carni sive hu- « manitati ea tribuimus quae deitati proprie conveniunt ».

Porro, hic apprime notandum est quod inter abstracta computari debent omnia nomina designantia naturae humanae partes, ut *corpus, sanguis, anima.* Unde non potest dici quod Deus est anima, etc., et nequidem dici potuit in triduo, quando anima Christi erat separata a corpore, et caro a sanguine. Et re quidem vera, illa sola nomina substantiva ad humanam vel divinam naturam pertinentia de se invicem praedicantur, quae ex modo significandi habent, ut possint supponere pro subsistente in natura, hoc est, pro habente naturam et ea quae naturae insunt, sicut nomen *homo* pro habente humanitatem, et nomen *Deus* pro habente divinitatem. Nam quia in Christo idem est habens utramque, vere dicitur Deum esse hominem, et viceversa. Sed hoc nomen *anima* supponere non potest pro habente animam, neque hoc nomen *corpus* (in quantum accipitur ut pars humanitatis) pro habente corpus; nam ambo significant cum praecisione caeterorum aliquod humanitatis constitutivum, eo modo quo omne nomen partis praecisive significat aliquid quod ad totius constitutionem concurrit. Hinc S. Thomas, infra, q. 50, a. 3 ad 3um: « Verbum Dei propter unionem humanae naturae non « dicitur humana natura, sed dicitur homo, quod est habens na- « turam humanam. Anima autem et corpus sunt partes essen- « tiales humanae naturae. Unde propter unionem Verbi ad utrum- « que eorum, non sequitur quod Verbum Dei sit anima vel corpus, « sed quod sit habens animam vel corpus ».

Praeterea est observandum quod idiomata seu proprietates naturarum significantur in abstracto per nomina substantiva, in concreto autem per adiectiva. Et si quidem consideraretur sola praedicatio idiomatum naturae divinae de supposito Filii Dei, non referret utrum in abstracto per nomina substantiva, an in concreto per adiectiva enuntiarentur. Sicut enim dicere possum quod persona Filii Dei est aeterna, immensa, etc., ita dicere possum quod est sua aeternitas, immensitas, sapientia, bonitas. Sed quia agitur de praedicatione idiomatum tam divinae quam humanae naturae prout indifferenter fieri potest de supposito Christi, consulto apposita est restrictio excludens praedicationem

proprietatum in abstracto, per nomina substantiva, ut ea sola admittatur quae fit in concreto per adiectiva [1].

Tertio notandum quod si contingat nomina abstracte dici secundum ultimum ex tribus supradictis abstractionis modis, non comprehenduntur in hac regula, sed in ordine ad praedicationem concretis aequivalent. Puta, cum loco dicendi: Ille qui est subsistens vita, subsistens sapientia, etc., dicitur: Vita, Sapientia, et ita porro. Hinc sine praeiudicio praesentis doctrinae legimus in quodam sermone de passione Domini: « Ecce pro impio *pietas* « flagellatur, pro stulto *sapientia* illuditur, pro mendace *veritas* « necatur, damnatur *iustitia* pro iniquo, *misericordia* afficitur pro « crudeli, pro misero repletur *sinceritas* aceto, moritur *vita* pro « mortuo ». Et eodem modo dicit Ecclesia in officio S. Crucis: « Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua *Vita* fuit ».

Denique operae pretium erit animadvertere quod cum idiomatum communicatio tota fundetur in unitate suppositi cuius

[1] Nota quod eadem ratio currit de substantivis significantibus naturas, ac de substantivis significantibus proprietates naturarum. Hinc recte damnata est propositio 4ª Ioannis Huss: *Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus*. Nam etsi recte dicatur quod Christus (h. e. persona divina pro qua Christi nomen supponit), est divinitas, non tamen dici potest quod sit humanitas: imo, inter personam divinam et humanitatem tantum distat quantum inter creatum et increatum. Sed quibusdam illusionem facit vulgatum axioma de supposito, non recte intellectum. Ubi enim dicitur quod quaecumque insunt, praedicantur de supposito, intelligendum est: de supposito tamquam *habente* quae insunt, non de supposito tamquam *identico* cum omnibus quae insunt. Sicut non possum dicere quod Titius *est* anima, corpus, intellectus, voluntas, sed quod *est habens* animam, corpus, intellectum, etc. Simili itaque modo recte praedico naturam humanam et omnia ad eam pertinentia, de supposito Christi seu de Verbo, tamquam de eo *qui habet humanitatem*, non tamquam de eo *qui sit humanitas*. Et quia nomina naturarum concreta naturas significant ut in habente ipsas, recte dico quod Verbum est homo. Quia vero abstracta naturas significant seorsum in seipsis, non recte dico quod Christus est humanitas. Et si bene dicitur quod sit divinitas: id quidem, non in vi principii, quod quaecumque insunt, praedicantur de supposito, sed ex alio capite, se tenente ex parte subiectae materiae, quia propter divinam simplicitatem, quidquid habet Deus in sua natura divina, hoc est.

sunt duae naturae, non incipit currere nisi a signo rationis consequente unionem in facto esse. Unde ex hoc quod *assumi* convenit naturae humanae, non sequitur posse dici assumptum Christum vel Filium Dei, et cum hac cautela facile vitabis difficultates quae in huiusmodi possent occurrere.

THESIS XXVI.

(Art. 6-7).

Loquendo de iis quae conveniunt Christo secundum fieri, haec est vera: Deus factus est homo. Falsa autem ista: homo factus est Deus.

Quoad primum, propositionis veritas patet ex hoc quod Deus vere est homo, idque non ab aeterno, sed ex tempore. Quisquis autem incipit de novo esse aliquid, vere dicitur fieri id quod incipit esse. Caeterum huiusmodi *fieri* non praedicatur de Deo absolute, quasi Deus esset factus; sed relative, hoc est ratione unionis quae est relatio quaedam, realis quidem ex parte naturae assumptae, rationis vero tantum ex parte divinae personae, ut dictum est supra. Et ideo per hoc *fieri* non magis mutatur Deus, quam mutaretur homo qui de novo fieret dexter per solum motum eius qui fieret ei sinister, ut bene observat S. Thomas in praesenti.

Quoad secundum, propositionis falsitas facile etiam apparet. Cum enim dico: Homo factus est Deus, terminus *homo* supponit pro hypostasi Christi quae semper fuit Deus. Quare, ut veritatem habeat, necesse est ut exponatur hoc modo: *Is qui factus est homo, est Deus:* vel: *Homo factus, est Deus;* vel: *Factum est ut homo sit Deus.* Porro ex hoc quod sit Deus factus homo, et non e converso homo factus Deus, redarguit Iudaeos ipse Christus in illo celebri, et prima quidem fronte sat difficili loco Ioan. X, 33-36, quem expositum habes infra, ubi *de attestata divinitate Christi*, § 1, n. 3.

SCHOLION.

(Art. 8-12).

1. Dubitatur de sequenti propositione: *Christus est creatura* Ad cuius dubii solutionem, nota quod terminus *creatura* quodammodo de transcendentibus est, et ideo tam concrete quam abstracte sumi potest, valens supponere etiam pro hypostasi habente naturam creatam. Quapropter in rigore loquendo, de Christo vel Filio Dei dici posset quod est creatura, eodem sensu quo dicitur et est homo, filius hominis, passus, mortuus, et sepultus. Et hoc etiam confirmatur auctoritate Leonis Magni, Serm. 2 de Pentec. c. 2, ubi Creatorem mundi factum esse creaturam non diffitetur dicens: « Si homo ad imaginem et similitudinem « Dei factus, in suae honore naturae mansisset, Creator mundi « creatura non fieret ». Nihilominus, attento errore infidelium et incredulorum cum quibus ne nomina quidem debemus habere communia, nunquam *absolute* dicendum est Christum esse creaturam. Sed oportet, aut abstinere ab huiusmodi locutione, aut expresse addere determinationem sensus orthodoxi, puta *secundum naturam humanam.*

2. A praefata propositione differt haec alia: *Hic homo* (de monstrato Christo) *incepit esse,* quae ut sonat, non tantum est ambigua, sed etiam falsa simpliciter. Exponitur enim hoc modo: *hic homo quandoque non fuit,* et quia negatio est malignantis naturae, removet aeternitatem a supposito Christi. Nec dicas quod possunt tribui Filio Dei proprietates naturae humanae, inter quas invenitur et novitas essendi. Nam regula est intelligenda de proprietatibus positivis per quas affirmatur aliquid de subiecto, non vero de negativis per quas aliquid negatur de eo. Et huius differentiae ratio est, quia ad veritatem affirmationis non oportet ut praedicatum conveniat subiecto secundum totum id quod est, sed sufficit ut conveniat ei secundum aliquid eius. At contra, ad veritatem negationis oportet ut nullo modo praedicatum dici possit de subiecto. Non ergo verum est quod hic homo seu hoc suppositum naturae humanae aliquando non fue-

rit, et ideo, cum propositio *hic homo incepit esse,* formaliter includat negativam illam, est simpliciter falsa et nullo modo concedenda. Si tamen addatur *secundum naturam humanam,* tunc evadit vera, quia negatio non est amplius absoluta, sed restringitur ad id quod in determinatione ponitur.

3. In propositionibus reduplicativis oportet esse valde cautum. Et primo quidem evidenter falsae sunt omnes propositiones in quibus attribuuntur Christo idiomata naturae humanae secundum quod Deus est, utputa si dicatur: *Christus in quantum Deus, est natus de Virgine, est passus, mortuus, et sepultus.* Ratio quia quocumque modo hoc nomen *Deus* resumatur in reduplicatione, sive ratione suppositi sive ratione naturae, semper est falsum quod esse natum de Virgine, etc., conveniat Christo secundum quod est persona divina ut sic, vel habens naturam divinam. Sed eadem ratio non currit quoad illas propositiones in quibus attribuuntur Christo idiomata naturae divinae secundum quod homo est, quia forte diceret quis, terminum *homo* resumi posse, non solum ratione naturae, sed etiam ratione suppositi; suppositum autem naturae humanae in Christo esse suppositum aeternum, cui per se convenit esse Deum, et habere omnia quae divinitatis sunt. Nihilominus, quia terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito, ut explicatur art. 10 in corp. et ad 2um, non est concedendum quod *Christus in quantum homo, est Deus.* Sed bene dici potest quod *est Deus in quantum hic homo,* quia ratione pronominis individualis *hic,* reduplicatio afficit suppositum. Si tamen praedicatum sit eiusmodi ut nonnisi hypostasi qua tali convenire possit, simpliciter conceditur reduplicatio sine adiecta determinatione, ut si dicas quod *Christus in quantum homo* (specificative) *est Filius Dei naturalis.* Cum enim filiatio sit proprietas immediate personam afficiens, non potest esse dubium quin nomen *homo* in reduplicatione positum resumatur ratione suppositi, non autem ratione naturae.

4. Tandem de propositione, *Christus in quantum homo est hypostasis vel persona,* dicendum quod si reduplicetur terminus *homo* ratione suppositi, vera est. Si ratione naturae, iterum vera est, si det intelligere quod oportet naturam humanam esse in

aliqua persona, sed falsa est si intelligatur de eo quod « natu-
« rae humanae in Christo propria personalitas debeatur causata
« ex principiis humanae naturae..., quia natura humana non est
« per se seorsum subsistens a natura divina, quod requirit ratio
« personae ».

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM RATIONEM UNITATIS.

Unum sequitur ens, et addit negationem divisionis, ut dictum est supra. Ideo, postquam consideratum est de convenientibus Christo secundum esse et fieri, inquiri debet de convenientibus ei *quantum ad formalem rationem unitatis sive indivisionis.* In quo iterum assumit S. Thomas ut principium, quod vera natura divina unita est cum vera natura humana in supposito seu hypostasi Verbi, et ex hoc principio determinat quid in Christo pluraliter, quidve singulariter debeat dici, ostendens qua ratione ea etiam quae in numerum ponunt consequenter ad dualitatem naturarum, in perfecta nihilominus unitate ordinis constent consequenter ad unitatem suppositi. Ac per hoc exponit quis sit proprius ac specialis modus *indivisionis* in composito theandrico, pro quanto ex fide unionis hypostaticae ratiocinando deducitur. Sciendum tamen est quod non considerantur hic omnia et singula quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem, sed tantum principalia circa quae orta est aliquando controversia. Sunt autem haec tria: esse, velle, et operari. **Esse**, cuius unitas (**Quaest. 17**) contra auctores primae et tertiae opinionis defenditur. **Velle**, quod (**Quaest. 18**) contra monothelitas dicitur duplex simpliciter, et unum secundum quid tantum, id est, quoad remotionem omnis contrarietatis. Denique **operari**, cuius dualitas (**Quaest. 19**) contra eosdem affirmatur, salvo in omnibus ordine debito, quo « agit utraque forma cum alterius communione quod « proprium est », ut Leo Papa dicit in epistola ad Flavianum.

QUAEST. XVII.

DE UNITATE IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

Quaestio ista duos tantum habet articulos, quorum primus, ut cuique legenti patebit, est contra primam; secundus vero, contra tertiam ex tribus opinionibus de quibus in Quaest. 2 dictum est.

Prima quippe opinio ponens in Christo duo supposita, dicebat suppositum creatum non esse personam eo quod nobiliori supposito unitur, et per hanc ipsam unionem amittit esse completum quod illi auctores exsistimabant esse de ratione personae, non autem de ratione suppositi. Hinc concludebant Christum esse simul unum et duo: unam scilicet personam, et duas hypostases. Porro ad significandam unitatem personae utebantur nomine *unius* in masculino, quia masculinum genus ex modo significandi importat aliquid perfectum atque ultimo formatum; et ideo confitebantur quod Christus est *unus,* ut in symbolo Athanasiano habetur. Sed ad significandum dualitatem suppositorum utebantur genere neutro, quia genus neutrum ex modo significandi potest importare aliquid etiam informe et nondum ultimo perfectum; unde dicebant Christum esse *duo,* neutraliter scilicet, id est, aliud et aliud. Et hoc modo putabant vitare haeresim Nestorii quae ponebat Christum esse *duo* pariter et *duos.*

At vero tertia opinio duo supposita in Christo non agnoscebat, ac per consequens confitebatur Christum esse unum tam masculine quam neutraliter. Quippe homo vestitus cui comparabat Verbum incarnatum, nullo pacto dici potest duo propter vestem qua induitur. Cum tamen in homine vestito aliud sit esse secundum quod est persona et homo, aliud vero secundum quod est vestitus, ideo opinio ista docens humanitatem non trahi ad subsistentiam Verbi, sed advenire Filio Dei accidentaliter, cogebatur ponere in Christo duo esse, non quidem substantialia, sicut illa prior, sed unum substantiale secundum quod ab aeterno Filius Dei est, et aliud accidentale secundum quod in tempore natura indutus est humana.

Contra utramque opinionem ponit S. Thomas in praesenti duas assertiones quas unica thesi comprehendimus, ut sequitur.

THESIS XXVII.

(Art. 1-2).

Ex hoc quod secundum fidem catholicam una est Dei et hominis hypostasis, consequitur Christum esse simpliciter unum, et nullo modo duo, sicut auctores primae opinionis posuerunt. Rursus contra auctores etiam tertiae opinionis consequitur, non aliud in eo haberi esse exsistentiae secundum quod ab aeterno est Deus Verbum, et aliud secundum quod in tempore factus est homo.

§ 1.

Christum esse simpliciter unum et nullo modo duo, facile probat S. Doctor in primo articulo.

Etenim ad esse duo non sufficit ut in aliquo ente plura sint ponentia in numerum, sed requiritur ut ipsummet sit haec plura quae in numerum ponunt. Et re quidem vera, homo non est duo propter animam et materiam quae a se invicem realissime distinguuntur. Cuius ratio est, quia homo neque est anima neque corpus, sed est habens animam et corpus eo pacto quo totum habet partes, in eisque subsistit; non ergo de uno exsistente secundum unam et alteram partem vere dici potest quod sit duo. Simili itaque modo, proportione servata, de Christo ratiocinandum est. Ea enim quae in Christo ponunt in numerum sunt solae naturae, et quaecumque naturas consequuntur ut proprietates. Si igitur Christus esset sua humanitas sicut est sua divinitas, Christus vere esset duo. Nunc autem non vere praedicatur de Christo quod sit sua humanitas sicut est sua divinitas; sed tantum praedicatur de ipso quod sit Deus et homo, id est, suppositum unam et alteram naturam habens. Atqui Deus et homo non ponunt in numerum, cum utrumque nomen supponat pro eadem hypostasi quae tam in deitate quam in huma-

nitate subsistit. Minime ergo concedendum est, Christum esse duo: nec masculine, ut dicebant Nestoriani, duas personas affirmantes; nec neutraliter, ut asserebat prima opinio, irrationabiliter ponens unam personam in duobus suppositis.

Afferuntur in contrarium nonnulla loca Augustini, de quibus tamen non oportet esse nimis sollicitum, quia Augustinus antiquior est exorta haeresi Nestoriana. Porro generalis regula est quod Patres ante exortam haeresim *securius loquebantur*, quatenus nullo adhuc adversario fidem perturbante, dictiones quaedam ad rigorem dialecticae non satis exactae, eo sensu catholico consueverant intelligi quo proponebantur. Ubicumque ergo apud Augustinum legitur *homo assumptus,* locutio est exponenda: quatenus concretum sumitur pro abstracto, seu *homo* pro *humanitate,* sicut in Serm. 67, n. 7: « Suscepit animam, suscepit cor« pus, suscepit plenum hominem »: id est, naturam hominis integram atque perfectam.

Nota etiam in responsione ad 1um, quod vox *utrumque* de Deo-homine dicta, non ponitur quasi pro duobus *suppositis,* sed recte accipi potest pro duobus *nominibus* significantibus duas naturas in concreto. Nam si sciscitanti cuipiam an Christus sit Deus vel homo, responderem quod est utrumque, profecto non intenderem Christum esse duo, sed solum esse id quod duobus nominibus importatur. Quippe nomina ista, etsi supponant pro una eademque hypostasi, illa tamem significant ut in alia et alia natura subsistentem. Et cum his et similibus cautelis facile erit respondere ad rationes quae in articulo primo contra Christi unitatem obiiciuntur.

§ 2.

In secundo articulo directe respicit S. Thomas errorem eorum qui assimilabant incarnationem simplici cuidam assumptioni indumenti. Huius erroris logicas deducit consequentias, easque simul cum suo fundamento reiicit. Utitur autem duobus principiis. Primum est, quod repugnat multiplicari in una eademque hypostasi esse personale, id est, esse constitutivum suppositi seu

incommunicabilem exsistentiam (1). Impossibile enim est ut unius rei sit plus quam unum esse. Alterum principium est, quod si aliqua forma non sit personae praecise in quantum persona est, utpote non ingrediens naturam substantialem in qua haec persona subsistit, tunc affert esse accidentale quod ab esse personali distinguitur. « Et huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari « in una hypostasi vel persona; aliud enim est esse quo Sortes « est albus, et quo Sortes est musicus ». Itaque, si coniunctio Verbi cum humanitate foret quaedam forma accidentalis, velut habitudo induti ad indumentum, necesse esset differre esse Verbi in quantum est homo (seu verius humanatum), ab esse eius in quantum est Deus Verbum. Nunc autem, quia Filius Dei humanitatem ipsam vere sibi univit in persona, eam assumendo ad suam personalem subsistentiam, oportet ut unum idemque sit esse Verbi secundum quod ab aeterno Deus est, et secundum quod in tempore factus est homo. Et simili modo, « si contin- « geret quod post constitutionem personae Sortis advenirent « Sorti manus vel pedes vel oculi, (sicut accidit in coeco nato), « ex his non accresceret Sorti aliud esse, sed solum relatio « quaedam ad huiusmodi, quia scilicet diceretur esse, non solum « secundum ea quae prius habebat, sed etiam secundum ea quae « sibi postmodum advenerunt. Sic igitur, cum natura humana « coniungatur Filio Dei hypostatice vel personaliter, ut supra « dictum est, et non accidentaliter, consequens est quod secun- « dum naturam humanam non adveniat ei novum esse personale, « sed solum nova habitudo esse personalis praeexsistentis ad « naturam humanam, ut scilicet persona illa iam dicatur subsi- « stere non solum secundum divinam naturam, sed etiam secun- « dum humanam ». Ita S. Thomas in praesenti.

Sed cum haec omnia fuerint iam fuse explicata in superioribus (2), unum nunc declarandum restat: qua scilicet de causa

(1) Cf. de Pot. q. 9, a. 2, ad 12um, et Richardum a S. Victore, l. 4 *de Trin.* c. 18 et 23.

(2) Supra, in Quaest. 2, ubi anticipavimus quaecumque habet S. Thomas in praesenti.

S. Thomas ponat unum esse in Christo *consequentia unionem.* Si enim unitas exsistentiae unionem hypostaticam consequitur, ergo praesupponit illam. Si autem illam praesupponit, ergo ipsa hypostatica unio in aliquo alio formaliter consistere dicenda est, quam in communicatione humanitatis cum Verbo secundum actum exsistendi. Redit igitur sententia Caietani, quae eo ipso in doctrina S. Thomae optime fundata ostenditur.

At contra, eodem argumento probares duo principia operandi in Christo esse aliquid formaliter distinctum ab unione duarum naturarum, quia hoc etiam apud S. Thomam in Qq. 18 et 19 de consequentibus unionem est. Sequeretur filiationem adoptivam repugnare Christo ratione alicuius quod unio ipsa non esset, sed consecutive tantum ad illam se haberet, quia filiatio naturalis Christo homini contra Adoptianos non vindicatur nisi infra, Quaest. 23, ubi de iis quae consequuntur unionem per respectum ad Deum Patrem, sermo est. Denique, si sensu adversariorum *consequentia unionem* interpretari placet, quid tandem causae esse potuit cur non hic potius posuerit S. Thomas doctrinam de gratia, de scientia, et de omnibus illis perfectionibus coassumptis quae cum in unione humanitatis ad Verbum rationem sui exigitivam habeant, unionem ipsam vere consequuntur tamquam ordine naturae posteriores?

Haec igitur et alia multa quae adiici possent, ostendunt sermonem nunc esse de consequentiis rationis ratiocinantis, seu educentis conclusiones ex praemissis. Quia enim intellectus noster a generalioribus ad magis determinata procedit, quidquid erui potest ex aliqua generali veritate, recte dicitur consequi illam, quamvis conclusio obiective spectata pertineat ad ipsam intrinsecam et constitutivam rationem rei quae in praemissa exprimitur. Tunc ergo habetur consequentia ordine logico, non ordine naturae, et sic omnino est in praesenti. Sane revelatio fidei docet *Christum esse unum atque indivisum secundum hypostasim.* Ast generalior haec notio est, a qua ad magis determinata magisque distincta oportet procedere. Quid ergo logica deductione consequatur explicat S. Thomas in quaestionibus sequentibus, et primo quidem quoad indivisionem in exsistentia.

Non quod indivisio ista sit formaliter aliud ab indivisione secundum hypostasim, sed quia in intellectu nostro differt sicut explicitum ab implicito, sive ut distincta conclusio a principio magis confuso a quo ratiocinando proceditur.

Hinc etiam sumitur facilis explicatio responsionis ad 1um, ubi dicitur « quod *esse* consequitur naturam, non sicut habentem « esse, sed sicut qua aliquid est; personam autem sive hypo- « stasim consequitur sicut habentem esse ». Semper remanendum est in ordine deductionis logicae. Eatenus enim *esse* dicitur *consequi* hypostasim ut habentem esse, naturam vero ut qua aliquid est, quatenus ex hoc quod hypostasis datur, logice concludere potes quod datur etiam *esse* habitum ab ea in proprium; et ex hoc quod natura realis datur, non plus concedere licet quam quod detur *esse* alicuius exsistentis secundum eam. Et sic solvit Angelicus difficultatem propositam contra unum esse in Christo. Non enim est consequens, si duae naturae sunt, ut duo pariter *esse* inveniantur in eo.

In responsione autem ad 3um occurritur alii difficultati quae procedit ex hoc, quod in divinis unum est esse trium personarum propter naturae unitatem, et haec difficultas iam fuit magna ex parte soluta superius in Thesi 7a. Hic autem respondet S. Thomas quod formalis ratio quae fecit ut unum sit *esse* trium personarum, repeti debet ex conditione divinae naturae seu essentiae quae est Ipsum Esse. Quia enim ibi non datur distinctio inter essentiam et esse, oportet tres personas habere unum esse, ex hoc quod habent unam essentiam. Verum, etsi possibile sit, plura supposita *relativa* convenire in uno *esse*, semper impossibile erit plura *esse* substantialia convenire in uno supposito, *cuiuscumque tandem rationis sit.* Et ideo signanter dicit S. Thomas quod tres personae « haberent *triplex* (non quadruplex) *esse*, si « in eis esset aliud esse personae, et aliud esse naturae ». Adhuc enim in singulis earum non esset nisi unus actus essendi distinctus ab esse essentiae, quod in hac impossibili hypothesi foret ut in creatis, quaedam potentia essendi, non autem ipsa subsistens essendi perfectio.

Nec tandem te moveat responsio ad 2um, ubi dicitur « quod

« illud esse aeternum Filii Dei *quod est divina natura,* fit esse « hominis in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in « unitatem personae » : quasi inde sequeretur unionem fieri *in natura,* aut totam Trinitatem esse incarnatam. Nam primo, ut supra dictum est, unio cum Deo in natura non differt ab unione in persona ex parte *termini ad quem* est unio, sed solum ex parte *modi quo* fit unio. Ideoque illud ad quod unitur humanitas vere est natura divina, non tamen qua fungitur munere naturae seu essentiae, sed qua fungitur munere actus exsistendi, potens communicatione sui tribuere consistentiam infinitis essentiis, propter sui infinitatem et omnimodam illimitationem. Rursus esse aeternum quod est natura divina, fit esse hominis, non ut tribus personis commune, sed ut distincto modo habitum a Verbo, pro quanto incarnationis unio terminatur ad relationem subsistentem quae est Filius. In qua quidem relatione per rationem distinguitur id quod est subsistere, propter identitatem cum natura divina, et id quod est referri ad correlativum, consequenterque distingui a correlativo, propter propriam notam relationis. Quapropter relatio quae est Filius, quatenus est per identitatem ipsum esse subsistens, supplet in humanitate assumpta proprium actum essendi, et facit ut humanitas illa non exsistat in se. Quatenus vero est relatio, habet distinctionem a Patre et Spiritu Sancto, facitque ut homo Iesus Christus non sit Pater nec Spiritus Sanctus ([1]).

QUAEST. XVIII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

Nota titulum ex quo apparet quod non receditur a consideratione eorum quae, consequenter ad unionem, Christo conveniunt secundum formalem rationem unitatis. Nunc tamen non habetur plus quam *unitas ordinis* in *dualitate voluntatum.* Et cum

([1]) Recole omnia quae de hac difficultate declarata sunt supra, Quaest. 3, Thes. XI, § 2-3.

ipsa dualitas sit consequentia satis evidens distinctionis naturarum, totius quaestionis operositas versatur circa modum quo oportuit voluntatem humanam sub divina infallibili ordine contineri. Haec enim difficultas fuit, qua permoti haeretici sumpserunt occasionem removendi a Christo voluntatem humanam, aut certe actum voluntatis humanae. Quippe, nescierunt distinguere inter id quod est *simpliciter unum,* et id quod est *ordine unum,* ut dicitur in l. 4 c. Gent. c. 36, praesertim quia liberum arbitrium quo unaquaeque voluntas pollet, videbatur auferre omnem possibilitatem praedictae subordinationis unius ad alteram. Oportet igitur in primis declarare distinctionem voluntatum et ordinem unitatis inter eas, secundum quod proposita inveniuntur in simplici regula fidei. Postea necesse erit ad theologicam explicationem accedere, et assignatis radicibus tum impeccabilitatis tum infallibilis conformitatis ad divinum beneplacitum in anima Christi, ostendere qualiter salvum manserit liberum arbitrium, specialiter in ordine ad obeundam mortem crucis.

THESIS XXVIII.

(Art. 1-3; 5-6).

Ex hoc quod duae naturae integrae et inconfusae in uno Verbi supposito conveniunt, sequitur esse in Christo duas naturales voluntates non contrarias, divinam scilicet et humanam; ipsamque humanam, tam quae rationis quam quae sensualitatis dicitur, fuisse in omnibus subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.

Haec doctrina cum ea quae in quaestione sequenti exponenda est, intimo nexu connectitur. Utraque enim est contra *Monothelitas,* unam voluntatem, unum principium operationis, unam demum operationem in Christo praedicantes. Non enim ex hoc quod Monothelitae fuerint appellati, existimandum est eos circa solam voluntatem et solas voluntatis operationes errasse. Sed ideo hoc nomen sortiti sunt, quia cum operationem humanam generaliter a Christo removerent, tamen ad opera-

tiones voluntatis principalem controversiam transtulerunt, idque, ut reor, duplici de causa. Primo, quia voluntas in operante se habet ut primum movens. Secundo, quia de voluntate maior erat aequivocandi possibilitas, id est, maior facilitas tegendi sub formulis specie tenus orthodoxis venenum doctrinae quae redemptionis mysterium funditus evertebat. Seclusa enim in Christo volitione et operatione humana, actum est de merito et satisfactione eius.

Dico quod de voluntate maior erat aequivocandi possibilitas, eo quod aliquis est sensus haereticus quo dicuntur in Christo plures voluntates, et aliquis est sensus catholicus quo praedicari potest de eo una voluntas. Quantum enim ad contrarietatem et pugnam vel quamcumque insubordinationem appetituum, nequaquam fuerunt in Christo voluntates duae vel plures, sicut in nobis accidit, testante apostolo ubi ait: « Con-« delector legi Dei secundum interiorem hominem; video au-« tem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis « meae, et captivantem me in lege peccati quae est in membris « meis ».

Porro, apparet fraus haereticorum vel ab ipso insurgentis disputationis exordio in epistola quam ad Honorium Pontificem scripsit Sergius Constantinopolitanus patriarcha, ut ei nuntiaret ortas acres controversias de una vel duabus operationibus in Christo. Vult Sergius ut abstineatur a dictione duarum operationum, eo quod « duarum operationum dictio multos scandalizet, « utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum « edita; insuper et consequens ei sit praedicare *duas voluntates* « *contrarias,* Deo Verbo volente impleri salutarem passionem; « humana autem natura obsistente eius voluntati et resistente, « et perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium « est » (1). Pontifex vero, vel erroris iam late grassantis ignarus, vel imprudenter sperans posse per quamdam accommodationem dissidium componi, respondet praemittendo exactissimam professionem fidei de Christo operante divina per divinitatem, et hu-

(1) Labbe, tom. 6, pag. 924.

mana per humanitatem. Tum, inquit, « unam voluntatem fatemur « Domini nostri Iesu Christi, *quia profecto a divinitate assumpta « est nostra natura, non culpa;* illa profecto quae ante peccatum « creata est, non quae post praevaricationem vitiata... Sine pec- « cato conceptus, nullum experiens contagium vitiatae naturae... « Non est igitur assumpta a Salvatore vitiata natura quae re- « pugnaret legi mentis eius... Lex alia in membris aut voluntas « diversa non fuit, aut contraria Salvatori, quia supra legem « natus est humanae conditionis «. Consequenter Honorius, insistendo in sensu orthodoxo quo Sergius latentem haeresim proposuerat, approbat ut a dictione duarum operationum abstineatur, ne intelligantur duae voluntates contrariae.

Nunc autem doctrinam catholicam adaequate propositam habes in definitione Concilii VI, quae ad normam epistolae decretalis Agathonis Papae edita est ut sequitur: « Haec praesens « sancta et universalis Synodus fideliter suscipiens et expansis « manibus amplectens suggestionem, quae a sanctissimo et bea- « tissimo Agathone papa antiquae Romae facta est ad Constan- « tinum piissimum atque fidelissimum nostrum imperatorem..., « duas naturales voluntates in eo (Christo), et duas naturales « operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, « secundum sanctorum Patrum doctrinam concorditer praedicat; « et duas naturales voluntates, non contrarias (absit), iuxta quod « impii asseruerunt haeretici, sed sequentem humanam eius vo- « luntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius subie- « ctam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Oportebat enim « carnis voluntatem moveri, subiici vero voluntati divinae, iuxta « sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro, caro Dei « Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis eius voluntas, pro- « pria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait: *Quia descendi de « coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me « Patris,* suam propriam dicens voluntatem quae erat carnis eius. « Quemadmodum enim sanctissima eius caro deificata, non est « perempta, sed in proprio sui statu et ratione permansit: ita « et humana eius voluntas deificata, non est perempta, salvata « est autem magis secundum deiloquum Gregorium dicentem:

« Nam illud velle quod in Salvatore intelligitur, non est contra-
« rium Deo, deificatum totum » (1).

His praemissis, nihil difficultatis est in declarando qualiter omnia in thesi posita ex fide incarnationis necessario consequantur: dualitas quidem operativarum voluntatum ex dualitate naturarum, absentia vero omnis contrarietatis, imo positiva subiectio atque infallibilis conformitas voluntatis humanae ad divinam, ex unitate suppositi in quo nihil unquam potuit esse, deordinatum. In una enim hypostasi oportet esse unum ηγεμονικόν, ut Graeci dicunt, id est, unum principium penes quod sit regimen, a quo si quaedam vires exorbitant, imperfectioni tribuendum est. Dicendum itaque, « voluntatem humanan in Christo « omnino sub voluntate divina ordinatam fuisse, ita quod nihil « voluntate humana Christus voluit, nisi secundum quod eum « velle divina voluntas disposuit, secundum illud: *Quae placita*

(1) De condemnatione Honorii in eodem Concilio VI (quam tamen Bellarminus cum aliis quibusdam suspectam habet, opinans ex variis indiciis, corrupta fuisse in hac parte acta Concilii, necnon et decretalem confirmatoriam S. Leonis II), haec animadvertes. — *Primo,* epistola Honorii ad Sergium nihil continebat quod rectae fidei adversaretur, ut apparet ex fragmento superius citato, in quo totius epistolae sensus resumitur. Ideoque constat non fuisse dictum anathema Honorio tamquam haeretico, nisi eo sensu quo haereticus etiam dicebatur qui non quidem haeretica docendo, sed negligentia proprii muneris aut quovis alio modo, haereticis et haeresi favorem exhibuisset. — *Secundo,* ex dicta condemnatione non sequitur Pontificem esse obnoxium Concilio, ut sentiebant Gallicani: tum quia sententia non cadebat in Pontificem actu sedentem in cathedra Petri, sed solum in memoriam eius qui aliquando Pontifex fuerat; tum quia sententia, non auctoritate Concilii prout a Romano Pontifice contradistincti, sed auctoritate ipsius Romanae Sedis firmitatem habuit. — *Tertio,* in ipso Concilio VI splendidum extat testimonium fidei Patrum circa infallibilitatem pontificiam, dum lectis litteris Agathonis, conclamarunt omnes: *Petrus per Agathonem locutus est*, et in ipso conciliari decreto declararunt se Romanae Sedis definitionem *fideliter suscipere* et *expansis manibus amplecti*. Quin imo evidens est, factum Honorii in alio quovis episcopo nulla verisimilitudine potuisse mereri anathema. Nunc autem tanta severitate in eum actum fuit, quia cum supremo polleret magisterio, eo, ad nascentem haeresim exterminandam, usus non est.

« *sunt ei, facio semper* (Ioan. VIII-29 ». Ita S. Thomas, l. 4 c. Gent. c. 36.

Caeterum in praesenti a modo quo, salva libertate, intelligi hoc possit, abstrahimus; de hoc enim in propositione sequenti dicetur. Interim vero iuvabit doctrinam magis explicare ex celebri loco Matt. XXVI-39, cum parallelis Marc. XIV-36, et Luc. XXII-42, quae in causa monothelismi hinc et inde proposita fuerunt et discussa: *Procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Apud Lucam vero legitur: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ibi in primis habes distinctionem voluntatum, quandoquidem suam voluntatem contradistinguit Christus a voluntate Patris. Ergo quaedam est in Christo voluntas quae non est voluntas Patris, et ista non potest esse nisi humana, quia voluntas divina una numero est in Patre et Filio. Sed et insuper habes expressam rationem secundum quam voluntas humana, tam quae rationis dicitur, quam quae sensualitatis, fuit *non resistens vel reluctans, sed potius subiecta divinae eius atque omnipotenti voluntati,* iuxta praecitatam definitionem Synodi sextae.

Ad cuius rei plenam intelligentiam praesupponendae sunt duae distinctiones. — Prima est de duplici actu voluntatis, qui dici solet voluntas *ut natura,* et voluntas *ut ratio.* Voluntas ut natura, est motus voluntatis qui sequitur considerationem obiecti secundum se, prout absolute conveniens vel afflictivum est. Ad huiusmodi enim apprehensionem naturaliter oritur in appetitu fuga vel prosecutio [1]. Voluntas vero ut ratio est motus voluntatis secundum quod est domina sui actus, seu motus consequens rationem considerantem omnes circumstantias et habitu-

[1] Nota bene quod, cum distinguitur voluntas *ut natura*, a voluntate quae est *ut ratio*, natura non sumitur eo sensu quo sumi solet in operibus asceticis, prout est gratiae contraria, id est, deficiens a rectitudine originalis iustitiae, et peccato corrupta. Sed voluntas *ut natura* nihil aliud est quam voluntas prout naturaliter tendit in bonum sibi conveniens, et naturaliter refugit ab eius privatione, puta a morte, dolore, aliisque malis eiusmodi, quae tamen libere potest amplecti et velle, non quidem propter se, sed in ordine ad finem ex *rationis* imperio.

dinem obiecti ab bonum finis, dum scilicet concludit aliquid esse fugiendum vel amplectendum in ordine ad finem, puta mortem esse obeundam propter bonum virtutis. — Altera distinctio praesupponenda est de duplici genere conformitatis voluntatum. Alia enim est conformitas quantum ad obiectum volitum, quando quis vult id ipsum quod superior voluntas vult. Alia vero est conformitas quae attenditur solum secundum rationem regulae, quando quis vult id quod voluntas superior vult ipsum velle. Et differentia evadet manifesta, si supponas praelatum praecipere aliquid quod Deus non vult. Tunc subditus, volendo id quod praecipit praelatus (modo non sit evidens peccatum), voluntatem habebit conformem voluntati divinae in ratione regulae; vult enim id quod Deus vult ipsum velle. Non tamen conformitas erit circa obiectum volitum, quia ex hypothesi non est volitum a Deo id quod erat in voluntate praelati.

His igitur distinctionibus suppositis, dico significari per haec et similia verba, *transeat a me calix iste,* voluntatem humanam quae est ut natura. Nam calix passionis est malum a quo secundum se considerato, naturaliter refugit voluntas. Naturaliter, inquam, non prout natura quandoque accipitur ut contraria gratiae, (quo sensu importat deordinationem in nobis ex peccato consequentem), sed prout consideratur in seipsa, secluso omni defectu. Rursus, ille ipse calix consideratus in ordine ad finem redemptionis humanae secundum beneplacitum Patris, erat appetibilis ipsa appetibilitate finis, et ideo per haec quae adduntur, *verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,* significabatur voluntas quae est ut ratio. Porro in hac ultima voluntate apparet perfectissima conformitas cum voluntate divina, ut constat. Circa priorem vero, distinctione secundo loco tradita uti necesse est. Etenim, ut dicit S. Thomas hic, art. 6 in corp., placebat Christo secundum voluntatem divinam, ut voluntas naturalis in ipso secundum ordinem naturae suae moveretur, quin tamen exhinc voluntas ut ratio impediretur aut qualitercumque retardaretur ab officio suo. Fuit ergo voluntas naturalis conformis divinae in ratione regulae. Quod autem attinet ad obiectum, fuit quidem diversitas inter voluntatem naturalem ex una parte, et voluntatem

rationis voluntatemque divinam ex altera, nulla tamen contrarietas. Cuius ratio est quia contrarietas non est nisi quando secundum idem attenditur diversitas voluntatum. Si enim, ut l. c. addit S. Thomas, unius voluntas sit de aliquo faciendo secundum quamdam rationem universalem, et alterius voluntas sit de eodem non faciendo secundum quamdam rationem particularem, non est omnino contrarietas volitionum, (puta si iudex vult suspendi latronem propter bonum publicum, et aliquis eius consanguineus nolit eum suspendi propter amorem privatum). Non est, inquam, contrarietas, nisi forte in tantum se extendat voluntas hominis privati, ut bonum publicum velit impedire ut conservetur bonum privatum; tunc enim circa idem attenditur oppositio voluntatum. Christus autem secundum voluntatem divinam, et etiam secundum voluntatem rationis, volebat impleri passionem propter finem salutis humanae. Voluntate autem ut natura, nolebat passionem absolute consideratam; sed et per hanc naturalis voluntatis repugnantiam nullo modo impediebatur aut retardabatur voluntas ut ratio, sicut aperte monstrat textus evangelicus. Patet igitur quomodo, non obstante diversitate in volito, contrarietas non fuit [1].

Nota in fine, quod cum de Christo agitur, non oportet uti dictione voluntatis *indeliberatae*. Ratio est quia sumi solet haec vox sensu privativo, ad designandum actum qui cum debuisset regi per rationem, praevenit tamen iudicium rationis, eique opponitur: quod in Christo non est ullatenus admittendum. Magis itaque utendum nomine voluntatis *ut natura,* quo significatur motus appetitus secundum quod naturaliter inclinatur ad bonum sibi conveniens, eiusque privationi sic nude in se consideratae naturaliter etiam ac necessario repugnat.

[1] Cf. Damasc. l. 8 de fide orthod. c. 18.

THESIS XXIX.

(Art. 4).

Cum eo ordine quo humana voluntas sub divina infallibiliter continebatur, optime stat libertas arbitrii. Quin imo, si solum consideraretur speciale divinitatis regimen in voluntatem assumptam, nequidem libertas contrarietatis censenda foret fuisse intrinsece ablata. Sed quia ex alio titulo auferebatur, id est, ex beatitudine animae, simpliciter dicendum est nullam fuisse in Christo libertatem a necessitate, respectu eorum quae per divinam legem vel iubebantur vel prohibebantur.

Ratio prioris assertionis est, quia habet divina voluntas potestatem inclinandi certo et infrustrabiliter humanum cor quocumque sibi placuerit, salva interim libertate et seclusa omni physica praedeterminatione ad unum. Quapropter recte notat Suarez, de Incarn. Disp. 37, Sect. 3, infallibilem conformitatem voluntatis humanae ad divinam optime conciliari in Christo cum libero arbitrio, « supposita infinita praescientia divini intellectus, « qua de omnibus creatis voluntatibus cognoscit non solum quid « possint operari, aut quid de facto operaturae sint, sed etiam « quid essent facturae in omnibus eventis et opportunitatibus, si « hoc vel illo modo excitarentur ad operandum. Hac enim scientia « suppposita, facile intelligitur posse Deum aliquam voluntatem « semper ita regere et excitare, ut infallibiliter consentiat, quamvis « libere, quia potest illam motionem et operandi occasionem illi « praestare cum qua infallibiliter praescivit esse operaturam. Et « ita intelligendum est factum esse cum voluntate Christi, cuius « singularem curam et regimen divina persona assumpsit, quando « illam sibi secundum hypostasim univit ». Nam, *sicut in homine puro corpus movetur ab anima, et appetitus sensitivus a rationali, ita in Domino Iesu Christo humana natura movebatur et regebatur a divina,* ut S. Thomas docet in quaestione sequenti art. 1 in

corp. Caeterum ea quae hic dicta sunt, non sunt nisi quaedam particulares applicationes doctrinae quae in aliis theologiae locis demonstrata supponitur, scilicet in materia de gratia efficaci et de scientia Dei; ideoque in praesenti non indigent ampliori determinatione.

Nunc, quod secundo loco propositum est, ulterius considerare oportet, nequidem potuisse auferri per supradictum regimen divinitatis indifferentiam activam quam ex sese habet voluntas humana, etiam ad contraria, id est, tam ad bonum quam ad malum. Etenim regimen huiusmodi non tollit potentiam ponendi actum peccaminosum, quantum est ex proprio operandi modo voluntatis, sed solum ponit motiones efficaces: efficaces, inquam, non ab intrinseco, nec quasi physice praedeterminantes, sed quae per scientiam conditionatorum tales praenoscuntur. Hinc, si in Domino Iesu Christo nihil aliud attenderetur quam convenientia naturae humanae cum divina in uno Verbi supposito, ipse Christus se habuisset in modo operandi et servandi praecepta sicut confirmati in gratia, qui licet infallibiliter, libere tamen et meritorie praecepta servant. Nec alia deberet disparitas agnosci, praeter illam quam assignat Suarez, de Incarn. Disp. 37, Sect. 3 dicens: « Non est (omnino) simile de Christo et aliis con-« firmatis. Illi enim ab extrinseco habent hanc gratiam, et abso-« lute loquendo possunt illa carere; et ideo absolute semper sunt « peccabiles, quamquam in sensu composito, id est, supposita « tali gratia non possint peccare, quia non possunt componere « peccatum cum illa gratia seu providentia Dei. Christus vero « absolute dictus habet illud infallibile regimen quasi connatu-« rale et ab intrinseco (si suppositum consideres), et nullo modo « potest illo carere, et ideo in ipso nomine Christi includitur « sensus compositus, et ideo simpliciter est impeccabilis ». Haec sola, inquam, disparitas deberet agnosci, nisi aliquid aliud fuisset in Christo, penitus auferens *libertatem contrarietatis*. Quod si quis recte consideret, videbit non amplius veram esse conclusionem quam l. c. addit Suarez, ponens *Christum libere perfecisse actum quo implebat praeceptum, quia ita illum faciebat, ut per facultatem*

propriam suae voluntatis quae intrinsece impedita non erat, posset illum non facere.

Et re quidem vera, impeccabilitas Christi non in sola unione hypostatica, et regimine illo divinitatis quod humanae voluntati ex consequenti debebatur, causam habebat. Verum oriebatur etiam ex conditione comprehensoris, cuius voluntas est physice determinata ad amorem divini boni, ac per consequens, physice incapax ponendi quemlibet actum huic amori repugnantem. Voluntas enim videntis Deum, ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum, sicut voluntas non videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quidquid amat sub communi ratione boni quam novit. Et ratio est, quia voluntas necessitatur ad bonum, nullamque potentiam habet ad volendum malum sub ratione mali. Sed dum bonum imparticipatum ac per essentiam tale nondum clare in seipso apparuit, consequens est ut in diversis et deficientibus participationibus eius, etiam per aversionem a vero ultimo fine, quaeri possit. Cum autem clare apparuit, immobiliter figit voluntatem. Sicut ergo se habet bonum in communi ad voluntatem viatoris, ita se habet summum bonum quod Deus est, ad voluntatem comprehensoris: quatenus, sicut physice impossibile est ut voluntas viatoris aliquid velit praeter rationem boni in genere, ita physice impossibile est ut voluntas comprehensoris velit aliquid non referibile, et a fortiori oppositum summo bono quod possidet, et in quo finaliter super omnia requiescit. Quare, posito praecepto, comprehensor necessitatur ad obiectum praecepti prout et quatenus praeceptum est: aufertur enim ab opposito ratio referibilitatis ad Deum, imo si de gravi praecepto agitur, ponitur ratio contrarietatis. Nec valet si dicas quod praeter scientiam beatam qua fruebatur Deo, habebat Christus scientiam tum infusam tum acquisitam, quae non est propria comprehensoris in quantum huiusmodi, et libertatem contrarietatis non tollit. Hoc enim nihil est, nam profecto, homo uno solo vinculo ligatus non ideo dici potest expeditus, quia duobus vel tribus non impeditur; quippe sufficit vinculum unum si semper actu ligat. Atqui scientia beata semper in actu est, et semper neces-

sitat voluntatem ad amorem divini boni cum quo nullum peccatum potest componi ([1]).

Caeterum libertas contrarietatis, nedum sit de ratione libertatis in quantum huiusmodi, pertinet potius ad defectum eius. Quapropter nihil restaret hic addendum circa liberum arbitrium in Christo, nisi quaestionem molestissimam crearent ea quae de morte crucis ad humani generis redemptionem in evangelio leguntur. Necesse est enim dicere Christum fuisse liberum libertate indifferentiae, non solum generatim, sed etiam determinate quantum ad sui ipsius oblationen in passione sua. Alias non

([1]) Unde facile solvuntur rationes eorum qui putant libertatem Christi remanere sub praecepto integram. etiam circa obiectum praecepti.

1. *Praeceptum non aufert libertatem, sed magis supponit eam.* — Respondeo: Non aufert libertatem absolute, **conc.** Respectu rei praeceptae, **subdist.** Per se et ratione sui, iterum **conc.** Per accidens, et ratione physicae impossibilitatis in qua versatur voluntas videntis Deum, declinandi unquam ab ordine veri ultimi finis, **neg.** Et ratio constat ex dictis.

2. *Eatenus praeceptum abstulisset a Christo libertatem, quatenus visio beata influxisset in positionem actus. Atqui non potuit influere, quia cum praecepta imponantur viatoribus in quantum viatores sunt, eorum adimpletio in Christo regulari debuit per scientiam quae viatori propria erat, non per scientiam beatam quae est propria comprehensoris.* — Respondeo: Eatenus praeceptum abstulisset libertatem, quatenus visio beata in positionem actus praecepti influxisset, vel directe, vel indirecte, **conc.** Solum directe, **neg.** Atqui necessario influxisset, saltem indirecte, auferendo simpliciter ab anima Christi intrinsecam potestatem volendi omissionem eius quod praecepto iubebatur.

3. *Ioan. XV-10, commendat Christus discipulis suis ut sua praecepta servent, sicut et ipse servavit praecepta Patris. Sed nos libere servamus praecepta. Ergo et Christus.* — Respondeo: **Dist. mai.** Et praeceptum dicitur univoce in utroque comparationis membro, **neg. mai.** Dicitur analogice, attenta diversitate conditionum, **conc.** Quippe praeceptum quandoque sensu latiori accipitur pro regula actionis in mente superioris exsistente, cui, etiam citra obligationis impositionem, honestum est ut voluntas inferior se conformet. Proponitur ergo quaedam proportionum aequalitas, quatenus nos debemus servare legem Christi. sicut ipse Christus libere adimplevit simplex beneplacitum Patris erga se; de qua acceptione praecepti dicetur in propositione sequenti.

fuisset meritoria nec satisfactoria mors ipsius, cum ad merendum et satisfaciendum requiratur libertas a necessitate, ut habetur de fide certum ex condemnatione tertiae propositionis Iansenii. Nunc autem legitur Christus accepisse a Patre mandatum moriendi pro hominibus, iuxta illud Ioannis XIV-31: « Ut cognoscat mundus « quia diligo Patrem, et *sicut mandatum dedit mihi Pater,* sic « facio, surgite, eamus hinc ». Si autem mandatum habuit moriendi in cruce, ergo non potuisset sine peccato calicem passionis respuere, et si non potuisset sine peccato crucem abnuere, sequitur non fuisse liberam in ipso acceptationem crucis: quandoquidem nulla fuit in eo libertas a necessitate, respectu eorum quae sine peccato vel poni vel omitti non poterant. Ad huiusmodi ergo difficultatis solutionem sequens statuitur propositio.

THESIS XXX.

Ex praemissis consequitur quod cum vellet Deus absoluta voluntate beneplaciti redemptionem hominum per liberam satisfactionem in morte crucis, eo ipso dicendus est non imposuisse Christo praeceptum patiendi. Sed ipsum beneplacitum divinae voluntatis metaphorice dicitur in evangelio praeceptum sive mandatum, secundum quod apud nos homines praeceptum solet esse signum voluntatis in superiore exsistentis.

Haec doctrina non est communis inter theologos. Sunt enim plures qui agnoscunt in Christo verum ac proprie dictum praeceptum moriendi pro hominibus a Patre ei impositum, putantque posse adhuc cum hoc praecepto salvari libertatem in sacrificio crucis. Muniunt autem se, vel certe munire possunt sequentibus rationibus.

1. Praesto est diserta evangelii attestatio, ut supra (Ioannis XIV-31), necnon et auctoritas apostoli ab Hebr. X, 5-7: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam,*

Deus, voluntatem tuam. Citantur autem ista ex Psalmo XXXIX, ubi haec leguntur addita: « Deus meus, volui, *et legem tuam in « medio cordis mei* ». Atqui lex a ligando dicta, utique importat praeceptum, cuius exsistentia ex iis etiam vel solis quae recitat apostolus, non obscure erui posset. *In capite*, inquit, *libri scriptum est de me.* Liber iste, liber est vitae in quo conscripti sunt quicumque ad vitam praedestinantur aeternam. Et quia electorum praedestinatio nihil aliud est quam ratio transmissionis ipsorum in beatitudinem coelestem per virtutem sanguinis et mortis Christi, ideo in huius libri capite scripta dicitur voluntas seu decretum Dei circa mortem et passionem crucis. Sed hinc oriebatur in Christo obligatio de iure etiam mere naturali, dandi animam suam redemptionem pro multis. Tenetur enim unusquisque exponere, imo perdere vitam corporalem ad succurrendum proximo in extrema necessitate spirituali constituto, quando ei aliter provideri nequit. Sicut si in aliquo incendio esset aliquis infans non baptizatus cui nullus alius subvenit, teneor etiam cum periculo vitae, accurrere ad baptizandum. A pari ergo, imo multo magis, ut videtur, cum esset genus humanum in extrema necessitate spirituali constitutum, nec vellet Deus aliud pretium animarum acceptare praeter pretium sanguinis Christi, tenebatur Christus sese offerre in hostiam et sacrificium, ac per hoc, praecepto sin minus positivo, at certe naturali, ligatus fuisse dicendus est. Et confirmatur, quia Matth. XXVI-23, Petro dissuadenti mortem crucis respondit Christus: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum.* Sed nemo recte dicitur esse alicui in scandalum, nisi deterreat ab iis quae citra peccatum omitti non possunt. Ergo iterum, ad exsistentiam veri et proprie dicti praecepti reducimur.

2. Praeterea, regula generalis est quod verba Scripturae sunt proprio et naturali sensu accipienda, nisi quid in contrarium evidenter obstet. Porro, si quid obstaret quominus mandatum Patris (Ioan. XIV-31) pro vero ac proprio praecepto sumeretur, esset sola impossibilitas componendi simul libertatem a necessitate in humana voluntate Christi. Sed dantur varii conciliationis modi. Primus est iam supra insinuatus, dicentium

adimpletionem praecepti non fuisse regulatam per scientiam beatam, per quam solam poterat auferri intrinseca potentia ad oppositum. Quod si non placet iste modus, assignantur duo alii. Alter, eorum qui ponunt praeceptum non determinasse circumstantias, puta tempus, diem, horam, genus passionis, aliaque huiusmodi circa quae liberum manebat Christo eligere utrumlibet. Alter est Lugonis dicentis quod etsi non fuerit Christus liber a necessitate in sensu composito praecepti, fuit tamen in libero eius arbitrio potestas auferendi sensum compositum impetrando a Patre dispensationem, iuxta illud Matth. XXVI-53: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?*

3. Praeterea, si praeceptum metaphorice accipitur, oportebit etiam metaphorice interpretari obedientiam Christi, cum obedientia respiciat praeceptum. Obedientiam autem Christi metaphorice dici, omnino est incredibile, cum Rom. V-19, opponatur inobedientiae Adae, et Philipp. II, 8-10, assignetur ut propria causa exaltationis qua ei datum est nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, terrestrium, coelestium, et infernorum.

4. Denique, etiamsi loca ad praeceptum spectantia metaphorice interpretemur, semper tamen manebit absoluta voluntas Patris, quam ipse Christus in horto testatur dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Sicut autem non potuit esse ut Christus infringeret praeceptum, ita fuit pariter impossibile ut voluntatem divinam, quocumque tandem modo acceptam, non adimpleret, aut imperfectionem quamlibet in se admitteret. Quapropter, metaphorica illa praecepti acceptio inconvenienter recedit ab obvio sensu Scripturae, nec aliunde idonea est ad solutionem difficultatis propter quam fuit inventa.

Sed contra manet argumentum in superiori propositione factum, quo invincibiliter demonstratur nullam relinqui animae beatae libertatem circa ea quae ratione praecepti vel naturalis vel positivi, citra aversionem a summo bono omitti nequeunt. Ergo, stante praecepto subeundi mortem, necessitatus fuisset Christus ad hoc ipsum, ac per consequens tolleretur meritum

et satisfactio crucis. Restat itaque ut praeceptum omnino amoveatur, iuxta illud Chrysostomi, Homil. 28 in epist. ad Hebr. n. 2: « Licebat ei nihil pati si voluisset... Erat ergo ei promptum, « si voluisset, non venire ad crucem ». Quibus similia habent Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Cyrillus, aliique citati apud Petavium, de Inc. l. 9, c. 8, n. 7 et seqq. (1).

Nunc autem, qualiter secluso praecepto, adhuc verificentur quaecumque in Scriptura de redemptione dicuntur, ex sequentibus principiis videtur posse explicari: — **Primo**, potest Deus *absoluta voluntate beneplaciti* velle aliquid a creatura fieri, quin illud praecipiat. Vice versa, potest aliquid praecipere, quin voluntate beneplaciti velit illud fieri, sicut patet in praecepto Abrahae dato de immolando filio. — **Secundo**, praeceptum dicitur a theologis *voluntas signi* (2), et per se non arguit nisi solam voluntatem beneplaciti qua Deus vult creaturam esse debitricem eius quod praecipit, sive divina voluntas velit etiam evenire id quod est praecepti obiectum, sive non. — **Tertio**, voluntas beneplaciti seipsam destruere non potest, ac per consequens fieri nequit ut pro obiecto habeat ea quae sese invicem excludunt. — **Quarto**, absoluta voluntate beneplaciti volebat Deus redemptionem generis humani, per *satisfactoriam mortem* Christi in cruce, ut testimonia Scripturae probant. Quare divino beneplacito suberat, non solum quod Christus pateretur, sed etiam quod hoc modo pateretur, scilicet satisfactorie, adeoque cum libertate tum a coactione tum a necessitate. — Hinc **quinto**, non debuit praedicta voluntas

(1) Sunt qui afferunt textum Pauli Heb. XII-2, quasi esset sensus quod electioni Christi subiacebat tam via gaudii quam via crucis, et hoc modo videntur intellexisse Chrysostomus et qui ipsum sequi solent. Verum difficillimum esset ostendere hunc esse genuinum sensum huius sententiae, quia id potius significari videtur: *Qui, proposita sibi gloria tamquam fructu dolorum crucis, sustinuit crucem et confusionem contempsit.* Quippe, sensus iste multo melius quadrat cum contextu, ubi exemplo Christi animantur Hebraei ad persistendum in sufferendis tribulationibus intuitu gloriae caelestis. Manet tamen auctoritas interpretum qui nullum praeceptum in Christo quoad mortem crucis agnoverunt. Quibus adde Anselmum, Medit. XI de Redempt.

(2) Cf. S. Thom. 1, q. 19, art. 11-12, et de Verit. q. 23, a. 3.

transire in praeceptum constituens Christum debitorem crucis. Sic enim fuisset ipse Christus, etsi non coactus, at certe physice necessitatus ad sese offerendum, ut supra probatum est, et ideo assignaretur pro obiecto voluntatis in Deo coexistentia contradictoriorum, quod repugnat. — Quapropter **sexto,** oportet ponere voluntatem beneplaciti circa mortem crucis, et ex hoc ipso excludere voluntatem obligandi Christum ad huiusmodi immolationem, sicut iuxta omnes excludi debet voluntas determinandi Iudaeos ad occisionem Christi. — Sed **septimo,** Deus in sua praescientia disposuit ac decrevit ordinem illum in quo cognovit, et Iudaeos ex propria malitia occisuros Christum, et Christum *per conformitatem ad divinum beneplacitum* amplexurum crucem. Atque hoc modo passioni Dominicae quae infallibiliter futura erat, praeparatae sunt causae contingentes et ad utrumlibet se habentes, secluso scilicet praecepto voluntatem comprehensoris omnino necessitante ([1]).

([1]) Ubi vides, explicationem istam valde differre ab ea quam proponit Card. Franzelin, de incarn. thes. 44. Quae non modo reiicit praeceptum proprie dictum, sed nequidem agnoscit in Deo voluntatem absolutam antecedentem circa modum redemptionis per passionem crucis. « Voluntas Patris, inquit, quatenus antecedit liberam Christi « electionem ad ponendam animam suam, intelligi debet divinum be- « neplacitum humanae voluntati Redemptoris propositum ita, ut etiam « alius redemptionis modus Patri foret acceptus... Consequenter deinde « ad praevisam Christi liberam electionem transiit divina voluntas ante- « cedens conditionata in voluntatem consequentem absolutam, ut Chri- « stus hoc modo a se electo genus humanum redimeret ». Sed contra hoc est, quod secundum Scripturas, non ideo absolute voluit Pater Christum mori in cruce, quia elegit Christus crucem, sed e converso, ideo Christus crucem elegit, quia voluit Pater ut mortem crucis obiret. Haec enim est voluntas Patris, et quidem antecedens et absoluta, quam invenit Christus scriptam *in capite libri:* cui etiam a primo instanti sese conformavit, *ingrediens mundum*, ut apostolus ait. Haec est voluntas non admittendi ullum pretium pro peccato, praeter pretium sanguinis, quam Paulus explicat in tota continenter ad Hebraeos epistola. Haec voluntas de qua quotidie in missa: D. I. C. qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti. Quid plura? Haec est voluntas absoluta de qua Christus ipsemet in horto: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Nam si absoluta voluntas Patris circa

Recte tamen in Scriptura beneplacitum Patris dicitur *mandatum, lex,* aut si quid aliud huiusmodi, quia inter homines praeceptum est signum voluntatis superioris. Atqui communis usus habet ut metaphorice accipiatur signum pro re cuius solet esse signum, et vice versa. Sicut ergo apud theologos praeceptum nominatur voluntas Dei, scilicet voluntas *signi,* ita hic ex inverso, absoluta Dei voluntas nominatur praeceptum, et non est magis impropria locutio in secundo casu quam in primo.

Ad 1um ergo dicendum, quod ex Scripturae auctoritate, existentia praecepti demonstrari nullo modo potest. Nec valet argumentum quo ostendebatur Christus *naturali praecepto caritatis* obligatus ad succurrendum generi humano. In tantum enim purus homo tenetur facere iacturam propriae vitae, ut succurrat proximo in extrema necessitate spirituali constituto, in quantum vita corporalis spirituali bono animae comparata, longe minoris pretii esse invenitur. Sed ratio haec non valet pro Christo, quia vita Hominis-Dei maioris est appretiabilitatis quam sit bonum spirituale totius etiam humani generis. Atqui non potest esse quod naturale praeceptum caritatis proximi obliget unquam ad dandum maius pro minori, imo vero nec aequale pro aequali. Ideoque Christus, secluso *positivo* precepto Patris, nulla potuit

---

passionem crucis fuisset consequens praevisam determinationem voluntatis humanae, non ea diceret, quibus aperte significat se regulam accipere a divina voluntate, utique antecedente suam. Alioqui, *quomodo non mea, sed tua voluntas fiat, si tua non est nisi consequenter ad meam?* Omnino ergo retinenda voluntas divina antecedens: quae quidem erat infallibiliter implenda propter praeparatas motiones efficaces, et simul libere libertate a necessitate, propter carentiam seu absentiam praecepti. In absentia enim praecepti utrumque manebat referibile ad ultimum charitatis finem, et velle obire mortem crucis, et velle non obire: primum quidem, quia placebat Patri ut Christus pateretur; alterum vero, quia simul placebat ut posset, si vellet, recusare crucem, plena in hoc libertate gaudens. Non ergo dicendum est quod eligere non pati, idem fuisset pro Christo ac velle ut voluntas Dei absoluta non impleretur. Hoc enim verum non est. Sed fuisset eligere id quod secundum beneplacitum absolutae voluntatis erat eligibile Christo, tametsi aliunde, in vi eiusdem voluntatis absolutae, infallibiliter procurandum foret ut de facto non eligeretur.

teneri obligatione subeundi crucem, sed ex puro suo liberali erga nos amore dixit: *Filius hominis venit non ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Ad confirmationem vero additam facilis responsio est. Si enim oporteret stricto sensu hic sumere scandalum, sequeretur primo Christum fuisse peccabilem, quia scandalum proprie non cadit nisi in eos qui sunt spirituali ruinae obnoxii. Sequeretur etiam Petrum peccasse dicendo: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc,* cum tamen constet ipsum fuisse motum quodam affectu pietatis erga Christum. Ergo, « scandalum large ponitur ibi pro quolibet impedi-« mento,... Dominus Petro dixit: *Scandalum mihi es,* quia nite-« batur eius propositum impedire circa passionem subeundam ». Ita S. Thomas, 2-2, q. 43, a. 5.

Ad 2um dicendum quod nullus ex assignatis conciliationis modis satisfacit. — Primo non satisfacit solutio eorum qui dicunt quod cum Christus fuerit simul viator et comprehensor, unicuique virium permittebatur id agere et pati quod proprium erat, quin bonum vel nocumentum unius potentiae redundaret in aliam: quasi hinc sequeretur, stare potuisse libertatem circa praeceptum aut implendum, aut non implendum, cum necessario amore quo voluntas ferebatur in divinum bonum intuitive visum. Evidens enim est quod negatio huius redundantiae non potuit facere ut incompossibilia simul essent in eodem subiecto, puta, *necessarius amor Dei super omnia semper in actu,* cum expedita facultate avertendi se a Deo per conversionem ad creaturam ut ad ultimum finem. Unde ostensum est supra, non fuisse sibi invicem contraria ea quae in Christo viatore simul et comprehensore coexistebant, ut gaudium, tristitia, aliaque eiusmodi. Nunc autem necessitari ad inhaerendum Deo, et esse expeditum ad avertendum se a Deo per transgressionem praecepti, sese invicem in eadem voluntate manifestissime excludunt. — Nec etiam satisfacit solutio altera, ponens praeceptum non determinasse circumstantias. Tum quia omnia documenta quibus adversarii sese muniunt pro exsistentia praecepti, circumstantias etiam respicere videntur, et maxime circumstantiam crucis. Tum praesertim, quia ex hac solutione statim sequeretur oblationem Christi

quod substantiam nec satisfactoriam fuisse nec meritoriam; itemque, non fuisse nobis salutarem *obedientiam eius* in quantum huiusmodi, sed illud solum quod in passione pertulit praeter voluntatem Patris. — Tandem, iisdem inconvenientibus gravatur solutio tertia, quae si vera esset, non meruisset Christus patiendo, sed potius non petendo dispensationem. Cuius etiam dispensationis petendae nulla fuisset causa rationabilis, cum supponatur praeceptum impositum, non communitati, sed uni Christo, ab eo cuius aequissima voluntas non potest imponere alicui id quod ei non convenit (1).

Ad 3um dicendum quod non sequitur ex dictis, metaphorice esse accipiendam obedientiam Christi, quia obedientiae propria laus consistit in conformando se voluntati superioris. Scilicet formale eius obiectum est specialis honestas relucens in hoc, quod voluntas inferior regulam suae actionis accipiat a voluntate eius cui est subdita, *sive praecipiat ille, sive non.* Hinc S. Thomas, 2-2, q. 104, a. 5 ad 3um, dicit: « (Religiosi) quantum ad « illa sola obedire tenentur, quae possunt ad regularem conver- « sationem pertinere, et haec est obedientia sufficiens ad salutem. « Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad « cumulum perfectionis... Sic ergo triplex obedientia distinguitur: « una sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his ad quae « obligatur; alia perfecta, quae obedit in omnibus licitis; alia « indiscreta, quae etiam in illicitis obedit ».

Ad 4um denique dicendum, quod impossibile quidem fuit ut Christus non adimpleret beneplacitum Patris, aut a regula summae perfectionis quocumque modo declinaret; non tamen eodem modo quo impossibile fuit ut praeceptum obligans infringeret. Humana enim eius voluntas intrinsece necessitabatur ad non peccandum sive mortaliter sive venialiter, ratione beatitudinis qua fruebatur. Sed quod infallibili conformitate conformaretur voluntati divinae, et ad perfectiora semper se extenderet, etiam in iis quorum opposita nec substantiae nec fervori caritatis repugnant, utpote nec contra nec praeter ordinem ultimi

(1) Cf. S. Thom. 1-2, q. 97, a. 4.

finis exsistentia: hoc non proveniebat ex aliquo principio ipsi voluntati intrinseco, per quod determinabatur ad unum, sed solum ex speciali regimine divinitatis non auferente vel limitante libertatem, ut satis explicatum est in thesi praecedenti.

Tandem nota, non esse specialem difficultatem quoad conciliationem libertatis in Christo cum cognitione futurorum in genere, et suorum propriorum actuum in specie. Nam illos suos futuros actus cognoscebat ut dependentes a suo arbitrio; unde si scientia abstulisset libertatem, destruxisset seipsam destruendo suum obiectum, quod est impossibile. Ergo concomitanter se habebant exercitium libertatis, et cognitio universorum. Imo, hos suos futuros actus Christus attingebat *ut praesentes* in speculo divinae aeternitatis. Ex qua quidem cognitione nullam aliam in eis necessitatem apprehendebat, praeter necessitatem qua necesse est ut quidquid est, dum est, sit ([1]).

QUAEST. XIX.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD OPERATIONEM.

Postquam dictum est de voluntate et actu voluntatis in particulari, restat inquirendum de unitate operationis generatim, et de modo huius unitatis.

([1]) Vide ea quae in simili docet S. Thomas, Quodl. 11, a. 3; de Verit. Q. 2, a. 12, etc.

THESIS XXXI.

(Art. 1-2).

Sicut duas voluntates, ita duas operationes secundum totidem operatrices naturas oportet in Christo confiteri. Sed quia « agit utraque forma cum alterius communione quod « proprium est », dum divinitas regit operationem humanitatis, eaque utitur, ac humana vicissim operatio specialem ex divinitate unita sortitur efficaciam, recte Sancti Patres, ad exprimendam hanc ordinis unitatem, operationem in Christo theandricam seu deivirilem praedicaverunt.

1. Videretur tamen dicendum quod in Christo non sunt duae operationes. Si enim operationes ponerent in numerum, hoc esset quia operatio divinitatis distinguitur ab operatione naturae humanae. Sed in humana natura sunt operationes multae. Ergo nullo modo dici debet, operationes in Christo esse determinate *duas*.

2. Praeterea, una eademque est operatio instrumenti et principalis agentis. Sed humanitas coniungitur cum divinitate ut instrumentum eius. Ergo una tantum est in Christo operatio humanitatis et divinitatis.

3. Praeterea, operari sequitur esse. Sed in Christo unum est esse propter unitatem hypostasis. Ergo etiam unum operari.

4. Denique, propria operatio Verbi incarnati ea est quae a Patribus *theandrica* vocatur. Atqui operatio theandrica non plures operationes signat, sed unam. Ergo Verbum incarnatum qua tale unam habet operationem, non duas.

Sed contra est definitio sextae Synodi [1]: « Undique igitur « inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta « proferimus: Unum Sanctae Trinitatis, et post incarnationem « Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum esse credentes, « asserimus duas eius esse naturas in una eius radiantes subsi- « stentia in qua tam miracula quamque passiones veraciter de-

[1] *Enchirid.* n. 238.

« monstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia « cognoscendam, *dum cum alterius communione utraque natura « indivise et inconfuse propria operaretur*. Iuxta quam rationem « et duas naturales operationes confitemur ad salutem humani « generis convenienter in eo concurrentes ».

Ad huius autem dogmatis expositionem, primum omnium animadvertendum est quod in praesenti sermo est de operationis unitate vel pluralitate, secundum pluralitatem vel unitatem *principii activi propria virtute agentis,* ut recte notat Caietanus in commentario: ita quod unius operationis appellatione nunc veniant omnes operationes, quae sunt ab uno tantum activo principio ex virtute ei propria, nomine autem plurium operationum, illae quae a pluribus. Perinde ergo est quaerere an divinitatis et humanitatis in Christo sit una tantum operatio, ac si quaereretur an sit in ipso unum tantum principium operandi. Unde S. Thomas, art. 2 in corp. dicit: « Iudicantes de unitate opera- « tionis, solum ex parte operativi principii. *Sic enim nunc quae- « ritur de unitate vel pluralitate operationum in Christo* ». Et quaestio hoc modo proposita facilem habet solutionem. Quia enim in Verbo incarnato sunt duae naturae, et non privatur humanitas (quae est integra atque perfecta) sua activitate propria, constat duas omnino operationes in ipso esse agnoscendas, iuxta praecitatam definitionem Concilii VI.

At vero, cum ambae illae operationes ad idem suppositum pertineat, necessarium etiam est ut secundum celebrem S. Leonis formulam, inter sese coordinentur. Porro ea quam Patres agnoscunt utriusque naturae *communio in operando,* triplici potissimum modo debet considerari. Primo quidem in ordine perfectionis moralis, in quantum operatio humanitatis per divinitatem ita regebatur, ut esset semper ordinatissima, et omnibus numeris absolutum exemplar prae se ferret, iuxta illud Ioan. XIII-15: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Quocirca Damascenus l. 3 de fide orth. c. 19, post Dionysium et Maximum martyrem praedicat « novum illud et arcanum « modum quo naturales Christi actiones se explicant,... humanum « item vitae genus novum et admirabile, inque rerum natura in-

« cognitum » (1). Et supra, c. 15, ait: « In Christo utraque natura « cum alterius communione operatur, Verbo nimirum quae Verbi « sunt cum auctoritate et potentia deitatis efficiente; humanitate « autem quae sunt humanitatis exsequente, ad Verbi sibi uniti, « cuius etiam propria facta est, arbitrium ». Praeterea secundo consideratur haec communio in ordine efficaciae ad extra, in quantum divinitas humanitate utebatur tamquam instrumento ad operationem miraculorum et eorum quae supra naturam erant: « At caro vicissim cum operante Verbi divinitate communicabat, « quia per corpus veluti per instrumentum quoddam, divinas « actiones efficiebat » (2). Tertio demum est attendenda communio divinitatis cum operante humanitate in ordine satisfactionis et meriti apud Deum, quatenus Verbi divinitas, non quidem agendo, sed formaliter sustentando humanitatem tamquam eius hypostasis, eo ipso praestabat ut actiones meritoriae et satisfactoriae a sola humanitate elicitae, essent actiones suppositi divini, ac per hoc, infinitam quamdam aestimabilitatem ac dignitatem involverent in genere satisfactionis et meriti. Unde iterum Damascenus c. 15: « Nam et patienti carni coniuncta erat divinitas « impassibilis perseverans, passionesque salutares reddens et

(1) Nonne vere novum et in rerum natura incognitum illud vitae genus fuit, quo palam potuit Christus sese asserere absolute sanctum, prorsus absque delicto? Sane vero, in humanae sanctitatis fundamento est confessio peccati, aut certe peccabilitatis. Quare Pharisaeus ille qui in templo dicebat: Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut caeteri homines, raptores, iniusti, adulteri, etc., in omnium conscientia condemnatur. Christus autem qui humilem publicani laudavit confessionem, nusquam sibimetipsi pectus percutit. Et alios quidem sic orare docet: « Vos autem, inquit, sic orabitis..., dimitte nobis debita nostra ». Ipse vero nusquam sic orat. Quin imo provocat adversarios dicens: « Quis « ex vobis arguet me de peccato? ». Sed et *ei soli non vertitur ad insipientiam,* eo quod totius vitae tenor eum ostendebat qui esset sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus. Hoc itaque *est vitae genus novum et admirabile, inque rerum natura incognitum, causam sui habens in communione formae Dei cum forma servi in operando,* de qua S. Leo: « Agit utraque forma cum alterius « communione id quod proprium est ».

(2) Damasc. l. c. c. 19.

« perficiens ». Et infra, c. 19: « Quare divina natura eo nomine « cum carne operante communicat, quod carnis actio prorsus sa- « lutifera sit ».

Ex his igitur recte concludes, *operationem theandricam* accipi pro operatione, quae *cum sit a supposito divinae simul et humanae naturae, per alterutram naturam cum alterius communione* secundum aliquem e tribus supradictis modis, *perficitur*. Nunc autem, quia nulla fuit humana Christi operatio in qua non communicaverit divinitas, dum e contra humanitas in iis solis operationibus divinitatis communicavit, quae dispensationem incarnationis et redemptionem spectant, sequitur omnem humanam operationem in Christo fuisse theandricam; non tamen vice versa, omnem divinitatis operationem. Unde Rusticus diaconus citatus a Petavio de Inc. l. 18, c. 12, n. 14, dicit: « Anima nullatenus « foris a corpore suo habet operationis principium. Deus autem « Verbum et in humanitate exsistens, in coelo et ubique con- « suetas operationes implevit, licet quasdam et inaestimabiles, « etiam per corpus. Quid enim differebat ad operationes eius « quae sunt ab initio, utrum non haberet an haberet humani- « tatem, dum per humanitatem non plueret, non tonaret, non « astra moveret, et nihil per eam amplius sit operatus, nisi sola « quae noviter propter nostram sunt facta salvationem, pro qua « et inhumanatus est ».

Ad 1um ergo dicendum, quod multae operationes humanae considerantur hic ut operatio una. Nunc enim operationis pluralitatem non attendimus secundum numericam multiplicationem actuum, nec etiam secundum diversitatem specificam quam recipiunt ab obiectis, imo nec secundum solam distinctionem potentiarum, sed pure et simpliciter secundum unitatem vel pluralitatem principii moventis virtute propria, ut dictum est supra. Constat autem quod actuum humanorum *prout humani sunt,* unum est principium movens virtute propria, scilicet ratio, in qua per modum unius accipitur intellectus et voluntas. Si enim ambulare, manducare, scribere, actus humani sunt, hoc non provenit ex virtute propria potentiae locomotivae vel vegetativae, etc., sed ex sola virtute propria rationis quae movet inferiores vires, eisque

imperat. Quare ambulatio non ponit in numerum cum operatione rationis *secundum praesentem considerationem,* et idem dicendum de aliis. Equidem verum est quod in nobis, praeter *operationem humanam,* attenduntur et *operationes hominis.* « Sed in homine « Iesu Christo nullus erat motus sensitivae partis qui non esset « ordinatus a ratione. Ipsae etiam operationes naturales et cor- « porales aliqualiter ad eius voluntatem pertinebant, in quantum « voluntatis eius erat ut caro eius ageret et pateretur quae sunt « sibi propria... Et ideo, multo magis est una operatio (humani- « tatis) in Christo, quam in quocumque alio homine » (1). Recte igitur in Verbo incarnato praedicantur operationes *duae.*

Ad 2um dicendum, quod operatio principalis agentis et operatio instrumenti in quantum huiusmodi, una quidem est operatio prout nunc de operationis unitate vel pluralitate loquimur, ut constat ex praemissis. Verum, praeter operationem instrumentalem qua talem, semper considerari debet illud quod instrumentum confert de suo ut causa principalis: idque potissimum, si sermo sit de instrumento rationali et libero, quod ita movetur ut etiam se moveat. Non ergo sequitur unam esse operationem in Christo, quia nusquam fuit destituta humanitas propria vi operatrice, praesertim secundum intellectum et voluntatem (2).

(1) S. Thom. hic., a. 2 in corp.

(2) Illud quoque accurate observandum, quod ubi dicitur humanitas assumpta instrumentum divinitatis, non oportet semper eamdem instrumenti rationem cogitare, sed vel stricte vel large sumptam, pro subiecta materia et diversis operationum conditionibus. Sane vero, stricto et propriissimo sensu instrumentum fuit in operando miracula, at non in caeteris omnibus, non in exercendo virtutes, non in merendo, non in satisfaciendo. Nam operatio meritoria seu satisfactoria procedebat utique ab humanitate tamquam a causa principali, et solum ei accedebat ex divinitate unita infinitus valor, per modum simplicis resultantiae a dignitate suppositi. Ergo, si per instrumentum large intelligas id cuius operatio a superiori causa vel dirigitur, vel dignificatur, aut ei utcumque subordinatur, sic profecto humanitas Christi in omnibus fuit instrumentum divinitatis. Minime vero, si stricta sit vocabuli usurpatio, pro eo omni et solo quod movetur ad agendum aliquid ad quod non habet proportionatam virtutem vel naturae vel gratiae.

Ad 3um dicendum quod operari sequitur esse, in quantum prius est esse secundum aliquam naturam quam per eam operari; non autem in quantum unitas operationis exigitur ad unitatem suppositi sicut unitas essendi. Ratio est quia actus essendi se habet ut constitutivum hypostasis, imo ut ultimus terminus eius, et ideo, cum rei indivisio fundetur supra unitatem termini ultimo complentis et constituentis ipsam, patet quod personae unitas requirit unitatem ipsius esse substantialis. Sed operatio se habet ut quidam effectus personae secundum naturam in qua est, et quia multiplicitas effectuum non praeiudicat unitati causae, ideo operationum pluralitas non praeiudicat unitati personali. Quin imo necessario sequitur pluralitatem naturarum in quibus contingeret unum idemque suppositum subsistere, eo quod natura dicit radicale principium virtutis, cuius actualitas est operatio. Quare S. Thomas in III, D. 18, q. 1, a. 1, ad 3um: « Unitas « rei consequitur esse suum; unde eodem modo praedicatur de « re ens et unum quod convertitur cum ente. Non autem ex « actione sua habet res unitatem. Et ideo non potest esse, quod « sit suppositum unum, et *esse* eius non sit unum; potest autem « esse quod sit suppositum unum, et actio eius non sit una ».

Ad 4um denique dicendum quod unitas quam signat operatio theandrica, illa est qua dicitur aliquid ordine unum, non vero unum simpliciter, ut declaratum est supra de voluntate. Hinc Damascenus, de fide orth. l. 3, c. 19: « Nihil igitur aliud thean- « drica actio declarat, quam quod Deo facto viro, hoc est, incar- « nato, humana quaeque ipsius actio divina erat sive deificata, « nec divinae ipsius operationis expers. Rursumque divina ipsius « actio, humanae ipsius actionis exsors non erat, verum utra- « que una cum altera considerabatur. *Porro modus hic loquendi* « περὶφρᾶσις *dicitur, quando quis duo quaedam una dictione com-* « *plectitur*. Quemadmodum enim igniti gladii incisam unam ustio- « nem atque inustam sectionem dicimus, et tamen sectionem « distinctam ab ustione esse, necnon alius aliusque naturae « asserimus, (ignis nempe ustionem ac ferri sectionem): ad « eumdem modum theandricam unicam Christi actionem dicentes, « duas ambarum ipsius naturarum actiones intelligimus: divi-

« nitatis videlicet ipsius divinam, humanitatis autem humanam « actionem ».

COROLLARIUM.

Ad operationem theandricam maxime pertinet satisfactio qua Christus condigne satisfecit pro peccatis nostris, necnon et meritum quo generi humano meruit restitutionem gratiae.

Ex dictis sequitur, operationem theandricam in triplici ordine considerari: in ordine moralis perfectionis, in ordine immutationis rerum exteriorum, denique in ordine satisfactionis et meriti apud Deum. Primo modo, operatio theandrica exhibet summum illud ac supremum sanctitatis exemplar quod in Christo toti generi humano illuxit. Secundo modo, dicit illam miraculorum operationem quam supra descripsit Chrysostomus, Homil. 12 in Ioan. circa finem. Tertio demum modo, dicit satisfactionem per quam sublatum est peccatum mundi, necnon et meritum quo homini lapso restituta est gratia.

Porro, si solum attenderemus splendorem qui nostrae mentis oculos percellit, duobus prioribus modis potissimae partes indubitanter essent attribuendae. Nam in his operatio theandrica sic est effectus incarnationis, ut sit etiam quoad nos maximum eius signum: signum dico faciens incarnationem evidenter credibilem et credendam, ut in tertia huius operis parte exponetur. Nunc autem in tantum dicimus Christi satisfactionem ac meritum ad operationem theandricam *maxime* pertinere, in quantum non potuisset esse *quocumque modo* nisi ab Homine-Deo. Dum contra, norma sanctitatis et miraculorum operatio quae in Christo fuit, non tam necessario nexu cum unione personali naturae creatae ad Deum connectitur.

Sane vero, potuisset Deus *de potentia absoluta* aliquem purum hominem tanta gratia honestare, eiusque actiones ita in omnibus regere et moderari, ut homo ille supra omnes particulares humanae naturae categorias emergens, fieret toti generi humano divinum quoddam virtutis exemplar, a cunctis et singulis imita-

bile, a nullo aequatum, ab omni sancto participatum, mensura sanctitatis se habente iuxta mensuram imitationis, sicut reipsa contigit in Christo. Potuisset etiam *de eadem potentia absoluta,* per eumdem purum hominem tamquam per instrumentum separatum, operari tot et tanta quae per assumptam humanitatem de facto operatus est: puta suscitare mortuos, sanare infirmos, elementis mundi imperare, daemones expellere, et alia innumera patrare mirabilia quae leguntur in evangelio. Sed ad dignam satisfactionem pro peccato absolute requirebatur instrumentum coniunctum, quia omnino opus erat actione satisfactoria naturae creatae, cui infinitus valor accederet ratione unionis ad divinam hypostasim. Bene ergo dicitur satisfactio huiusmodi operatio theandrica per excellentiam.

Huic etiam accensetur meritum quo gratia generi humano restituta est. Nam etsi per se loquendo, de condigno merito gratiae non sit eadem ratio, (quandoquidem nihil repugnat, Deum ordinare et acceptare opera purae creaturae ad merendum etiam aliis supernaturalem beatitudinem), tamen in ordine rerum a divina Sapientia praestituto, causa meritoria gratiae non potuit esse nisi Deus incarnatus. Primo quidem quia meritum a satisfactione dependebat, et per modum unius cum ea exigebatur. Secundo etiam, quia meritum purae creaturae, utpote meritum personae finitae, non potuisset adaequare gratiam prout toti naturae restituendam. Cum enim individua humana sint per se in infinitum multiplicabilia, requirebatur meritum quod nunquam posset exhauriri, cuiusmodi non est nisi meritum Hominis-Dei. Hinc S. Thomas supra, q. 1, a. 2 ad 1^{mu}: « Nec bonum alicuius « personae, vel etiam plurium, poterat per aequiparantiam, totius « naturae detrimentum compensare ».

Sic igitur ex praedictis habes quid sibi velint Doctores, cum de operatione theandrica loquentes, maxime insistunt in hoc quod actiones et passiones humanitatis Christi nobis *salutares* fuerunt. Caeterum, de ipsa operatione humana in quantum fuit meritoria tum ipsi Christo tum nobis omnibus, ut habetur in articulis 3 et 4 huius quaestionis, commodius disputabitur infra,

Qq. 48-49, ubi de efficacia sacrificii crucis. Interim vero, sufficiet animadvertere duo.

Primo, operatio humana in Christo non fuit ei meritoria quoad beatitudinem essentialem, sed quoad sola beatitudinis accidentalia. Ita S. Thomas in art. 3. Et ratio est quia nemo ordinatur ad merendum id quod iam habet. — Dicet tamen aliquis: Cum beatitudo possit pluribus titulis haberi, puta titulo haereditatis et titulo praemii, nihil prohibebat quominus Christus mereretur beatitudinem essentialem, licet vel ab initio iure filiationis habitam. — Verum, etsi hic dicendi modus non possit forsitan evidenti argumento refelli, est tamen praeter dicta Sanctorum et universalem theologorum doctrinam. Et re quidem vera, satis intelligitur aliquid duplici titulo dari, *quando datur;* non autem intelligitur iterum dari quacumque ratione id quod iam semel immobiliter datum est. Sed quidquid non potest amplius dari, nec etiam potest merito acquiri, cum haec duo correlativa sint. Hinc theologi inter conditiones necessarias ad meritum, communiter ponunt statum viatoris, scilicet ut sit homo in via ad illud ipsum quod merito acquirendum est. Quia igitur Christus non fuit in via nisi respectu solius beatitudinis accidentalis, ideo ad hanc solam promerendam potuerunt eius opera ordinari, iuxta illud Philipp. II, 8-9: « Humiliavit semetipsum..., « propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen « quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu « flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum » (1). Sed hinc aestimabis quanta sit haec beatitudo quae dicitur accidentalis, cum addat supra beatitudinem essentialem, totam differentiam quae est inter Christum in cruce patientem et Christum venientem in iudicio iudicare vivos et mortuos, ad instaurationem regni cuius non erit finis.

Secundo, operatio humana Christi fuit meritoria *nobis*, to-

(1) Tota haec consideratio procedit de merito personali, quod se habet ad praemium ut causa efficiens disponens, et non potest esse eo posterius, ordine temporis. Nunc autem alia est ratio de merito Capitis quoad homines universos, ut expositum est in tractatu de Sacram. in gen., Quaest. 62, in prolegomeno.

tius gratiae et beatitudinis [1]. In quo quidem insignis attenditur differentia inter Christum et puros homines. Aliorum enim hominum merita non ordinantur a Deo nisi ad propriam ipsius operantis beatitudinem, quia unicuique reddet Deus secundum opera sua, et per praemium vitae aeternae quod singulis retribuitur pro suorum valore meritorum, prorsus exhauritur valor ille qui finitus est. Quoties igitur nobis prodesse dicuntur merita sanctorum, aut sumuntur merita materialiter, id est, non sub formalitate meriti, sed sub formalitate satisfactionis pro poena temporali peccatorum, aut si sumuntur formaliter, sic nobis non prosunt nisi in quantum reddunt sanctos magis idoneos ad impetrandum. Nam sicut apud homines, tanto efficacius aliquis pro amicis apud alium intercedit, quanto melius de eo meritus fuerit, ita contingit et apud Deum. Ipsa tamen sanctorum merita nobis non applicantur ut condignum pretium pro dono gratiae vel gloriae, cum unusquisque retributionem a Deo consecuturus sit, prout gessit in corpore, sive bonum sive malum. At de Christo alia ratio est. Constitutus est enim caput super homines in ordine ad restaurationem gratiae, sicut Adam fuit caput in ordine ad conservationem vel amissionem originalis innocentiae in humano genere. Eodem itaque pacto quo peccatum Adae extenditur ad posteros, ita meritum Christi extenditur ad genus universum, et sic patet quod operatio eius fuit nobis meritoria. Cf. Rom. V, 18-19.

Verum non oportet in praesenti descendere ad rationem et modum meriti vel satisfactionis Christi in sua habitudine ad iustificationem nostram: iustificationem dico tam sacramentalem quam extrasacramentalem. Nam huic doctrinae specialis assignatur locus in quaestionibus de passione Dominica, ubi solvetur difficultas quam obiter tangit S. Thomas in responsione ad 3um, itemque ostendetur qui fiat ut meritum Capitis non excludat propria merita membrorum, sed imo merita et satisfactiones nostrae dicantur niti meritis et satisfactionibus Christi.

[1] Hic, art. 4.

QUAEST. XX-XXIV.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO PER COMPARATIONEM AD DEUM PATREM.

Agitur hic, saltem principaliter, de iis quae conveniunt *Christo homini qua tali* per comparationem ad totam Trinitatem, adeoque et ad seipsum prout unum e suppositis naturae divinae est. Sed quia nos non habemus exemplum unius personae in duplici natura subsistentis, et non facili negotio circumloquimur relationem eiusdem ad seipsum secundum aliam et aliam naturam, ideo relationes et officia quae homini Christo competunt respectu divinitatis in quibuslibet suppositis suis, solemus transferre ad solam personam Patris, sicut ipse nos Christus docuit in evangelio. Hac enim ratione, et vitatur periculum insinuandi distinctionem personae Christi a persona Verbi, et simul perspicuitati sermonis consulitur, ac demum adhibetur modus loquendi fundatus in natura rerum. Cum enim Pater sit principium in divinis, recte ea quae divinitatis sunt solent ei appropriari.

Primo igitur agendum est de convenientibus Christo secundum quod Patri fuit *subiectus*. Hinc:

THESIS XXXII.

(Quaest. 20).

Christus secundum naturam humanam est subiectus Patri, imo et sibi ipsi prout una cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina praeest ac dominatur. Quare toti Trinitati salutare offerre sacrificium, et iustam pro peccatis satisfactionem potuit exhibere.

Hic primum omnium est observandum, iura et officia attribui hypostasi ratione naturae: naturae, inquam, consideratae vel in communi secundum suam speciem, vel in singulari secundum in-

dividuales determinationes quibus in supposito afficitur. Nam Socrati determinata quaedam competunt officia et iura quia habet naturam humanam; quaedam vero alia quia naturam humanam habet, his vel illis conditionibus individualibus differentiatam. Horum ratio est quia ius vel officium non consequitur hypostasim praecise quia hypostasis est, (nam et equus et bos et planta hypostases sunt, quin tamen ullius iuris vel officii capacia exsistant), sed consequitur hypostasim praecise quia talis naturae est. Ex quo fit ut pro sola diversitate vel specifica vel numerica naturarum, diversificetur etiam ius vel officium quod competit hypostasibus. Et ideo, ubi dantur plures hypostases in una numero essentia subsistentes, unum sane atque indivisibile ius est eis attribuendum. Et contra, si detur una hypostasis in duabus naturis, erit distinctio iurium vel officiorum secundum distinctionem naturarum.

Quibus praesuppositis, dicendum primo est quod Christus in natura humana est subiectus Patri, quia cuilibet habenti naturam conveniunt ea quae propria sunt huic naturae. Sed est proprium naturae humanae, quod habeat subiectionem ad Deum, et maxime secundum officium serviendi. Ergo Christus secundum humanitatem (quae determinatio semper convenientius apponitur ad vitandum errorem tam antiquorum quam modernorum Arianorum), est subiectus Patri. Unde Isai. XLII-1, de Christo legitur: « Ecce *servus meus,* suscipiam eum, electus meus, com-« placuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, « iudicium gentibus proferet ». Et infra, XLIX-5: « Et nunc dicit « Dominus formans me ex utero *servum sibi* ». Et Zach. III-8: « Ecce enim ego adducam *servum meum* Orientem ». Quo autem sensu damnata sit in Adoptianis *servi* appellatio (1), dicetur infra, Quaest. 23, ubi de filiatione Christi.

Sed nec minus evidens est quod secundum naturam in qua convenit nobiscum, subest Christus et servit *sibi ipsi* secundum quod in divinitate convenit cum Patre, simulque cum eo praeest et dominatur. Unum enim est dominium, unum ius, una operatio

(1) Enchirid. n. 258.

Trinitatis, ut ex praemissis constat; et quidquid boni habet Christus qua homo, habet causatum a seipso qua Deo, indivisibiliter cum Patre et Spiritu Sancto operante. Quia ergo subiectio et servitus nos ad Deum obligans fundatur super receptionem totius boni a Deo, prima causa et primo principio rerum omnium, constat quod dicta servitus fuit in Christo homine, etiam respectu sui qua Deus est. Sed hoc non facile sermone humano explicatur, quandoquidem esse dominum et esse servum attribui solet distinctis suppositis; hic autem exemplo prorsus singulari, attribuitur uni eidemque hypostasi secundum diversas naturas.

Hinc sequitur Christum hominem toti Trinitati obtulisse sacrificium. Est enim sacrificium cultus praestitus Deo, ut habenti supremum dominium totius universi. Sed in hoc dominio supremo Christus qua homo nullatenus communicat, imo est ei obnoxius. Nihil ergo obstabat quominus in forma servi, hoc est, ut suppositum naturae humanae, vitam offerret in recognitionem dominii Trinitatis, licet in forma Dei, hoc est, ut divinitatis suppositum, esset una e personis quibus praedictus sacrificii cultus deferebatur.

Simili quoque modo Christus qua homo non communicat in iure quod laeditur per peccatum qua peccatum est. Peccatum enim formaliter consideratum, est offensa Dei et contra legem Dei; violatio autem iuris creaturae non habet peccati rationem nisi in quantum est contra ordinem finis ultimi, et lege aeterna prohibetur. Si igitur Christus ut creatura non communicat in iure quod laeditur per peccatum, nihil prohibuit quominus illud resarciret per veram satisfactionem, quamvis hoc ipsum ius ei competat secundum quod Deus est. Hac enim ratione adhuc servatur modus et ratio iustitiae prout haberi potest relate ad Deum, dum per aliquam naturam subiectam restituitur debitus honor divinitatis. Nec oportet ibi argumentari ex auctoritate Aristotelis dicentis quod eiusdem ad seipsum non potest esse iustitia, quia, ut bene notat Suarez, de Inc. Disp. 4, Sect. 5, Aristoteles « non « intellexit duas naturas habentes voluntates liberas et propria « dominia suorum actuum, posse in eodem supposito convenire. « Tamen supposito hoc mysterio, dicendum est hanc distinctio-

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

« nem sufficere ut idem Christus in quantum homo sibi ut Deo « satisfaciat, et ibi intervenire sufficientem rationem ad alterum, « quia per diversas voluntates liberas satisfactio offertur et ac- « ceptatur... etc. ».

Sed cuicumque competit subiectum esse, competit etiam orare eum cui subiectus est. Ergo ordine logico sequi debet consideratio de *oratione* Christi.

THESIS XXXIII.

(Quaest. 21).

Christo secundum quod est homo et humanam voluntatem habens, competit orare. Orare autem tam pro se quam pro aliis, et omnis oratio eius fuit exaudita.

Videretur tamen dicendum quod Christo non competit orare, quia oratio est quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum ut eam impleat, sicut dicitur hic, art. 1 in corp. Sed quidquid absolute volebat Christus, hoc sciebat divinam voluntatem velle. Ergo non oportebat quod de hoc ipso rogaret. Similiter pro certo sciebat circa omnia, quid esset futurum. Ergo sequitur eadem conclusio, quia de iis quae sciebat non futura, insipienter rogasset; de aliis vero inutiliter, sicut non oramus ut sol oriatur cras.

Praeterea nemo rogare debet illud ad quod habet potentiam. Sed Christus ut homo habuit potentiam ad facienda omnia ordinabilia ad incarnationis finem. Ergo illa non debuit rogare. Sed nec etiam alia, quia alia non pertinebant ad opus de quo scriptum est, Is. LXII-11: « Ecce Salvator tuus venit... et opus « eius coram illo ».

Praeterea si Christo competeret orare, recte diceretur: Christe, ora pro nobis. Sed ab hoc Ecclesia abhorret, cum ubique dicat: *Christe, audi nos,* vel: *miserere nobis.*

Sed si opponatur auctoritas evangelii, saltem fatendum erit quod non omnis oratio Christi fuit exaudita. Nam, Luc. XXII-42, rogavit ut transiret a se calix, et non impetravit. Rursus, Psalm.

XXI-3, in persona eius dicitur: « Clamabo per diem, et non « exaudies ». Item rogavit pro crucifixoribus ut peccatum eis non imputaretur, nec tamen omnes conversi sunt ad fidem, sine qua peccatorum remissio non est. Denique rogavit ut discipuli servarentur a malo, cum omnibus qui credituri erant per verbum eorum in ipsum; hoc autem non fuit impletum, saltem quantum ad omnes credentes. Ergo non omnis oratio Christi fuit impleta.

Sed contra est primo, quod omnes fere paginae evangelii attestantur Christum orasse. *Erat pernoctans in oratione Dei* (Luc. VI-12). *Ascendit in montem solus orare* (Matth. XIV-23). *Facta est, dum oraret, species eius altera* (Luc. IX-20). *Iesu baptizato et orante, apertum est coelum, et descendit columba in ipsum* (Luc. III-21). *Cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare* (Luc. XI-1), etc. Certo ergo certius Christo est attribuenda oratio. Et huius rei ratio est, quia cuicumque competit velle aliquid quod per propriam virtutem implere non potest, ei etiam competit, humiliter petendo, explicare suam voluntatem apud eum qui eam implere potest. Voluntas autem humana Christi non est per seipsam efficax ad implendum omnia quae vult, ut supra dictum est, ubi de potentia animae Christi. Ergo, etc.

Nunc autem oravit tum pro se, tum pro aliis. Pro se quidem, nam sicut in humana natura quaedam bona habebat a Patre iam percepta, ita etiam expectabat ab eo quaedam bona nondum habita, sed percipienda. Unde pro bonis iam perceptis gratias agebat (Matth. XXVI,27, Ioan. XI-41), et a Patre orando petebat ea quae adhuc sibi deerant, iuxta illud Heb. V-7: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Sed si ei competebat orare pro se, quanto magis pro aliis; de quo vide Ioan. XVII per totum.

Denique, omnem suam orationem fuisse exauditam, (intelligendo illam orationem quae fuit interpres absolutae voluntatis), ipse Dominus testatur Ioan. XI, dicens: *Ego sciebam quia semper me audis.* Et ratio etiam in promptu est, quia ut dicitur hic,

art. 4, « secundum voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit « nisi quod scivit Deum velle, et ideo omnis absoluta voluntas « Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, « et per consequens, omnis eius oratio fuit exaudita ».

Ad 1um ergo dicendum quod etsi Christus ut homo nihil absolute voluerit nisi quod sciebat esse secundum beneplacitum divinae voluntatis, tamen sciebat etiam divinitatem velle hoc impleri per suam orationem. Et similiter, licet nihil absoluta voluntate rogaverit nisi quod sciebat esse futurum, nihilominus non inutiliter adhibuit orationem, quia scivit quaedam esse futura dependenter ab oratione sua, et suam orationem esse causam mediam ad dictos futuros effectus. Porro stulti est velle effectus sine causis mediis, sicut velle colligere frumenta sine seminatione. Huc facit id quod dicitur l. 3 cont. Gent. c. 96: « Ostensum « est quod divina providentia causas alias non excludit; quin « potius ordinat eas ad hoc quod ordo quem apud se statuit, « rebus imponatur; et sic causae secundae providentiae non re- « pugnant, sed magis providentiae exsequuntur effectum. Sic « ergo orationes apud Deum efficaces sunt, non tamen ordinem « immutabilem divinae providentiae solvunt, quia et hoc ipsum « quod tali petenti hoc concedatur, sub ordine divinae pro- « videntiae cadit. Simile est ergo dicere, *non esse orandum ut « aliquid consequamur a Deo* quia ordo suae providentiae est « immutabilis, *ac si diceretur quod non esset ambulandum ut per- « veniamus ad locum, nec comedendum ut nutriamur*. Quae omnia « patet esset absurda ». Sed quaedam sunt quae praeordinantur facienda independenter ab orationibns nostris, sicut quod sol oriatur cras, et pro huiusmodi inutilis foret oratio.

Ad 2um dicendum quod anima Christi habuit potentiam ad omnes immutationes ordinabiles ad incarnationis finem, non tamen per propriam virtutem, sed per virtutem divinitatis, cuius fuit rationale instrumentum. Unde ratio non procedit.

Ad 3um dicendum quod Christo non competit orare secundum principalem naturam quae in eius persona est; et ideo ad discriminandam personam Christi a puris creaturis, non consuevit Ecclesia dicere: Christe, ora pro nobis. Et tamen apostolus, Hebr.

VII 25, ait: *Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Ad 4um denique dicendum quod non oportet ut Christus fuerit exauditus in his quae volebat non simpliciter, sed solum secundum quid, ea scilicet voluntate quae dicitur ut natura, et in absolutam non transit, propter superiores fines quos ratio considerat. Et hoc modo intelligenda est oratio qua in horto oravit Dominus ut transiret a se calix. Quam tamen non inutiliter aut insipienter fudisse dicendus est, cum per illam nos docuerit omnem hominis voluntatem ac repugnantiam Deo esse subdendam, et in omnibus necessitatibus ad eum esse recurrendum, a quo est expectanda gratia in auxilio opportuno. Unde in Psalmo subiungitur: « Clamabo per diem et non exaudies, et « nocte, *et non ad insipientiam mihi* ». Similiter, voluntate antecedente volebat salutem omnium, non autem voluntate consequente. Porro voluntas antecedens non fuit pura et sterilis velleitas, sed voluntas absoluta sufficientium mediorum salutis. Pro omnibus igitur petiit Christus salutem quoad sufficientiam, pro aliquibus tantum quoad efficaciam, et utroque modo fuit exauditus pro sua reverentia.

Nota. — Occasione eorum quae hic dicuntur de oratione Christi, iuvabit considerare quam perfectus ipse nobis magister orationis exstiterit (Matth. VI, 9-13), et quam vere dixerit Augustinus, nos si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere posse quam quod in ista oratione dominica positum est.

Etenim: « Quia ratio est quodammodo desiderii nostri in- « terpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quae recte « desiderare valemus. In oratione autem dominica, *non solum « petuntur omnia quae recte desiderare possumus, sed etiam eo or- « dine quo desideranda sunt,* ut sic, haec oratio non solum instruat « postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus.

« Manifestum est autem quod primo cadit in desiderio no- « stro finis, deinde ea quae sunt ad finem. Finis autem noster « Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter. Uno quidem « modo, prout volumus gloriam Dei. Alio modo, secundum quod « volumus frui gloria eius. Quorum primum pertinet ad dilectio-

« nem qua Deum in seipso diligimus, secundum vero ad dilectio-
« nem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur:
« *Sanctificetur nomen tuum,* per quam petimus gloriam Dei. Se-
« cunda vero ponitur: *Adveniat regnum tuum,* per quam petimus
« ad gloriam regni eius pervenire.

« Ad finem autem praedictum nos ordinat aliquid dupliciter:
« uno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem,
« bonum quod est utile in finem. Est autem aliquid utile in finem
« beatitudinis dupliciter. Uno modo directe et principaliter se-
« cundum meritum quo beatitudinem meremur, Deo obediendo,
« et quantum ad hoc ponitur: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et*
« *in terra.* Alio modo instrumentaliter, et quasi coadiuvans nos ad
« merendum, et ad hoc pertinet quod dicitur: *Panem nostrum quo-*
« *tidianum da nobis hodie,* sive hoc intelligatur de pane sacramen-
« tali cuius quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelli-
« guntur omnia alia sacramenta; sive etiam intelligatur de pane
« corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus.

« Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remo-
« tionem prohibentis. Tria autem sunt quae nos a beatitudine
« prohibent. Primo quidem peccatum quod directe excludit a regno,
« et ad hoc pertinet quod dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.*
« Secundo tentatio quae nos impedit ab observantia divinae vo-
« luntatis, et ad hoc pertinet quod dicitur: *Et nè nos inducas in*
« *tentationem,* per quod non petimus ut non tentemur, sed ut a
« tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. Tertio
« poenalitas praesens ut quae impedit sufficientiam vitae, et
« quantum ad hoc dicitur: *Libera nos a malo* ». Ita S. Thomas, 2-2, q. 83, a. 9.

Quae si quis recte consideret, perspiciet quam vere haec oratio, *dominica* dicatur et sit. Non enim hominis fuit tam paucis tamque simplicibus verbis quae docti capiunt pariter et indocti, tot tantasque profunditates comprehendere. Ibi scilicet totius humanae vitae directio; ibi ordo finis ultimi, et subordinatio mediorum ad ipsum; ibi revelatio supremi exitus omnium bonorum et malorum huius mundi; ibi simplificatio humani affectus ad normam consummatae sapientiae; ibi medulla totius perfectionis

moralis; ibi assignatio verae relationis hominis ad Deum, quae nec per irreverentiam effluat, nec per inordinatum timorem deprimatur. Ibi ergo signum divinitatis omnem humanam mensuram excedens, quod quisquis non miratur, necesse est ut vel intellectu penitus careat, vel sit in summo intelligentiae, aut bellua exsistens, aut Deus ([1]).

Sed considerationem orationis Christi, sequitur consideratio *sacerdotii* eius, cum sacerdos sit publicus orator hominum apud Deum. Hinc:

THESIS XXXIV.

(Quaest. 22).

Christus constitutus est in Ecclesia summus sacrorum minister et sacerdos in aeternum. Est autem ipsemet hostia sacerdotii sui, cuius effectus in vera peccatorum expiatione et in adeptione bonorum aeternorum consistere dicendus sit.

Sacerdos dicitur mediator inter Deum et populum, ea quae hominum sunt deferens ad Deum, et vicissim ea quae Dei sunt

([1]) Sane vero, si quid unquam philosophi in integris voluminibus de beata vita et fine hominis ultimo qualicumque modo disputaverunt, hisce paucis versiculis orationis dominicae comparatum, evanescit sicut in sereno die, comparente sole, fumosae laternae lux consumitur. Quis unquam vel a longe sic determinavit regulam summae sapientiae? Quis inter philosophos vel suspicatus est, debere primo cadere in desiderio nostro intentionem gloriae Dei, et reliqua huic subordinari? Quis reposuit in adimpletione divinae voluntatis rationem perfectionis? Quis praesertim cogitavit nos debere petere a Deo ut ipse nos faciat facere voluntatem suam, et hoc ipsum esse maximam gratiam illius qui operatur in nobis et velle et perficere? Si voluntas tua est, diceret quispiam humano sensu ductus, procura quo melius poteris, ut fiat; sed quod ego debeam a te implorare ut fiat, et expectare a te ut per me fiat, absit! Irridens Tullius Cicero aiebat neminem sic unquam adeo desipuisse, ut a diis peteret virtutem. Dominus autem: *Vos autem sic orabitis: Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra,* sublimiter edocens, ipsum bonum usum liberi nostri arbitrii esse donum descendens a Patre luminum. Denique, ineffabili simplicitate et terminum beatitudinis ostendit, et viam sternit, et impedimenta monstrat, ut simul videant tam docti quam indocti, tam sublimes quam lippientes animae, *quo* et *qua* tendendum sit.

deferens ad homines. Quorum primum maxime praestat per oblationem sacrificii, quod est cultus publicus per excellentiam; alterum vero per dispensationem sacramentorum. Principaliter tamen consideratur in sacerdote officium deferendi Deo cultum nomine communitatis ex qua fuit assumptus, teste apostolo ad Hebr. V-1, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Christum igitur iureiurando Dei, hoc est immobili consilio constitutum fuisse sacerdotem summum ac supremum, notissima Scripturae testimonia demonstrant. Vide potissimum Hebr. V, 5-6, ibid. VII-21, et iterum VIII-2, quo in loco vocatur Christus των αγιων λειτουργὸς hoc est, publicus sacrorum minister, principalitatem obtinens respectu omnium qui deserviunt in tabernaculo vero « quod fixit Deus et non homo »: puta in Ecclesia Dei vivi quae tabernaculo Mosaico seu templo umbratili Veteris Testamenti opponitur. Quapropter in tractatu de sacramentis ostendi solet quod omnes characteres sacramentales quibus deputamur ad actiones sacras secundum ritum christianae religionis, sunt quaedam configurationes ad sacerdotium Christi, quatenus monstrant animam obligatam Christo sacerdoti in ordine ad servitium cultus Dei, eo fere pacto quo antiquitus character militiae ostendebat militem obligatum imperatori in ordine ad servitium militare. Atque hoc modo toti multitudini christianae, in quantum per characteres sacramentales hierarchice in varios ordines et gradus distribuitur sub summo hierarcha ac principe Christo, congruit illud Cantic. VI-3: « Terribilis ut castrorum acies ordinata ». Et iterum illud Num. XXIV-5: « Quam pulchra tabernacula tua, « Iacob, et tentoria tua Israel! » Caeterum Christus unctus est sacerdos per ipsam unionis gratiam per quam habet potestatem ad omnia munera sacerdotii, ut evidentius apparebit ex dicendis in Quaest. 26, et ideo dicitur *factus Pontifex per eum qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Nec tantum factus est summus sacerdos, sed etiam sacerdos in aeternum. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Quod superius etiam ostenderat apostolus ex typica similitudine Mel-

chisedech, considerans qualiter introducatur Melchisedech sacerdos, quin ulla mentio fiat de genealogia eius, de initio dierum et de fine vitae, de praedecessore et de successore in sacerdotio, idque praeter morem circa alios in Scriptura usitatum. Sed hoc totum non verificatur realiter nisi in Christo, qui cum sit sine matre secundum divinitatem, et sine patre secundum humanitatem, generationem habens utroque modo ineffabilem, reipsa nullam habuit in suo sacerdotio vel praedecessorem vel successorem; sed ipse unus, semel pontificatum adeptus, in eius possessione manet usque in finem. Quare, haec inter novam legem et antiquam attendenda differentia est, quod in antiqua lege sacerdotium summum ab uno in alium iure successionis transibat; in lege autem nova summum sacerdotium est et manet penes unum Christum. Unde evangelici sacerdotes sunt essentialiter sacerdotes vicarii, per characteris impressionem in potestate constituti. Est enim character ex sua propria ratione, potentia ministerialis involvens relationem ad Christum principem, cuius nomine et delegatione agit quisquis charactere signatur. Ideo Christus semper administrat sacerdotium suum, ea quae ad illud pertinent per suos ministros iugiter adimplens.

Cum autem principalis sacerdotii actus sit oblatio sacrificii, oportuit et Christum *habere aliquid quod offerat,* ut dicitur Hebr. VIII-3. Et quia in praesenti statu naturae lapsae, praeter adorationem latriae quae semper debetur Deo, attenditur etiam in sacrificio restitutio honoris laesi per peccatum, unum obtulit Christus sacrificium satisfactorium pro peccato, et aliud instituit suo nomine iugiter in Ecclesia celebrandum, tum ad perennem Dei cultum, tum ad applicationem satisfactionum et meritorum crucis. Utroque autem modo ipse est res oblata, ipse offerens saltem principalis, omni alia hostia in perpetuum abrogata, ut aperte colligitur ex apostolo, Hebr. VIII-X.

Tandem, effectum sacerdotii Christi esse veram expiationem peccatorum, ex professo l. c. demonstrat Paulus, ubi etiam peccatorum emundationi adiungit adeptionem bonorum aeternorum dicens: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum,* etc. Caeterum de his conferenda

sunt, tum quae infra exponentur de passione et sacrificio crucis, tum quae circa sacrificium Eucharistiae alias declarabuntur.

Nunc autem, ut absolvantur ea quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem, de eius filiatione necnon et praedestinatione superest disputandum.

THESIS XXXV.

(Quaest. 23).

Christus qui est Filius Dei naturalis, nullo modo dici potest adoptivus. Sed nec suscipit denominationem filii secundum quamcumque aliam diminutam, imperfectam, et participatam rationem filiationis.

De adoptione divina in genere disserit S. Thomas in tribus primis articulis huius quaestionis. Ubi sciendum est, adoptivum dici eum qui non genitus ab adoptante, ac per hoc, ei extraneus, ab eo assumitur ad iura filii, et maxime ad ius haereditatis. Quapropter adoptio definiri solet, personae *extraneae* in filium et haeredem gratuita assumptio, ut iam in superioribus notatum fuit. Est autem inter adoptionem divinam et adoptionem humanam haec maxima differentia, quod prior illa ponit aliquid intrinsecum in anima, elevando eam ad quamdam participationem naturae adoptantis; secus vero haec posterior. Et ratio est quia haereditates hominum in auro et argento et titulis et praediis consistunt; porro ad haec possidenda, manens id quod est, quis non idoneus? Non sic autem est de haereditate Dei, quia haereditas Dei metaphorice dicitur quo ipse est dives. « Id autem « quo Deus dives est, est perfruitio sui ipsius, quia ex hoc beatus « est. Unde in quantum hominibus *qui ex naturalibus ad illam « fruitionem pervenire non possunt,* dat gratiam (per quam veluti « novam naturam consequuntur).... secundum hoc dicitur ali- « quem in filium adoptare» (1). Caeterum constat quod divina adoptio est a tota Trinitate, cum sit quaedam effectio ad extra; et quia

(1) S. Thom. in III, D. 10, q. 2, a. 1.

relatio filiationis terminatur ad principium a quo filius procedit, manifestum est quod adoptio ponit in adoptato relationem cuius tota Trinitas terminus est. Ideo docet S. Thomas in prima Parte, Quaest. 33, a. 3, hoc nomen *Pater* dupliciter sumi in divinis: essentialiter scilicet, et personaliter. Personaliter sumptum, ponit realem relationem ad intra, qua persona Patris ad Filium sibi consubstantialem refertur. Essentialiter vero acceptum dicit relationem rationis quae cointelligitur reali relationi, qua nos adoptivi referimur ad Deum unum in essentia et trinum in personis.

Sed his de adoptione generatim praesuppositis, quae etiam aliis analogicis rationibus filiationis proportionaliter applicari possunt: quid de Christo in hac parte specialiter tenere oporteat, nunc venit declarandum.

Videretur ergo, quod Christus dici possit et debeat filius Dei adoptivus. Primo quia in Scriptura (Isa. XLII-1, et Zach. III-8), vocatur *servus*. Cum igitur servus sit infra filium adoptivum, multo magis vocari potest adoptivus.

Secundo, quia Filius Dei naturalis est genitus, non factus; adoptivus vero est factus, non genitus. Sed Christus qua homo est factus, iuxta illud Galat. VI-4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Igitur, sicut est Filius Dei naturalis prout subsistens in natura divina, ita et adoptivus prout subsistens in humana.

Tertio, quia qua homo non est immensus, nec aeternus, nec invisibilis, etc. Ergo nec naturalis filius; ergo adoptivus.

Quarto, quia qua homo est naturalis filius Virginis. Sed impossibile est ut secundum idem sit naturalis filius hominis, et naturalis Filius Dei. Ergo dicendum est quod qua homo est naturalis filius hominis, et adoptivus Filius Dei.

Accedit denique, quod Luc. I-35, dicit Angelus ad Virginem: *Spiritus Sanctus superveniet in te..., ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Ubi filiatio asseritur, quae suam rationem habet in hoc quod per operationem Spiritus Sancti factum est corpus Christi, sicut patet ex particula causali *ideoque*. Atqui conceptio virginalis de Spiritu Sancto non potest esse ratio cur Christus dicatur naturalis filius Dei. Ergo pluribus

modis appellatio filii Dei convenit Christo: proprie quidem ut Deo, ratione generationis aeternae, et simul improprie ut homini, ratione conceptionis miraculosae in qua efficentia divina supplevit partes viri in generationibus ordinariis.

Sed contra est condemnatio haeresis Adoptianorum in Concilio Francofordiensi ab Adriano I confirmato: « Invenimus in « libelli vestri principio scriptum quod vos posuistis: Confite- « mur et credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine « initio ex Patre genitum, coaeternum et consubstantialem, non « adoptione, sed genere. Item post pauca, eodem loco legebatur: « Confitemur et credimus eum factum ex muliere, non genere « esse Filium Dei, sed adoptione; non natura, sed gratia. Ecce « serpens inter pomifera paradisi latitans ligna, ut incautos quos- « que decipiat. ».

Respondeo itaque dicendum quod Christus homo nullo modo dici potest adoptivus, nec sensu exclusivo, ut posuerunt Adoptiani, nec sensu cumulativo, sicut postea Durandus dixit, ponens Christum hominem posse dici simul et Filium naturalem ratione suppositi, et filium adoptivum ratione gratiae sanctificantis qua humana eius natura perficitur.

Excluditur primus dicendi modus qui nihil aliud est quam purus putidusque Nestorianismus. Si enim homo Iesus Christus est filius adoptivus tantum, ergo alia persona est a persona Unigeniti, et sic totaliter subruitur fides incarnationis.

Excluditur pariter alter dicendi modus, qui licet non haereticus sicut ille prior, at certe est erroneus, et ab omnibus theologis reiectus. Nec oportet specialiter curare de fundamento Durandi, cuius inanitas sufficienter patet ex alibi dictis ([1]), sed proponenda est radicalis ratio ex qua fit ut denominatio adoptivi sit omni ex parte incompossibilis cum filiatione naturali. Huiusmodi autem ratio hinc sumitur, quod filiatio non est denominatio quae conveniat immediate naturae, et mediate tantum hypostasi tanquam ultimo attributionis subiecto, sed quae per se primo afficit hypostasim. Nam si causam filiationis requiras,

([1]) Supra, thes. 16, § 1.

recte communicationem naturae assignas; si autem subiectum cui ipsa filiationis relatio nata est convenire, sic non assignatur nisi sola hypostasis. Hinc fit ut nusquam, et ne improprie quidem, natura etiam singularis appellationem filii suscipere possit. Quis enim, quaeso, ferret naturam dici filiam, tametsi dicatur rationalis, corporea, facta, subiecta, imo et serva? Si ergo Christus diceretur filius adoptivus, haec denominatio non caderet in personam eius mediante natura humana, sicut cum Filius Dei dicitur mortuus, passus, etc., sed primo et immediate afficeret suppositum. Atqui suppositum Christi nullo modo habet respectu Patris illam extraneitatem quam importat adoptio.

Insuper, « non recipitur aliquid participative dici, quod per « se dicitur ». Et ideo, ex hoc ipso quod hypostasi Christi convenit appellatio filii proprii et naturalis, excluditur denominatio adoptivi. Denique filius Dei adoptivus dicitur talis respectu totius Trinitatis. Esset itaque Christus filius adoptivus sui ipsius, quo nihil absurdius cogitari potest. Et eaedem ipsissimae rationes pariter excludunt omnem aliam impropriam ac participatam filii denominationem, ut cuique consideranti patebit.

Ad 1um ergo dicendum quod non est simile de filiatione et de servitute. Servitus enim seu subiectio ad Deum de sui ratione habet ut non solum de persona, sed etiam de natura qua tali dicatur: adeoque praedicari potest de hypostasi divina in natura creata subsistente, sicut quaelibet humanitatis proprietas de Verbo praedicatur. Sed filiatio non connumeratur inter proprietates seu idiomata naturae. Hinc in forma: Christus in Scripturis vocatur servus, *dist.* Ratione naturae assumptae, *conc.* Ratione suppositi, *neg.* Sed servus est infra filium adoptivum, *subd.* Si servus aliquis dicatur, etiam ratione suppositi, *conc.* Si solum secundum naturam assumptam, *neg.* Absit autem ut servitus praedicetur de Christo ratione hypostasis; hoc enim in Adoptianis reprehenderunt Patres Francofordienses. Unde non sequitur quod multo magis dici possit adoptivus, et ratio non concludit.

Ad 2um dicendum quod Christus non est factus secundum id quod est susceptivum denominationis filii. Sive enim consi-

deretur ut hypostasis naturae divinae, sive ut humanae, semper est hypostasis *simpliciter increata*, per naturalem generationem a Patre procedens, tametsi sit *factus secundum carnem*. Sed appellatio adoptivi poneret in eius hypostasi rationem extraneitatis, ac per consequens, effectionis simpliciter.

Ad 3um dicendum quod nulla est paritas inter idiomata naturae qua talis, et relationem filiationis quae hypostasim primo et immediate afficit, ut praemissum est.

Ad 4um dicendum quod ly *secundum idem* sumi potest vel sensu causali vel sensu specificativo. Si sumatur *sensu causali*, sic verum est quod secundum idem non potest esse Christus naturalis Dei et Virginis filius. Nam ideo filius Virginis est, quia naturam humanam habet sibi a Virgine communicatam; ideo filius Dei, quia habet naturam divinam a Patre per generationem aeternam. At vero, cum denominatio filii non cadat in naturam ut ex natura veluti resultet in hypostasi, sed primo attribuatur hypostasi subsistenti in natura, necesse est ut hypostasis aeterna quae naturali generatione a Deo et homine secundum aliam et aliam naturam procedit, sit secundum idem, *sensu specificativo*, naturalis filius tam Dei quam hominis. Unde cum dico, *Christus qua homo est filius Dei*, terminus *homo*, attenta conditione praedicati, resumitur ratione hypostasis; porro verum est quod *haec hypostasis naturae humanae* est hypostasis Filii Dei naturalis. Caeterum, filiatio humana non est in hypostasi Christi nisi relatio rationis, ut suo loco dicetur; filiatio vero divina est relatio realis, imo est per identitatem ipsa Filii persona. Hinc in forma: Impossibile est ut Christus secundum idem sit naturalis Dei et hominis filius, *dist.* Si ly *secundum idem* sumatur pro eo quod in causa est cur sit Dei pariter et hominis filius, *conc.* Si ly *secundum idem* sumatur pro eo quod est susceptivum denominationis filii Dei et filii hominis, *subd.* Hoc impossibile esset si filiatio tam divina quam humana poneret relationem realem in Christo, iterum *conc.* Si filiatio humana non ponit nisi relationem rationis, quae sola convenire potest increatae hypostasi respectu creaturae, *neg.*

Ad 5um denique dicendum quod argumentum nititur super

falsam interpretationem textus evangelici, Luc. I-35. Et ad veram eius intelligentiam praemittendum est quod coniunctio *ideo*, ex qua oritur difficultas, importat quandoque causam essendi, et quandoque solam causam inferendi. Exempla primi casus: *ignis fervet, ideoque calefacit,* vel *rota rotunda est, ideoque bene currit,* vel: *Bonum certamen certavi, ideoque reposita est mihi corona iustitiae:* siquidem fervor ignis causa ei est calefaciendi, rotundtias rotae causa bene currendi, meritum boni certaminis causa repositionis coronae iustitiae, etc. Exempla secundi: *Exsistunt entia contingentia, ideoque exsistit ens necessarium,* vel: *istud futurum erat, ideoque erat in praescientia Dei,* ubi sola importatur causa inferendi. Non enim entia contingentia causa sunt cur sit Deus, sed solum sunt causa cur legitime inferam exsistere Deum; neque futuritio alicuius rei esse potest in Deo causa praescientiae, sed est mihi causa concludendi quod in divina praescientia erat antequam eveniret, atque ita porro.

Nunc igitur dico quod in textu evangelico, coniunctio *ideoque* non accipitur secundum causam essendi, quasi nempe ratio cur nasciturum sanctum vocabitur et erit filius Dei, reponeretur ab angelo in hoc quod superveniet Spiritus Sanctus active operans ad conceptionem: quo quidem modo sequeretur conclusio in obiectione posita. Sed debet accipi alio modo, pro quanto scilicet ex adventu Spiritus Sancti in virginem, relinquitur inferendum quod nascitura proles erit verus ac proprius filius Dei factus homo. Et sane, in sua annuntiatione sese referebat angelus ad prophetias messianicas V. T. *Dabit illi,* inquiebat, *Dominus Deus sedem David patris sui,* iuxta illud Ps. CXXXI-11: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Et regnabit in domo Iacob in aeternum,* iuxta iusiurandum Dei in Psalmo LXXXVIII-36: Si David mentiar, semen eius in aeternum manebit, et thronus eius sicut sol in conspectu meo. *Et regni eius non erit finis,* iuxta Dan. VII-14: Regnum eius, quod non corrumpetur. Cum autem vellet Maria de mysterio sibi annuntiato amplius instrui, et ad hoc ipsum in medium efferret servandae virginitatis propositum, omne dubium tollebat angelus, asserens fore ut in eius conceptu et partu, *(concipies et paries filium),* pro-

phetia impleretur quam Matthaeus quoque ponit in capite evangelii: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod est interpretatum nobiscum Deus: Deus, inquam, vivus et verus, ipseque idem filius Dei, iuxta repetita antiquae Scripturae oracula, Ps. II-7, CIX-3, etc.

Proinde coniunctio *ideoque* est coniunctio illativa impliciti cuiusdam argumenti, in hunc fere modum: Spiritus Sanctus superveniet in te, et te faciet concipere. Sed ille ad cuius conceptionem operabitur Spiritus Sanctus, non alius est, secundun oracula prophetarum, quam Emmanuel proprius filius Dei. Ergo, *ideoque*, quod nascetur ex te sanctum, etc. Non igitur legitima ea interpretatio est, in qua nomen filii Dei tribueretur nunc Christo, sensu analogo et improprio. Ita fere Franzelin, de Inc. Thes. 7 in corollario.

Restat denique dicendum de praedestinatione Christi.

THESIS XXXVI.

(Quaest. 24).

Christus secundum quod homo, fuit praedestinatus ad hoc quod esset Dei Filius naturalis. Considerando autem praedestinationem ex parte termini, dicendum est praedestinationem eius fuisse causam et exemplar praedestinationis nostrae.

Primum omnium est observandum quod tota haec doctrina, *ad rem quod attinet*, est valde perspicua, et uno brevi ac simplici argumento demonstratur. Evidens quippe est quod de omnibus quae divinitus fiunt in tempore, esse debet ab aeterno quaedam divina preordinatio. Sed in tempore factum est ut natura humana uniretur Filio Dei in persona. Ergo hoc ipsum fuit praeordinatum ab aeterno. Nunc autem aeterna praeordinatio eorum quae pertinent ad immobilem coniunctionem creaturae cum Deo, dicitur creaturae praedestinatio. Fatendum igitur est, praedestinatam fuisse humanitatem Christi ad hoc ut Filio Dei uniretur in persona, et nihil aliud theologi sibi volunt cum de Christi

praedestinatione loquuntur. Sed nec maior est difficultas in causalitate quam ei attribuunt respectu praedestinationis nostrae. Nam praedestinatio nostra dupliciter accipi potest. Formaliter pro ipso praedestinandi actu, et sic non sumitur ibi, cum sit in Deo et Deus ipse. Terminative pro eo quod praedestinatur cum dependentia a variis causis iuxta beneplacitum praedestinantis. Et hoc modo praedestinatio nostra habet causam et exemplar in praedestinatione Christi, quatenus ad hoc nos a Deo praedestinamur, ut Christo conformes simus, et per eius redemptionis merita ad beatum finem vitae aeternae perveniamus.

Quae igitur cum per se satis pateant, tota huius quaestionis operositas est circa modum loquendi adhibitum in thesi post S. Thomam, aliosque theologos communiter: Utrum scilicet aeterna praeordinatio unionis naturae humanae cum Filio Dei in unitate hypostasis, recte exprimi possit per hanc propositionem: *Christus secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei naturalis.* Et movetur quaestio propter verba Pauli ad Rom. I, 3-4, ubi secundum versionem vulgatam legimus: *De Filio Dei qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* Sciendum tamen in primis est quod graeci commentatores post Chrysostomum sic interpretantur: *Qui* **declaratus** *est Filius Dei in virtute*, videlicet in virtute omnis generis miraculorum; *secundum spiritum sanctificationis*, id est per Spiritum Sanctum quem credentibus in se largitus est; *ex resurrectione mortuorum*, sive per gloriosam resurrectionem ex mortuis, etc. Haec, inquam, est Graecorum interpretatio, eaque ut videtur, maximae genuina, praesertim si contextum consideres, qui vix ac ne vix quidem in expositione Latinorum convenientem habet expositionem. Accedit quod in originali sic legitur: Τοῦ ὁρισθεντος υἱοῦ Θεοῦ εν δυνάμει, ubi non adhibetur verbum προοριζειν, quod est praedestinare, sed ὁριζειν quod est definire, confirmare, et saepe etiam *declarare*, quia id quod declaratur, confirmari et definiri videtur. Porro in hac expositione, nulla profecto occurrit difficultas. Declarari enim sive manifestari est de consequentibus ad

esse, imo aliquid omnino extrinsecum rei declaratae, et nihil sane prohibet quominus dicatur hic homo Christus fuisse *declaratus*, id est manifestatus Filius Dei. At vero latini commentatores acceperunt vocabulum *praedestinatus* quo vulgata utitur, sicut sonat. Et hinc factum est ut apud theologos communiter admitteretur modus loquendi qui nunc in quaestionem venit, et de cuius legitimitate est gravis ratio dubitandi.

Nam sicut illud quod semper fuit, non fit, ita id quod semper fuit, non praedestinatur. Sed homo Christus supponit pro supposito aeterno quod semper fuit Filius Dei. Ergo sicut ratione ista non potest dici homo factus Deus, ita nec dici potest praedestinatus Filius Dei.

Sed contra est auctoritas plerorumque latinorum interpretum, a quibus aequum est saltem propulsare suspicionem erroris in doctrina, tametsi exegetiçe loquendo, videatur potius admittenda graecorum expositio super textum apostoli, Rom. I-4.

Notandum itaque, quod hoc praedicatum *praedestinatus* non imponitur ab actu qui est in re, sed ab actu qui est in intellectu alicuius praeordinantis, cum praedestinatio non sit aliquid in praedestinato, sed in praedestinante tantum, ut dicitur in prima Parte, Quaest. 23, a. 2. Ideo non est necesse ut conveniat subiecto considerato in ea determinatione quam nunc habet a parte rei, sed sufficit ut conveniat ei sub aliqua consideratione sub qua venire potest in apprehensione intellectus. In apprehensione autem intellectus persona Christi secundum quod homo, potest per prius accipi *vage*, ut suppositum huius numero humanitatis, adhuc sistendo in eo rationis signo in quo secundum naturae ordinem debuisset esse suppositum creatum ac pure humanum. Et quia per singularissimam gratiam praeordinavit Deus ut esset potius ipsum suppositum Filii Dei cui humanitas uniretur secundum subsistentiam, ideo non inconvenit dicere quod suppositum humanitatis, sive Christus in quantum homo, praede stinatus est esse Filius Dei.

Ad rationem ergo in contrarium dico quod praedicatum *factus* imponitur ab actu qui est in re, et quia supposito Christi in sua reali determinatione non convenit fieri Deus, non conce-

ditur ista: hic homo, vel Christus in quantum homo, factus est Filius Dei. Sed praedicatum *praedestinatus* imponitur ab actu qui est in intellectu, ubi potest accipi suppositum Christi *vage et indeterminate* in sensu mox declarato. Nec valet si dicas quod intellectus divinus praedestinans praecisivus non est. Non enim agitur de praedestinatione divina significanda secundum modum quem habet in se, sed secundum quod cadit in apprehensione nostra, et humano sermone exponi potest. Quapropter tota quaestio huc redit: utrum scilicet inter varios modos quibus apprehenditur divina praeordinatio de natura humana trahenda ad esse personale Verbi, inveniatur etiam modus quo praeordinatio ipsa concipitur ut cadens super suppositum humanitatis vage consideratum, illudque determinans ad esse suppositum Filii Dei per hypostaticam unionem humanitatis cum Verbo. Et si quidem affirmative, iam nihil obstat quominus dicatur suppositum huius singularis humanitatis praedestinatum ad esse suppositum Filii Dei. Quod est dicere: *Christus secundum carnem est praedestinatus esse Filius Dei.*

QUAEST. XXV-XXVI.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO PER COMPARATIONEM AD NOS

Denique considerandum est « de his quae pertinent ad Chri-« stum in comparatione ad nos. Et primo de adoratione Chri-« sti, qua scilicet nos eum adoramus; secundo de hoc quod est « mediator noster ad Deum ».

DE ADORATIONE CHRISTI

Adoratio, si etymon spectes, idem est ac *ad os,* quia apud antiquos manus ad os admovebatur in signum reverentiae. Potest autem sumi vel pro actu exhibendi reverentiam, vel pro reverentia exhibita. Et si quidem sumatur pro actu exhibendi reverentiam, sic non habet pro obiecto materiali ipsam personam

adoratam, sed magis honorem qui huic personae redditur. Quo fit ut adoratio qua adoramus Deum non sit actus virtutis theologicae, sed moralis, religionis videlicet, quae invenitur inter partes potentiales iustitiae. Quippe actus adorantis terminatur ad ipsam protestationem honorificam sub ratione iusti seu debiti, nam adorans vult exhibere reverentiam qua et quia debitam. Et ideo materiale obiectum actus adorandi est protestatio reverentiae; obiectum formale est ratio debiti, sive specialis honestas tribuendi cuique suum.

Nunc autem debitus ille honor dirigitur ad personam adoratam, quae est obiectum *cui*. Et in hoc obiecto cui, adhuc distinguitur aliquid ut materiale, et aliquid ut formale. Materiale est persona ipsa ad quam dirigitur honor. Formale est ratio quae hanc personam cultu dignam efficit, scilicet aliqua eius *excellentia* causans ac determinans rationem et modum cultus ut debiti. Sequitur ergo, tot esse adorationis species, quot sunt excellentiae diversae super quas honorificationis debitum fundatur. Porro potissima divisio est in adorationem *duliae* et adorationem *latriae*. Et latria quidem non est nisi una. Sed dulia est aliquid genericum; quin imo, in sua universalissima acceptione analogatur ad Deum et ad creaturas.

Ad cuius evidentiam considerandum est quod in Deo duplex per rationem distingui potest excellentia. Una quae a creaturis participari nequit, et haec est excellentia Creatoris, secundum quod ipse est finis et origo prima nostri esse. Alia vero est quae participatur a creaturis, et haec est excellentia dominii. Nam licet creatura non participet potentiam creandi, participat tamen quamdam similitudinem divini dominii, secundum quod habet particularem potestatem, vel praelationem, vel praeeminentiam super aliam creaturam. Porro ad significandum honorem qui debetur Deo ratione illius excellentiae quam creatura nec participat nec participare potest, accommodatum est nomen *latriae*, et quia haec ipsa Creatoris excellentia unius rationis est, constat quod latria est una tantum. At vero, ad significandum honorem qui debetur alicui, ratione excellentiae dominii, praelationis, vel cuiuscumque praeeminentiae, impositum est nomen

duliae, quod «dicit servitutem communiter, cuicumque debeatur» (1). Cum autem huiusmodi excellentiae ratio non sit eadem in diversis, puta in Deo, in sanctis, in praelatis, in patre, in rege, in magistro, et sic de aliis, ideo plurimae sunt species duliae. Imo vero, ut dictum est, quaedam est dulia quae a latria nonnisi ratione distinguitur, et exhibetur ipsi Deo, ut docet S. Thomas in praesenti, art. 2 in corp. «Ipsi Deo Patri, inquit, « debetur honor latriae propter deitatem, et honor duliae propter « dominium quo gubernat creaturam. Unde super illud Psal. « VII: *Domine Deus meus, in te speravi,* dicit glossa interlinea- « ris: *Dominus omnium per potentiam, cui debetur dulia; Deus « omnium per creationem, cui debetur latria* ». Quibus similia habet 2-2. q. 103, a. 3, ad 1um. Praeiverat Rabanus Maurus, Comment. in Exod. l. 3, c. 5, dicens: « Dulia debetur Deo tan- « quam Domino; latria vero nonnisi Deo tanquam Deo » (2).

Verumtamen, etsi dulia ex proprietate vocabuli analogetur ad cultum debitum Domino dominorum et ad honorem creaturae, peculiari modo appropriatur huic posteriori, fere sicut nomen *gratis data* appropriatur illi gratiae quae infimum locum tenet in genere gratiae, utpote non faciens gratum Deo subiectum in quo est; vel etiam sicut hoc nomen *angelus* appropriatur infimo ordini ultimae hierarchiae in puris spiritibus. Unde S. Thomas in III, D. 9, q. 2, a. 1, ad 1um ait: « Dulia quantum ad proprie « tatem vocabuli dicit servitutem communiter, cuicumque debea- « tur. Et quia Deo debetur honor vel servitus secundum modum « perfectiorem, *ideo nomen duliae commune contrahitur et quo- « dammodo appropriatur ad honorem creaturae, quia non addit « aliquam differentiam ad dignitatem pertinentem, supra commune...* « Et quia in Deo est omnis ratio honoris qui invenitur in crea- « tura, sed non convertitur, ideo latria debetur sibi secundum « id quod est sibi proprium, dulia autem secundum id quod est « commune sibi et creaturae per analogiam ». Hinc igitur est, quod dulia absque addito intelligi solet de honore qui creatam

(1) S. Thom. in III, D. 9, q. 2, a. 1 in corp.
(2) Migne, *Patr. lat.*, tom. 108.

excellentiam attendit. Et in hoc genere aliae sunt species duliae aliquibus debitae propter supernaturalem coniunctionem cum Deo, aliae vero species duliae debitae propter aliam quamlibet praeeminentiam, puta paternitatis, regiminis, magisterii, etc. Potissima autem et suprema omnium species est *hyperdulia,* quae Beatae Virgini debetur in quantum est mater Dei.

Sed iam ad ea quae spectant adorationem Christi oportet accedere, et primo dicendum de adoratione personae eius, tum secundo de adoratione crucis atque imaginum.

THESIS XXXVII.

(Quaest. 25. Art. 1-2).

Una est adoratio Christi Dei et hominis ex parte rei adoratae. Debetur autem ei propter divinitatis excellentiam adoratio latriae, qua in eius hypostasi et ipsa coadoratur humanitas.

1. Videretur tamen dicendum non unam esse adorationem Christi, quia si esset una adoratio, oporteret honorem latriae deferri ipsi humanitati, sicut in ultima propositionis parte signanter additur. Atqui hoc est impossibile, quia humanitas est creatura, et vetitum est honorem divinum transferre creaturae.

2. Sed si dicatur quod humanitas non tam adoratur quam coadoratur, responsio non satisfacit, quia etiam Spiritus Sanctus dicitur in symbolo simul cum Patre et Filio adorari et conglorificari; quod esse non posset si Spiritus Sanctus esset creatura. Non igitur concomitantia quae importatur per verbum *coadorari,* reddere potest licitam, multoque minus debitam humanitatis adorationem.

3. Praeterea, tot oportet esse adorationes, quot sunt in aliquo excellentiae diversae. Sed in Christo alia est excellentia divinitatis, et alia excellentia humanitatis. Ergo oportet ut alia adoratione adoretur Christus Deus, et alia adoratione Christus homo.

4. Denique si dicatur quod adorationes possunt esse distin-

ctae ex parte causae adorationis, nunquam autem ex parte rei adoratae, quatenus scilicet una eademque Christi persona adoratur latria propter suam divinitatem, et inferiori dulia propter perfectionem humanitatis, iterum non satisfit. Sequeretur enim quod sicut humanitas coadoratur latria quando causa adorationis est excellentia divinitatis, ita et divinitas coadoraretur simplici dulia quando causa adorationis est humanitatis perfectio. Sed divinitatem coli communi dulia, quis unquam ferret? Dicendum igitur est, duas esse adorationes Christi, etiam ex parte rei adoratae.

Sed contra est canon 8 Concilii Ephesini: « Si quis audet « dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo et con- « glorificandum et nuncupandum Deum, tanquam alterum cum « altero, ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel, « unamque ei glorificationem dependit, iuxta quod Verbum caro « factum est, anathema sit ». Cui accedit canon 9 Concilii V: « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae « adorationes introducuntur semotim Deo Verbo et semotim « homini...., sed non *una adoratione Deum Verbum incarnatum* « *cum eius carne adorat,* iuxta quod Sanctae Dei Ecclesiae ab « initio traditum est, talis anathema sit ».

Et ratio huius rei est, quia honor et adoratio proprie non exhibetur nisi rei subsistenti, tametsi causa honoris possit esse aliquid non subsistens propter quod honoratur persona cui illud inest. In Christo autem non est nisi unus subsistens et unum suppositum; ergo non est nisi una res adorata seu adoranda; ergo ex parte rei adoratae, adoratio est una, non duplex. Et licet Verbum Dei sit adorabile seorsum ab humanitate, quia est subsistens independenter ab ea, et non habet ad eam nisi relationem rationis, ut supra dictum est, tamen *humanitas seorsum a Verbo nequaquam adorabilis est quacumque adoratione, sive latriae illa sit, sive duliae.* Non enim subsistit humanitas, sed Verbum secundum eam, et ideo id quod adorari potest non est nisi Verbum cum propria ipsius humanitate. Hinc vides qua de causa uno eodemque anathemate reprobati sint haeretici, tum ex hoc quod personam hominis ponebant in Christo distinctam a

persona Verbi, tum ex hoc quod consequentia quadam necessaria adorationes duas introducebant, semotim Deo Verbo, et semotim homini, ut habetur supra in definitione quintae Synodi. Nunc autem, si res adorata nulla alia est nisi Verbum cum propria ipsius carne, evidens est deberi cultum latriae propter excellentiam divinitatis. Caeterum, sicut honor qui redditur Petro terminatur per se ad suppositum, et ratione suppositi ad ea quae insunt, eodem pacto latria defertur supposito Verbi, et in supposito Verbi coadoratur humanitas ei coniuncta secundum subsistentiam.

Ad 1um ergo dicendum quod adoratio latriae non exhibetur humanitati Christi per se consideratae, sed divinae hypostasi cum qua uno honore honoratur. Unde ratio procederet si humanitas adoraretur seorsum a Verbo; nunc autem adorare humanitatem Christi, nihil aliud est quam adorare Verbum Dei incarnatum. Hinc Athanasius, epist. ad Adelphium, n. 3: « Itaque « rem creatam non adoramus, absit!... Sed rerum creatarum « Dominum carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim « ipsa caro seorsum spectata pars sit rerum creatarum, attamen « Dei facta est corpus. Neque vero huiusmodi corpus a Verbo « dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, « ipsum a carne removemus; sed idem Verbum in carne exsi- « stens, Deum agnoscimus. *Quis ergo adeo demens sit, ut Domino « dicat: Recede a corpore ut te adorem?...* Atqui talis non fuit « leprosus ille; Deum enim in corpore exsistentem adoravit, « eumque Deum esse his agnovit verbis: Domine, si vis, potes « me mundare ». Hinc etiam in Bulla *Auctorem fidei* damnatur propositio 61 Pistoriensium his verbis: « Propositio quae asserit, « *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius « partem, fore semper honorem divinum datum creaturae:* quate- « nus per hoc verbum *directe*, intendat reprobare adorationis « cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde « ac si talis adoratio qua humanitas ipsa et caro vivifica Christi « adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed « prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, « et non potius una eademque adoratio qua Verbum incarnatum

« cum propria ipsius carne adoratur: falsa, captiosa, pio ac de-
« bito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando
« detrahens, et iniuriosa ».

Ad 2um notandum quod non eodem sensu dicitur Verbum adorari cum carne sua, quo sensu dicitur Spiritus Sanctus adorari cum Patre et Filio. Nam Spiritus Sanctus est persona per se terminans adorationem, tametsi ratio adorationis eius non alia sit a ratione propter quam Pater et Filius adorantur. Quippe, trium personarum una est divinitas, una excellentia, aequalis maiestas. Et ideo particula *con* se tenet ex parte eius quod est causa honoris, non autem ex parte termini adorati, quasi Spiritus Sanctus per seipsum non esset adorabilis et adorandus. Sed hic dicitur coadorari humanitas, quatenus ipsa seorsum accepta adorabilis non est quacumque adoratione, et multo minus adoratione latriae, eo quod honor adorationis non debetur per se nisi hypostasi subsistenti, id est Verbo incarnato, ut ex Concilio V, loco supra citato aperte colligitur.

Ad 3um dicendum, tot esse adorationes quot sunt excellentiae distinctae, hoc sensu quod unum idemque suppositum honoratur diversis honoribus propter diversas eius excellentias: non autem in quantum oportet ut tot sint res adoratae, quod sunt excellentiae. Et vere non valet huiusmodi consequentia: plures sunt in Socrate rationes cur ei honor deferatur, ergo plures sunt qui debent honorari. Cum igitur in uno Christi supposito sint duae excellentiae diversae, semper quidem erit ex parte rei adoratae adoratio una, sed divina persona cum carne sua adorari debet latria propter divinitatem, et potest etiam absolute loquendo, adorari dulia propter perfectionem humanitatis.

Ad 4um denique dicendum, esse quidem impossibile ut divinitas colatur simplici dulia in hypostasi solius divinitatis. Sed in hypostasi divinae simul et humanae naturae, nihil absolute impedit quominus ratione excellentiae naturae assumptae honoretur dulia, *quae tamen non excludat latriam sibi debitam propter propriam excellentiam.* Dixi, absolute loquendo, nam de facto non defertur Christo inferior adoratio, ne sit in detrimentum alterius

potioris in qua eminenter continetur: « Adorationem duliae, ait « Caietanus, Christo debitam ratione humanae naturae Ecclesia « in mente retinet, non in usu, ad evitandos errores ».

THESIS XXXVIII.

Sicut adoratio dirigitur ad humanitatem ut ad rem non tam adoratam quam coadoratam in persona Verbi, sic et ad partes humanitatis. Recte autem Verbum incarnatum proponitur specialiter adorandum secundum eam partem in qua peculiare consideratur documentum seu symbolum amoris eius erga nos. Unde dicendum est, legitimum esse cultum quem Sacratissimo Cordi defert Ecclesia.

Postquam dictum est de adoratione humanitatis Christi, aliquid iam dicendum venit, de cultu SS. Cordis quod eiusdem humanitatis pars est nobilissima. Oportet enim perspicere an sit rationabile et verae fidei dictamini consentaneum, dirigere ad ipsum Cor adorationes nostras, simulque qua ratione id fiat accurate determinare, ad removendas impias infidelium irrisiones. Primo igitur de obiecto cultus, deinde de eius convenientia (1).

(1) Nota bene quod in praesenti agitur de solis actibus qui ad virtutem religionis elicitive pertinent, id est, de actibus adorationis et reverentiae. Solet equidem dici quod ad cultum SS. Cordis maxime pertinet charitas, amor, imitatio virtutum et interiorum affectuum Iesu Christi. Sed tunc sermo est de actibus qui vel imperant cultum, vel imperantur ab eo, et debent foveri per ipsum, iuxta ea quae habet S. Thomas 2-2, Q. 81, a. 5, ad 1um, et in III, D. 9, a. 1. Et sane, quod ex cultu SS. Cordis imperative procedant omnes actus praedicti, constat ex natura rei. Nam etsi diversitas attributorum quae specialiter respiciuntur in re adorata, non diversificet adorationem secundum se, ponit tamen in ea quamdam connaturalitatem ad certos alios actus exercendos, pro quanto congruum est ut quis se conformet in moribus ei quod adorat et colit. Id quidem omnium hominum sensus habet: propterea enim vituperamur, dignaque reprehensione carpimur, si forte vita a cultu dissonet, i. e. si mores sint in oppositione cum eo quod

§ I.

Cum de obiecto hic quaeritur, sermo est de obiecto *cui* defertur adoratio, in quo etiam, iuxta superius praemissa, distinguitur materiale et formale: materiale, quod est obiectum adoratum; formale, quod est ratio et causa adorationis. Utrumque autem facili negotio assignatur.

Et obiectum quidem adoratum semper debet esse, proprie loquendo, suppositum seu hypostasis, sed potest esse suppositum specialiter consideratum in aliqua sui parte. Et sic est in praesenti, quia id ad quod dirigitur adoratio, non est cor cum praecisione a divina hypostasi, sed est *ipsa incarnati Verbi persona considerata in corde suo, necnon et in omnibus tum ad divinitatem tum ad humanitatem pertinentibus quae in eodem corde symbolizantur.* Hinc Pius VI in Bulla *Auctorem fidei,* propositionem 63am Pistoriensium damnat his verbis: « Doctrina Synodi, « in eo quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod « non advertant sanctissimam carnem Christi, aut eius partem « aliquam, aut etiam humanitatem totam, cum separatione vel « praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae: quasi « fideles Cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a « divinitate, dum illud adorant ut est cor Iesu, cor nempe per- « sonae Verbi cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum « quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione « aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: captiosa, « in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa ». Sicut igitur adorare carnem Christi nihil aliud est quam adorare Verbum Dei

---

religione prosequimur. Consequens igitur est ut quisquis colit Cor tanto erga nos flagrans amore, in redamationem venire debeat, necnon et in imitationem omnium virtutum seu affectuum quorum se nobis exemplar exhibuit, iuxta illud Matth. XI-29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* At nunc, extra terminos praesentis quaestionis non oportet excurrere, et ideo sistendum est in adoratione secundum se, hoc est, in eo actu qui non habet ex alio laudem, nisi quia est in reverentiam SS. Cordis D. N. I. C.

incarnatum, ut dicit S. Thomas art. 2 in corp., ita nunc adorare Cor Christi nihil aliud est quam adorare ipsum incarnatum Dei Verbum, prout indutum visceribus misericordiae in quibus visitavit nos.

Nunc autem ratio quae in obiecto adorato accipitur ut causa faciens dignum cultu, semper est excellentia personae. Sed hic, est excellentia eius cum speciali respectu condescendentiae ad nos per amorem. Et cum amorem nunc dico, dico amorem increatum cui deservit amor creatus tam spiritualis quam sensitivus: vel brevius, *amorem* dico *theandricum*, unum amorem in Christo agnoscendo, eodem sensu quo unam operationem in eo confitemur, non singularitate, sed ordine unam: amorem denique de quo compellans eum sacer Hymnus ait: « Qui daemonis ne fraudibus « periret orbis, impetu amoris actus languidi mundi medela « factus es ». Et iterum: « Commune qui mundi nefas ut expiares, « ad crucem e Virginis sacrario intacta prodis victima ».

§ 2.

Quae igitur cum ita sint, de convenientia huius cultus dubium vix esse potest. Dictum est enim supra, causam adorationis esse excellentiam rei adoratae, quatenus per adorationem actu exercito hanc ipsam eius excellentiam protestamur, et profitemur subiectionem erga eum qui sua dignitate excedit vilitatem nostram. Nunc autem eiusmodi adorationis sive submissionis debitum tanto maius est, quanto magis persona aliqua eminens ad nos condescendit. Hoc enim dictat vel ipse inditus naturae rationalis sensus, voluntarias maiorum condescendentias per specialem reverentiam esse recompensandas, ut scilicet quanto minus ipsi distantias curant, tanto magis studeamus vicem rependere, non solum consistendo in nostro proprio gradu, sed et sublimes illas personas peculiariter venerando in suis descensibus ad nos. Si ergo, ut Dionysius dicit, cap. 4 de div. nom., « ipse Deus « propter amorem est exstasim passus », quasi extra se exiens per incarnationis mysterium et nostrae redemptionis operationem, conveniens sane est ut specialiter adoremus Verbum in-

carnatum in ea assumptae humanitatis parte in qua amatoriae huius exstasis peculiare documentum consideratur.

Atqui huiusmodi pars est Cor. — **Primo** quia cor est symbolum charitatis; et in Verbo quidem incarnato symbolum tum charitatis increatae quae fuit causa descensus eius in terras, tum charitatis creatae quam ipse ut Deus sibi ut homini inspiravit, quaeque a primo instanti conceptionis erumpens (Heb. X-5), fuit ei causa veniendi ad crucem. — **Secundo** quia cor non solum symbolum amoris est, sed etiam organum, imo ideo symbolum quia organum: organum, inquam, amoris sensitivi et compassivi qui subiectatur in coniuncto. Considerandum autem quod etsi in nobis sensibilis compassio saepe preveniat et trahat voluntatem, id tamen in Christo non fuit, quia in eo omnes affectus appetitus sensitivi perfecte subdebantur superiori voluntati, quae et ipsa per divinam regebatur. Quia igitur cor Christi fuit semper sequens humanam eius voluntatem motam a divina in ordine ad finem reparationis nostrae, iam recapitulantur in eius contemplatione omnia principia ex quibus nostra salus processit, iuxta illud cantici Zachariae, Luc. I-78: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius,* (quae salus efficietur) *per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* — **Tertio** quia in cruce ipsum Cor charitas « vulneratum ictu patenti voluit, amoris « invisibilis ut veneremur vulnera ». Id est, ut in vulnere corporali sensibiliter videremus illud amoris vulnus cum quo Christus in utero virgineo conceptus est, cum quo adolevit, vixit, laboravit, et inivit mortem. Sicut si pictor post completum in tela opus suum, adderet legendam explicativam qua totius picturae sensus intelligi posset: sic post absolutum omnem transitum Verbi incarnati in hoc mundo, mysticum vulnus aperitur, quasi eorum omnium quae egit et pertulit explicativum. Quomodo autem in vulnere cordis sensibiliter exprimatur operatio amoris, explicat S. Thomas in III, D. 27, q. 1, a. 1, ad 4um. Aliter scilicet est intellectum in intelligente, et aliter amatum in amante. Nam intellectum in intelligente est solummodo secundum intentionalem sui similitudinem, quae etiam induit modum ipsius intelligentis. Sed amatum est in amante quasi interius trahens

ipsum, eo quod non ad similitudinem amati terminatur amor, sed ad ipsum amatum secundum se, et ideo amans semetipsum veluti vulnerat ut penetrationi amati locus sit [1]. — **Quarto** tandem, quia in sanguine et aqua e Corde Christi aperto scaturientibus significata est effusio omnium divitiarum redemptionis, quatenus illic quodammodo vitae ostium pandebatur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quae vera vita est, non intratur. Ideo dictum fuerat Noe, cum figurativa fabricaretur arca: *Ostium autem arcae pones ex latere.* Ideo prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita materque vivorum. Vides ergo quomodo in iis quae Christum spectant, finis respondet initiis, et posteriora prioribus. Nam cum primum Filius Dei ex alto suae divinitatis in virgineum uterum descendebat, celebrabantur, ut dictum est, viscera misericordiae in quibus visitabat nos. Et cum iam sepeliendus, communibus hominum conspectibus subtrahebatur donec veniant tempora restitutionis omnium in iudicio universali, ecce lancea militis haec eadem misericordiae viscera aperiebantur, ut fieret misericordia eius a progenie in progenies super timentes eum, essetque iugiter fons patens domui David, id est, Ecclesiae, in ablutionem peccatoris et menstruatae.

Concludendum itaque quod vere in Corde sacratissimo recolitur omnis ratio et modus amatoriae illius exstasis qua Summa Natura sese inclinavit ad nos, et consequenter dicendum est convenientissimum esse cultum quem eidem Cordi defert Ecclesia.

[1] « Ex hoc quod amor transformat amantem in amatum, facit « amantem intrare ad interiora amati, et contra... Et ideo amans quo- « dammodo penetrat in amatum..., et similiter amatum penetrat aman- « tem ad interiora eius perveniens, et propter hoc dicitur quod amor « vulnerat et transfigit iecur ». S. Thom. loc. indic.

THESIS XXXIX.

(Quaest. 25, Art. 3-4).

Colendae sunt sacrae imagines, et eodem quidem cultu quo coluntur exemplaria, terminatione licet transitiva tantum et relativa. Hinc adoratione latriae adoranda est imago Christi; adorandum pariter, praeter caetera passionis instrumenta, ipsum lignum crucis in quo Salvator pro nobis affixus est.

Cum hactenus de ea adoratione egerimus quae directe et immediate terminatur ad Christi personam in seipsa, consequenter dicendum occurrit de cultu imaginum et reliquiarum ipsius. Sed et opportuna sese offert occasio tractandi per prius generale dogma quod contra iconoclastas in Concilio VII firmatum est.

§ 1.

Fundamenti loco ponenda est distinctio inter imagines consideratas *ut res,* vel naturae vel artis, (naturae quoad materiam, artis quoad formam) et imagines consideratas formalissime *ut imagines,* id est, secundum quod ipsa sunt exemplaria, non in esse naturali sed in esse repraesentativo: eodem prorsus modo quo circulus in tabula descriptus, non materialiter quidem, sed tamen repraesentative, est circulus exactus et mathematicus quem solum in suis speculationibus contemplatur geometra. Et hac distinctione supposita, facile declarari potest quid distet inter *idola* gentium et *imagines* quarum cultum adserit Ecclesia.

Idolum dupliciter accipitur. Primo accipitur pro simulacro quod statuitur in obiectum cultus ut res, id est, absolute et propter se, quasi haberet aliquod numen sibi incorporatum vel infusum. In qua quidem opinione olim erant et adhuc sunt plerique paganorum, confirmati in suo errore per responsa in ipsis simulacris a daemonibus data, vel per alios miros eiusdem generis effectus. Secundo accipitur pro simulacro quod colitur quidem ut repraesentatio, sed ut repraesentatio eius quod in rei

veritate aut nullo modo est, aut certe non est tale quale colitur: ut si daemoni vel soli vel lunae tanquam diis constituantur effigies, in ordine ad divinos honores falsis his numinibus deferendos. Utroque autem modo ab idolo differt imago, prout nunc de imaginibus loquimur. Nam in primis, imago nequaquam accipitur in obiectum cultus ut res. Deinde semper sumitur ut imaginis munus exercens, respectu eorum qui vere tales sunt quales coluntur. Hinc cultus idolorum fundatur totus in falsitate et mendacio, a patre mendacii originem habens; at cultus imaginum nihil prae se fert nisi simplicem et ingenuam veritatem.

Et in lege quidem Mosaica prohibuerat Deus ne imagines fierent et colerentur. Sed rationem interdictionis tibi dabit Damascenus, Orat. 2 de Imag. n. 3: « Laudabilis, inquit, est Scri-« pturarum perscrutatio. Sed hic diligenter animum attendite. « Unus Deus est, unus Veteris et Novi Testamenti legislator, « qui multifariam multisque modis olim locutus est Patribus in « Prophetis, et in novissimis temporibus in Filio suo unigenito... « Considera ergo Deum multifariam multisque modis locutum « esse. Sicut enim peritus medicus non omnibus nec semper idem « remedii ministrat genus, sed tum regionis tum morbi tum tem-« poris tum aetatis habita ratione, medicinam praestat, atque « alia quidem ratione infantem curat, alia virum aetate prove-« ctum, aegrotantem alia, alia denique sanum, nec aegrotis om-« nibus eodem medetur modo..., consimiliter optimus animorum « medicus infantibus adhuc et idololatriae morbo laborantibus, « qui cum simulacra deos esse arbitrarentur, et tanquam deos « adorarent, imaginibus interdixit ». Distinguenda igitur prohibitio ipsa et prohibitionis ratio. Prohibitio erat iuris positivi et pertinens ad caeremonialia praecepta quae cum abrogatione totius legis antiquae finem nunc acceperunt. Ratio vero prohibitionis respiciebat carnalitatem populi Iudaici et proclivitatem eius ad idololatriam, adeoque locum amplius non habet in populo Christianorum qui iam idoneus effectus est percipere maxima emolumenta quae ex sacrarum imaginum usu *per se* proveniunt. Sunt enim sacrae imagines codices populorum et illitteratorum hominum libri; sunt etiam pro omnibus incitamenta ad virtutem

et ad imitationem Salvatoris nostri ac sanctorum eius; denique veneratio earum pars non minima est cultus externi, sine quo apud nos homines cultus internus aut perit omnino, aut paulatim languescit atque exstinguitur. « Ubi de imaginibus agitur, « inquit Damascenus ubi supra, veritas quaerenda est, sensusque « illorum qui eas faciunt. Atque si quidem verus rectusque sit, « et ad Dei gloriam sanctorumque eius illae conducant, ad am- « plectendas item virtutes et fugienda vitia, necnon in salutem « vergant animarum, has tanquam imagines, exempla, et similitu- « dines, ac veluti illitteratorum hominum libros venerari nos « oportet et osculari, ut quae Verbum carni copulatum repraesentent, genitricemque ipsius, aut etiam sanctos qui tum pas- « sionum tum gloriae Christi socii exstiterunt ».

His itaque in antecessum praenotatis, dico esse dogma ex apostolica traditione descendens, quod licitum ac pium sit colere sacras imagines. Et sane antiquissima nobis praesto sunt monumenta de usu imaginum apud primaevos christianos, ut norunt omnes qui ex. gr. Romanas catacumbas inviserunt. Praesertim vero, neminem latere potest quomodo ab ipsis Ecclesiae incunabulis viguerit cultus martyrum et reliquiarum eorumdem. De qua re locupletissimi testes sunt Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus l. 22 de civit. c. 8, Chrysostomus Hom. 83 in Ioan., Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 23, et alii sine numero. Atqui eadem omnino ratio est de cultu reliquiarum ac de cultu imaginum, et quisquis unum asserit, alterum quoque implicite adstruat necesse est. Non enim coluntur reliquiae ut res cultu absoluto, sed cultu relativo, in quantum repraesentant personas quarum sunt reliquiae. Quamobrem differentia inter reliquias et imagines in hoc demum tota reponitur, quod imagines repraesentant ratione cuiusdam configurationis sculpturae vel picturae; reliquiae vero ratione specialis coniunctionis quam habuerunt aliquando ad personam adoratam. Sive autem ex uno titulo repraesentatio sit, sive ex alio, nihil ad praesens refert, et semper eodem modo valet principium a Patribus Synodi VII proclamatum: « Imaginis honor ad primitivum transit, et qui adorat ima- « ginem, adorat in ea depicti hypostasim ».

Caeterum, quod attinet ad actuationem cultus imaginum observare praestat quod quamdiu invaluit idololatria in mundo Romano, opus fuit magna cautela et discretione, propter confusionem adhuc facilem pro moribus et ideis horum temporum, inter imagines et idola. Atque hinc facile explicatur qua de causa cultus ille in ipsis initiis non ita frequens atque universalis fuerit sicut nunc est. Sed post reportatam de paganismo victoriam, post prostrata deorum fana, et eiectum foras principem huius mundi, tunc in omni securitate plenam evolutionem consecuta est imaginum religio, e qua tot praeclarae utilitates christiano populo proveniunt. Tunc vitiata a diabolo naturalis illa propensio repraesentandi in picturis obiecta nostrae adorationis, fuit legitimo suo sensui et rectae interpretationi sine obstaculo restituta; tunc per totum orbem simulacra daemonum imaginibus Christi et sanctorum dederunt locum. Sed tunc quoque non omisit diabolus sumere vindictam, furentissimam iconoclastarum haeresim suscitando, quae in primo suo ortu a Concilio Nicaeno II (1), deinde a Constantinopolitano IV (2), ultimo a Tridentino (3), repressa atque anathematizata fuit.

(1) Definitionem Nicaenam infra referimus, § 2. Vide illam de integro transcriptam apud Denzinger, n. 243.

(2) « Si quis ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat « formam eius, quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare « sanctos suos, sed alienus sit a communione ipsius et claritate; simi- « liter autem et imaginem intemeratae matris eius et Dei genitricis « Mariae... Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre et Filio « et Spiritu Sancto ». Conc. Constantin. IV, can. 3. Apud Denzinger, n. 273.

(3) « Imagines porro Christi, Deiparae Virginis et aliorum sancto- « rum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum « honorem et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse « aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam sint colendae, vel quod « fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quae « in idolis spem suam collocabant. Sed quoniam honos qui eis exhibe- « tur, refertur ad prototypa quae illae repraesentant: ita ut per ima- « gines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procum- « bimus, Christum adoremus, et Sanctos quorum illae similitudinem « gerunt, veneremur ». Trident., Sess. 25, de sacris imaginibus.

§ 2.

Firma ergo fide credendum est imagines sacras habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Sed iam paulo distinctius declarandum venit quaenam sit ratio cultus qui eis deferri debet; non enim in ea re omnino inter se concordant theologi.

Primo ergo singularis fuit sententia Durandi dicentis imagines non esse colendas nisi *improprie et abusive*, quatenus scilicet coram imagine colitur exemplar, imago autem ipsa nullo sensu nullaque ratione est obiectum cultus, sed mera occasio per quam excitamur ad honorandum prototypum. Hanc opinionem communi consensu reiiciunt theologi, et recte, praesertim quia non salvat proprietatem definitionum Ecclesiae, quibus edocemur imagines ipsas esse venerandas. « Definimus, inquit Concilium « Nicaenum II, venerabiles ac sanctas imagines proponendas... ita « ut istis... incensorum et luminum oblatio ad harum honorem « efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consue- « tudinis erat ».

Alia igitur est sententia S. Thomae quae fere universaliter recipitur. Docet haec sententia, imaginem qua talem eodem cultu coli quo exemplar, licet terminatione diversa, videlicet: imaginem terminatione relativa et transitiva, exemplar vero terminatione pausativa, quia in eo adoratio ultimo pausat et sistit. Et ratio est quia idem est motus in imaginem ut talem, et in prototypum. « Duplex est motus animae in imaginem. Unus quidem « in ipsam imaginem secundum quod res quaedam est; alio modo « in imaginem in quantum est imago alterius. Et inter hos duos « motus est haec differentia, quia primus motus quo quis mo- « vetur in imaginem ut est res quaedam, est alius a motu qui « est in rem. Secundus autem motus qui est in imaginem in « quantum est imago, est unus et idem cum illo qui est in rem [1] ». Sed ad rectam huius principii applicationem nota bene quod imago

[1] S. Thom., hic, art. 3 in corp.

ut res, non est tantum imago ut marmor vel argentum vel tela cum coloribus, sed etiam ut artefactum quoddam, opus manuum artificis, bene vel male prototypum referens. Et his omnibus modis sumendo imaginem, constat quod non idem motus est in imaginem et in exemplar. Imo vero potest quis diligere exemplar et odisse imaginem, sicut accidit, exempli causa, cum in certis ecclesiis inveniuntur statuae monstris simillimae, quae tamen characteristicis S. Ioannis, vel S. Petri, vel S. Christophori, aut cuiuspiam alius sancti adornantur. Nunc autem imago ut imago, est imago prout imaginis actum exercens, et semper eodem modo exercens sub qualibet forma artis: sicut ellipsis quam geometra describit in tabula, semper eodem modo exercet actum repraesentandi ellipsim mathematicam, idealem, exactam, etiamsi forte contingat ut materialiter considerata, quam maxime ab ea elongetur. Et si hoc modo imaginem sumas, sic verissime dicitur quod idem est motus in illam et in rem cuius imago est. Nam praescinduntur omnia quae in imagine sunt tanquam in re vel artis vel naturae, et non consideratur nisi imago in actu exercito imaginis, non secus ac si esset speculum ita bene iustatum et adaequatum obiecto, ut nihil speculi videretur secundum quod est vitrum vel metallum, sed visio terminaretur ad ipsum solummodo in quantum est obiectum ipsum in esse repraesentativo. Tunc ergo eadem reverentia debetur imagini et prototypo, sic tamen ut transitive tantum terminetur ad imaginem, quae cum se tota referatur ad prototypum, nihil honoris admittit quod eodem modo ad prototypum totaliter non reducatur. Et haec quidem est sententia S. Thomae.

Nihilominus, adhuc tertia sententia est, Bellarmini, Catharini, et aliorum quorumdam, quasi media inter duas praecedentes. Vult sententia ista, imagines vere quidem et proprie esse venerandas, non tamen eodem honore quo exemplar, adeoque nullam imaginem adorandam esse latria. Et forte differentia est in vocibus potius quam in re ipsa. In primis haec opinio, qua parte negat cultum latriae quibusvis imaginibus deferendum, omnino concordat quoad rem cum sententia S. Thomae. Intelligit enim per latriam cultum supremum qui *absolute* ad rem

adoratam terminatur, quique soli Deo in seipso debetur. Quo modo latriam accipit Concilium Nicaenum II, quando ait: « Imaginibus osculum et honorariam adorationem tribuendam, non « tamen eam quae secundum fidem nostram est veram latriam, « quae solam naturam divinam decet ». Dicendo enim, *veram latriam quae solam naturam divinam decet,* satis expressit Concilium latriam absolutam, quam nos quoque removemus, ex hoc ipso quod statuimus imaginem quamlibet colendam esse ut imaginem, non ut rem: semper intelligendo quoad imagines Christi latriam transitivam sive relativam, non autem latriam sine addito, multoque minus cum expressa determinatione a Nicaenis Patribus apposita. Qua parte igitur sententia Bellarmini reiicit latriam sic intellectam, profecto nec sententiae S. Thomae contradicit, nec ulli alii apud catholicos doctores receptae. At nunc, quando explicat Bellarminus suam opinionem qua parte positiva est, non videtur sequendus, nisi forte, ut supra dictum est, quoad solum modum loquendi ab Angelico differat: « Imaginibus, in« quit [1], non convenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec « dulia, nec ullus alius eorum qui tribuuntur naturae intelligenti, « (non enim est capax res inanima et rationis expers eiusmodi « cultuum), sed cultus quidam inferior et varius pro varietate « imaginum. Itaque imaginibus sanctorum non debetur proprie « dulia, sed cultus inferior qui dici potest dulia secundum quid, « vel dulia analogice sive reductive. Similiter imaginibus B. Vir« ginis non debetur hyperdulia simpliciter, sed hyperdulia se« cundum quid, sive analogice et reductive. Denique imaginibus « Christi non debetur latria vera et simpliciter, sed cultus sine « comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam ut im« perfectum ad perfectum ». Sed contra est quod cum dicitur res inanimata incapax cultus latriae vel duliae, statim quaeritur de quo cultu sermo sit, an de absoluto, an de relativo. Si de absoluto, non solum res inanimata incapax est cultus latriae vel duliae, sed etiam cuiuscumque alius qui his fingeretur inferior. Si autem de relativo, cum in cultu relativo nulla omnino sit

(1) Bellarm., de Imagin. SS. c. 25.

causa adorationis praeter excellentiam personarum quarum imagines sunt, consequens profecto est ut *idem numero cultus* debeatur imagini et exemplari; hoc solo discrimine quod iste unus cultus aliter terminetur ad imaginem, et aliter ad exemplar: ad imaginem transitive, ad exemplar pausative. Unde si imaginibus Christi honor latriae denegatur, unum de duobus logice consequitur: vel quod Christus ipse non sit latria colendus, vel quod eius imago coli debeat cultu absoluto propter aliquam excellentiam quae sit imagini propria. Utrumque autem pariter reiiciendum est, nam primum poneret negationem divinitatis Christi, alterum vero reduceret cultum imaginis ad quamdam speciem cultus idoli. Non ergo est cur usquequaque recedatur a sententia S. Thomae (1).

§ 3.

Quidquid autem mox dictum est de imaginibus Christi, facilem applicationem habet ad crucem in qua Salvator affixus fuit. « Dicendum, inquit S. Thomas art. 4, quod honor seu re-
« verentia non debetur nisi rationali naturae; creaturae autem
« insensibili non debetur honor vel reverentia nisi ratione ra-
« tionalis naturae. Et hoc dupliciter. Uno modo in quantum re-
« praesentat rationalem naturam; alio modo in quantum ei quo-
« cumque modo coniungitur. Primo modo consueverunt homines
« venerari regis imaginem, secundo modo eius vestimentum;
« utrumque autem venerantur, homines eadem veneratione qua
« venerantur et regem. Si ergo loquamur de ipsa cruce in qua

(1) Itaque imago *ut res* nullo cultu colitur; imago *ut imago* eodem cultu colitur quo exemplar. Sed quidam introducunt tertiam distinctionem, imaginis scilicet *prout per benedictionem Ecclesiae est deputata cultui,* et sic dicunt quod est colenda cultu distincto. Hoc tamen displicet, quia quod aliqua imago per Ecclesiae benedictionem sit deputata cultui, nihil aliud facit (ut videtur), nisi quod imago illa iam sit de iure destinata ad officium et actum imaginis sacrae, et non possit amplius sumi solum ut res, puta ut res venalis in officina mercatoris, vel ut simplex specimen artis in musaeo vel pinacotheca. Facit igitur ut iam debeat coli ut imago, non autem facit ut alia specie cultus colatur.

« Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda: « uno scilicet modo in quantum repraesentat nobis figuram Christi « extensi in ea; alio modo ex contactu ad membra Christi, et « ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Unde utroque modo « adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione la- « triae. Et propter hoc etiam crucem alloquimur et deprecamur « quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de effigie crucis « Christi in quacumque alia materia, puta lapidis vel ligni, « argenti vel auri, sic veneramur crucem tantum ut imaginem « Christi, quam veneramur adoratione latriae, ut supra dictum « est ».

Porro eaedem fere considerationes valent quoad caeterea passionis instrumenta, nisi quod ipsa vera crux duobus titulis repraesentat Salvatorem, ratione contactus membrorum Christi patientis, et ratione figurae secundum quam dicitur *signum Filii hominis* quod apparebit in coelo. Prima ergo ratio communis est et clavis et coronae et lanceae, aliisque (1); secunda vero non. Hinc porro id unum sequitur, quod non solum veram Christi crucem adoramus, sed etiam eius effigiem in quacumque materia, non autem imaginem clavorum vel quorumcumque huiusmodi.

DE CHRISTO MEDIATORE.

Denique considerandum est « de hoc quod dicitur Christus « Dei et hominum mediator ». Et doctrina quidem generaliter tantum hic tangitur, quia manet suo loco perficienda, ubi de mysterio redemptionis. Sit ergo haec una propositio.

(1) Unde Damascenus, l. 4 de fide orth. c. 11: « Hoc itaque pre- « tiosum ac venerabile lignum in quo se Christus pro nobis hostiam « obtulit, uti sanctissimi corporis atque sanguinis tactu sanctificatum, « iure debet adorari; clavique item, et lancea, et indumenta, et sacrae « eius mansiones, hoc est, praesepe, specus, salutaris Golgotha, vivifi- « cum sepulcrum, ac similia... Nam si eorum quos diligimus, et domus, « et lectus, et vestis chara nobis sunt, quanto magis ea quae Dei et « Salvatoris nostri sunt, per quae etiam parta nobis est salus ».

THESIS XL.

(Quaest. 26).

Christum secundum quod homo, est primus et summus mediator noster apud Deum.

In nomine mediatoris importatur habitudo medii inter duo extrema, utique coniungenda et reconcilianda, post dissolutum foedus pacis. Unde, ut dicit S. Thomas, a. 2 in corp.: « In mediatore duo « possumus considerare, primo quidem rationem medii, secundo « officium coniungendi ». Utrumque autem competit Christo qua homo est, eique soli tanquam primo ac principali, cuius mediatio non nititur mediationi alterius. « *Unus enim Deus,* inquit apostolus, 1 Tim. II-5, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus « Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* ».

Et re quidem vera, Christus qua homo est infra Deum propter naturam creatam, et super omnes homines ratione plenitudinis gratiae et gloriae. Praeterea, ut homo obtulit Deo singularem hanc satisfactionem per quam deletum est chirographum decreti quod erat contrarium nobis, et vicissim per virtutem sanguinis sui refudit in homines omnia dona pertinentia ad amicabilem cum Deo societatem, sive per gratiam in praesenti, sive per gloriam in futuro.

Ergo ipse est mediator summus, licet nihil prohibeat aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive vel ministerialiter. Dispositive, sicut prophetae et sacerdotes Veteris Testamenti qui praenuntiabant et praefigurabant verum et perfectum Dei et hominum mediatorem. Ministerialiter, sicut sacerdotes Novi Testamenti qui sunt ministri veri mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes. Ita S. Thomas, a. 1 in corp., et ad 1um.

Cum his explicit pars prima quae est de ipso incarnationis mysterio. Nunc dicendum de his quae Deus incarnatus egit et passus est, considerando per ordinem mysteria nativitatis, vitae, passionis et resurrectionis Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi.

PARS SECUNDA

DE HIS QUAE DEUS INCARNATUS EGIT ET PASSUS EST

PARS SECUNDA

DE HIS QUAE DEUS INCARNATUS EGIT ET PASSUS EST.

Post praedicta, inquit S. Thomas in Prooemio Quaest. 27, in quibus de unione Dei et hominis, et de his quae unionem consequuntur tractatum est, restat considerandum de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit vel passus est. Quae quidem consideratio quadripartita erit, nam *primo* considerabimus de his quae pertinent ad ingressum eius in mundum (**Quaest. 27-39**); *secundo* de his quae pertinent ad progressum vitae ipsius in hoc mundo (**Quaest. 40-45**); *tertio* de exitu ipsius ab hoc mundo (**Quaest. 46-52**); *quarto* de his quae pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam (**Quaest. 53-59**).

CAPUT PRIMUM

(Quaest. XXVII-XXXIX).

DE HIS QUAE PERTINENT AD INGRESSUM CHRISTI IN MUNDUM.

In illo tempore, « intravit Iesus in quoddam castellum, et « mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. « Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus

« pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat « circa frequens ministerium », et reliqua.

Quae sunt, salva interim litterali veritate facti, per allegoriam dicta. Castellum enim in quod Salvator ingressus perhibetur, mundus est in quo vivimus; qui recte castelli nomine hic designatur, cum ad totius amplitudinem universi, et praesertim ad curiam Regis aeterni comparatus, vix ac ne vix quidem se habeat ut castellum ignobile et pagus angustissimus. In hunc igitur pagum intravit Filius Dei, quando carnem induit factus homo. Porro intrantem excepit mulier quaedam in domum suam: mulierem dico in mulieribus benedictam, quae prae caeteris creaturis ad inclytum matris decus evecta, duplex in se una Marthae et Mariae officium circa Verbum adveniens summa perfectione coniunxit. Nam ex quo angelicae annuntiationi voluntarium praebens assensum, purissimos illos subministravit sanguines de quibus, Spiritu Sancto operante, formatum est corpus Verbi, de ea continuo accipitur id quod in Martha circa corporalem coelestis hospitis sui necessitatem occupata, legitur adumbratum. Et certe cum infantem caute portavit in utero, cum in lucem editum pannis involvit, cum reclinavit in praesepio, cum proprio lacte aluit, cum diu noctuque super eum vigilavit, cum Herodis furorem fugiens detulit in Aegyptum, cum nutrivit in Nazareth, et suo parentem imperio adolescere vidit; cum stans iuxta crucem, pendentis Filii dolorum particeps effecta est, cum de patibulo depositum sinu suo exanime corpus excepit; cum propriis manibus sudario involvit, et iure materno quaecumque ad sepulturam pertinebant ordinavit, nonne multo verius multoque felicius *satagebat circa frequens ministerium?* Verum, ipsa est mater non similem habere visa, non habere sequentem, quae mente prius conceperat quam corpore. Et beata quae crediderat: beata quidem, quia Verbi incarnandi ministra facta fuerat temporalis, sed inde multo beatior quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna. Ideo oportuit in ea adimpleri et figuram alterius sororis, *quae sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Non enim ad Virginem spectat reprehensio quam ministranti Marthae adhibebat Dominus dicens: « Martha, Martha, sollicita

es et turbaris erga plurima ». Intenta Martha, ait Augustinus, quomodo pasceret Dominum; intenta Maria quomodo pasceretur a Domino. Ast utrumque simul virgo benedicta: *conservabat,* iniquit, *omnia verba haec, conferens in corde suo.* Quapropter de plenitudine contemplationis eius nos omnes evangelium accepimus. Cum enim testetur Lucas (I, 2-3), se omnia assecutum a principio diligenter ab iis qui viderant: quis, putas, testis esse potuit incarnationis, nativitatis, et totius infantiae Iesu Christi, nisi ea quae omnium ab initio apprime conscia, intentam considerationem mentis a dictis et gestis Salvatoris nusquam distraxerat? Denique, post ascensionem Domini et descensum Spiritus Sancti, expleto iam ministerio eius, quomodo eam tibi cogitatione effinges nisi sub typo illius Mariae quae in aula mentis, divinae vacabat sapientiae, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et in deliciis laetabatur aeternis? Sedens ergo secus pedes Domini expectabat donec audiret vocem dicentem sibi: Veni de Libano, sponsa mea, veni, coronaberis.

Vere itaque *optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea in aeternum.* Imo verius, non partem sibi elegit, sed plenitudinem accepit eorum omnium quae in mystico Christi corpore inter multos divisa sunt. Ipsa enim supra alios cunctos in specialissimo ordine redemptionis constituta, coniungitur cum Filio in omnibus nexu indissolubili. Et ideo, cum incarnationis exsecutio consideratur, secundum quod de Matre Virgine Verbum caro factum est, primum omnium de ea sermo habendus est.

QUAEST. XXVII-XXX.

DE BEATISSIMA ET AUGUSTISSIMA MATRE DEI ET HOMINUM VIRGINE MARIA.

Visum est praemittere huic disputationi generale quoddam compendium praerogativarum Virginis, prout luculenter elucet in ipso Scripturae postliminio, cum primum hominibus lapsis Salvator promittebatur. Tum postea, ad singula descendere quae tractat S. Thomas in praesenti: videlicet, ad Deiparae gratiam

(Quaest. 27), virginitatem (Quaest. 28), desponsationem (Quaest. 29), annuntiationem (Quaest. 30), et caeterea spectantia praeparationem ad concipiendum Filium Dei. Prima ergo positio erit ut sequitur.

THESIS XLI.

De Virgine Matre generaliter tenendum est, quod in ordine reparationis eum locum tenet, quem tenuit Eva in ordine perditionis. Nam sicut ex insigni oraculo Geneseos edocemur, totius redemptionis nostrae ratio in quadam recirculatione contra diabolum consistere dicenda est: quatenus omne id quod machinatus fuerat Satanas ad ruinam generis humani, illud ipsum ordine contrario divinitus dispositum est ad salutem. Quo fit ut novo Adae, id est Christo, indissolubili nexu ad dissolvenda diaboli opera coniungi debuerit nova Eva, id est, Maria.

Considerandum itaque nunc venit celeberrimum illud oraculum in quo, testante Pio IX in Bulla *Ineffabilis,* perhibetur Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntiasse, deceptoris serpentis retudisse audaciam, nostri generis spem mirifice erexisse, ac demum omnem suae providentiae rationem in hominum reparatione compendiose delineasse. Et primo videndum quae sit vis et ratio sententiae latae in serpentem, tum secundo quae Virginis praerogativae ibi eluceant.

§ I.

Quatuor omnino supposita, vel individua vel collectiva, in hoc oraculo invenies designata: serpentem serpentisque semen ex una parte, ex adverso mulierem mulierisque semen.

In primis indubium est **serpentis** nomine significari diabolum, iuxta illud Apoc. XII-9: « et proiectus est draco ille ma-« gnus, *serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas,* qui se-

« ducit omnem orbem ». Quanto enim minus ea quae de protoparentum deceptore dicuntur, naturali serpenti convenire possunt, tanto manifestius de spiritu nequam debent intelligi. Nec obstat id quod in initio sententiae a Deo latae legitur: « Maledictus es « inter omnia animantia et bestias terrae, super pectus tuum « gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae ». Nihil enim peccaverat animal ut a Deo puniretur. Unde punitio evidenter dirigitur ad eum qui per serpentem tamquam per visibile organum regalem sibi in mundo dominationem comparare tentaverat, quique pro sceleris recompensatione in loco et gradu bestiae quam in instrumentum assumpserat, remanere cogitur. Quidquid ergo infamiae potest figurate intelligi in iis quae naturaliter serpenti competunt, puta quod supra ventrem repat, quod in profundis ac tenebrosis cavernis plerumque delitescere cogatur: totum hoc in poenam diabolo adscribitur, ut qui se ad horam transfiguraverat in serpentem, maneat vel invitus serpens in aeternum. Ipse enim est qui repit super ventrem, dum opus suum perficere non valet nisi per eos quorum, ut apostolus ait, deus venter est. Ipse quoque est qui terram comedit cunctis diebus vitae suae, dum ab infamibus et obscoenis hominibus honores capit, et impiae adorationis haurit incensum.

Nunc autem, si serpentis nomine diabolus designatur, iam ultro occurrit, quid per **serpentis semen** sit intelligendum. Quippe, vox *semen* apud Hebraeos solet de posteris sive de filiis dici, et cum carnalis posteritas in diabolum non cadat, sequitur eos omnes hic significari quos perversa suggestione sua quasi quadam spirituali generatione, similes sibi Satanas efficere intenderat, inducendo in actum vel saltem in statum peccati. Ergo semen serpentis, Adam praevaricator; semen serpentis, ii omnes qui tunc in lumbis eius continebantur, et postea nascituri erant originali labe infecti. Quod tamen formaliter, et in sensu (ut aiunt) composito accipiendum esse constat. Nam solius peccati ratione homo semen diaboli nuncupari potest, et statim ac peccatum aufertur, a semine maledicto ipsum segregari necesse est.

Sed iam attende quid ex opposito significent mulier, mulierisque semen. Semen in Scriptura non tantum de posteris col-

lective, sed etiam de uno filio singulariter accipitur (1). Hoc autem in loco, **semen mulieris** sensu sane primario (2) de singulari aliqua persona dici, attentis fontibus revelationis, certissime constat. Evidens enim est, hic praenuntiari redemptionem humani generis et liberationem ex tyrannide diabolica. Porro redemptionem hanc per unum singularem virum perficiendam fuisse, omnes ubique locorum Scripturae clamant. Ipse est de quo asseritur 1 Ioan. III-8, quod apparuit ut dissolveret opera diaboli, et Heb. II-14, quod participavit carni et sanguini ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, i. e. diabolum. Insuper, illud mulieris semen de quo hic dicitur, *ipse conteret caput tuum,* hoc est, ad nihilum rediget potestatem oppressoris infernalis, non aliud profecto est ab eo semine quod postea patriarchis promittitur, et in quo *benedicendae erant omnes cognationes terrae* (3). Et sane, sicut in Scriptura infortunium per excellentiam servitus diaboli est, ita benedictio per excellentiam eiusdem servitutis excussio. Quare nemini unquam dubium esse potuit quin semen in persona Abrahae toti mundo promissum, et semen ab initio annuntiatum tanquam serpentis caput contriturum, unum omnino sit atque idem. Nunc autem apostolus, Galat. III-16, authentice interpretans promissionem Abrahae factam, ait: « Abrahae dictae « sunt promissiones, et semini eius. Non dicit, in seminibus quasi « in multis, sed quasi in uno, **et semini tuo qui est Christus** ». Ex his ergo indubitanter efficitur, in *semine mulieris* significatum

(1) Cf. Genes. IV-25, XV-13; 2. Reg. VII-12, etc.

(2) Dixi *sensu primario,* nam sensu secundario indubium est adsignificari collectionem eorum qui ad Salvatorem pertinent tanquam corpus eius et plenitudo ipsius. Hoc suadetur ex contextu, quia semen serpentis semini mulieris opponitur; sed semen serpentis accipitur collective; ergo ut sit perfecta oppositio, oportet ut sub aliqua saltem ratione, mulieris semen collective etiam dicatur. Suadetur praeterea ex loco parallelo, Apocal. XII-17: « Et iratus est draco in mulierem, et « abiit facere praelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt man- « data Dei et habent testimonium Iesu Christi ». Ubi ostenditur in actu exercito id ipsum quod a Domino Deo in paradiso fuerat annuntiatum. Dicitur autem serpens facere praelium *cum reliquis* de semine mulieris.

(3) Genes. XXII-18, XXVI-4, etc.

fuisse eum qui se in evangelio *filium hominis* quasi proprio nomine semper appellare consuevit, qui delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

Hactenus de semine. De **muliere** autem, quid? Fidenter porro dixerim, non opus esse consideratione a longe petita cum sensus maxime obvius et naturalis Mariam ultro designet. Si enim per semen mulieris significatur Salvator Christus, statim apparet, per mulierem ipsam significari matrem Salvatoris.

Equidem nonnulli e catholicis etiam interpretibus, mulierem hic *ad litteram* designatam, Virginem Mariam esse minime confitentur. Nituntur autem hac una ratione, quod in tota historia tentationis et lapsus, terminus *mulier,* vel pro Eva vel pro muliere in genere adhiberi consuevit. Ergo, aiunt, etiam in praesenti sic est accipiendus, quia in eodem contextu idem terminus in eadem constanter significatione sumatur oportet. Verum absoluta huius rationis inanitas facile ostenditur, praesertim quia nequaquam verum est sententiam a Deo latam contra serpentem, unius esse tenoris cum narratione tentationis et lapsus. Quippe narratio historica et sententia Dei duo sunt omnino distincta. Narratio exhibet factum, sententia regerit iustam pro facto retributionem. Narratio refert materiam super quam cadit iudicium, sententia ipsum iudicium continet, quo et serpenti et mulieri et viro rependitur, unicuique secundum opera sua. Ultro igitur concedendum quod in narratione historiae, terminus *mulier* pro una eademque persona constanter supponit. Et sane, *mulier* quae videt bonum esse lignum ad vescendum, aspectuque delectabile, quae accipit de fructu illius, et comedit, et dat viro suo; *mulier* quam Adam inculpat, quam Deus interrogat de delicto, et postmodum alloquitur annuntians fore ut multiplicentur aerumnae eius tum in partu filiorum tum in subiectione ad virum: haec, inquam, mulier a primo ad ultimum, nonnisi Eva esse potest, quanquam in Evae etiam persona, ad poenam quod attinet, generatim includatur sexus femineus prout originali culpa infectus, et novae conditioni obnoxius cui prima praevaricatio

principium attulerat. At vero, ubi sententiam enuntiat Deus adversus serpentem dicens: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius,* non amplius factum historicum refertur, sed in seductorem scelus et malitia retorquetur. Nec ambigua aut dubia apparet iustissimi simul ac sapientissimi iudicis intentio. Decernit enim ut qui per mulierem vicerat, per mulierem etiam vinceretur, et qui mulieris amicitiam fraudulenter captaverat, mulieris verissimas inimicitias persentiret. Ergo exigit omnino vis et ratio sententiae ut cum in ea mulier nominatur, maneat quidem invariata nominis *significatio.* Quod autem contextus exposcat ut sit etiam eadem ac prius termini *suppositio,* seu ut triumphatrix illa mulier quae in terrorem serpentis a Domino Deo suscitatur, eadem numero sit cum illa quam tentationis ac lapsus historia commemorat: hoc profecto nimis enorme et absonum est, quam ut confutatione indigeat.

Ast non satis. Nedum enim contextus cogat nomine mulieris hic intelligere Evam, fidenter assero hunc sensum tanta evidentia excludi, et Mariam tam aperte designari, ut vix in Scripturis aliud quidquam invenire sit, pluribus et firmioribus fundatum rationum momentis. Omitto interim, nihil vel verosimiliter cogitari posse, quo in Eva verificatae ostendantur singulares illae inimicitiae quae tanta emphasi dicuntur poni a Deo mulierem inter et diabolum. Omitto, easdem inimicitias manifestam habere connexionem cum contritione capitis serpentis in qua Dei sententia terminatur; aliunde vero, unicuique cogitanti statim occurrere, quid tandem egit Eva, quid pertulit, quid meruit, ut diabolo et portis inferi tam exitialis exstiterit. Omitto iterum, Evam in hoc capite Geneseos constanter sustinere personam peccatricis, imo illius peccatricis, qua mediante, totum humanum genus fuerat in semen diaboli conversum. Cui considerationi profecto non officit, quod ipsa protoparens per gratiam Dei ex praevisis Christi meritis fuerit aliquando educta e delicto suo ([1]), quia hoc est omnino praeter characteristicam et typicam notam sub qua in praesenti Eva delineatur. Nunc enim illa et non alia

([1]) Cf. Sap. X-2.

ostenditur Eva, a qua haereditavimus peccatum et poenas peccati. Illa, inquam, non satis deploranda mater, cuius flebiles filii subiacent maledicto, quaeque in initio totius ruinae conspicua apparet, nedum triumphi de serpente reportati qualecumque principium exsistat et origo. Omitto denique, non mediocre argumentum hinc etiam sumi posse, quod mulier a Deo annuntiata, ea mulier sit cui semen Christus attribuitur. Nam si diligentius revolvas totam seriem Scripturarum, saepius quidem invenies Christum dici semen Abrahae, Isaac, Iacob, David, non autem Sarae, Rebeccae, Bethsabeae, etc. Et in summa, nusquam, alibi reperis singularem hanc loquendi formam, *semen mulieris,* nisi in aliquo parallelo loco Apocalypseos (1), ubi certe non Eva designatur, sed vel Maria vel Ecclesia. Nec mirum hoc cuiquam videri debet, quia formula ista ingerit ex sese ideam maternitatis, quae non sit secundum leges ordinarias, sed omnino sublimior ac prorsus virginalis, sicut egregie declaravit Isidorus Pelusiota inquiens: « Illud mulieris semen quod Deus inimicum et « infestum serpenti esse iubet, Dominus noster Iesus est. Nam « ipse mulieris semen, singulari modo ex ea ortus est, ita ut nec « viri semen intercesserit, nec quicquam decesserit castitati » (2). Unde iterum reducimur ad illam Virginem per excellentiam, divino partu honorandam, de qua postea prophetavit Isaias dicens: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Haec itaque omnia, et alia plura quae commemorare non vacat, per se sola iam abunde intentum conficerent. Sed placuit unice insistere in recirculatione qua utitur Deus contra diabolum, opponendo semen *e sola muliere* ortum, quod est Redemptor cum suo corpore mystico, semini illi quod *per solius mulieris mediationem* sibimet serpens in terra suscitaverat.

Sane vero, poenam deceptoris serpentis in quadam retorsione fuisse sitam, quatenus scilicet omne id quod excogitaverat diabolus ad subiiciendum sibi hominem, fuerit omnino eodem ordine divinitus resumptum ad hominem liberandum, vetustis-

(1) Apocal. XII, per totum.

(2) Isidor. Pelus., apud Passaglia de Imm. Conc., Sect. 5, c. 1.

simi etiam inter Patres tradiderunt. Quod et ex diligenti textus Geneseos consideratione luculenter patet, et ex consueta providentiae ratione confirmatur, quia ut dicitur Sap. XI-17, *per quae peccat quis, per haec et torquetur*. Pulchre Tertullianus, de Carne Christi, c. 17, ait Deum imaginem suam a diabolo captam *aemula operatione* recuperasse. Ubi nota quod aemulari est proprie paribus armis pugnare, et iisdem mediis contendere. Unde sese magis explicans Tertullianus subdit: « In virginem enim adhuc « Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis, in virginem « aeque introducendum erat verbum exstructorium vitae, ut quod « per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum « redigeretur in salutem ». Vides igitur, Tertulliano teste, Deum instituere novam mulierem inductivam redemptionis, aemulando Satanam qui adhibuerat mulierem inductivam perditionis. Consonat Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone, n. 100: « No- « vimus per virginem Deum hominem factum esse, ut qua via « initium, orta a serpente inobedientia accepit, eadem via etiam « dissolutionem acciperet ». Ubi omnino alludit Iustinus ad historiam et oraculum Geneseos, vultque ut per quos gradus humana natura ceciderat, per eosdem ad pristinam dignitatem erigeretur. Sed adhuc expressiora ea sunt quae dicit Irenaeus, l. 3 c. haeres. c. 22, ubi comparat facinus Satanae cuidam innodationi, operationem vero Dei reparantis denodationi illiusmet quod prius fuerat innodatum: « Quia, inquit, non aliter quod colligatum est « solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur re- « trorsus ». Statimque explicat quomodo Deus calliditati Satanae suam opposuit sapientiam, qua opus reparationis reflexit secundum omnes praecedentes inflexiones machinationis ruinae, e regione ponendo singula correspondentia, cum eodem respectivo influxu eademque causalitate (1).

(1) « O Dieu! quelle abondance de miséricorde, et que les sujets « d'espérance se multiplient devant nous! puisqu'en même temps qu'un « homme et une femme perdaient le genre humain, Dieu qui avait « daigné prédestiner un autre homme et une autre femme pour les « relever, a désigné cet homme et cette femme jusque dans ceux qui « nous donnaient la mort. Jésus-Christ est le nouvel Adam, Marie est « la nouvelle Eve... Tout convient à ce grand dessein de la bonté di-

Quo posito, attende perfidiam serpentis, et vide qualiter se habuerit innodatio eius. Non mulierem, sed virum suis retibus illaqueare intendebat, cum solus vir constitutus esset totius suae progeniei caput in ordine ad conservanda naturae innocentis dona. Non tamen recta perrexerat diabolus ad scopum, sed quaesierat mediatricem mulierem, quam sciebat deceptioni magis obnoxiam, viro item suo familiarissimam, ac per hoc maxime idoneam quae eum, sin minus seductione, at certe precibus et blanditiis in peccatum attraheret. Mulierem igitur adulatione et simulata benevolentia adierat, promittens ei consortium et communicationem cum superioribus spiritibus, (nam deorum nomine hic veniunt spiritus scientia praepollentes), si modo vetitum pomum ederet. Tum deinde per seductam mulierem suggestionem suam extenderat usque ad Adam, in quo peccante omnes peccaverant. Vide nunc, qualiter huic calliditati e regione opponatur consilium Dei reparantis: *Quia*, inquit, *fecisti hoc..., inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipse conteret caput tuum.* Quid est, *quia fecisti hoc?* Id est: Quia fallacem cum muliere Eva simulasti amicitiam, societatemque inivisti ex qua fausta accepisti auspicia triumphi, ideo ego alteram

---

« vine. Un ange de ténèbres intervient dans notre chute, Dieu pré-
« destine un ange de lumière qui devait intervenir dans notre répa-
« ration. L'ange de ténèbres parle à Eve encore vierge, l'ange de lu-
« mière parle à Marie qui le demeura toujours. Eve écouta le tentateur
« et lui obéit, Marie écouta aussi l'ange du salut et lui obéit. La perte
« du genre humain qui se devait consommer en Adam, commença par
« Eve; en Marie commence aussi notre délivrance; elle y a la même
« part qu'Eve a eue à notre malheur, comme Jésus-Christ y a la même
« part qu'Adam avait eue à notre perte. Tout ce qui nous a perdus
« se change en mieux. Je vois paraître un nouvel Adam, une nouvelle
« Eve, un nouvel ange. Il y a aussi un nouvel arbre qui sera celui de
« la croix, et un nouveau fruit sur cet arbre qni détruira tout le mal
« que le fruit défendu avait causé. Ainsi l'ordre de notre réparation
« est tracé dans celui de notre chute; tous les noms malheureux sont
« changés en bien pour nous, et tout ce qui avait été employé pour
« nous perdre, par un retour admirable de la divine miséricorde, se
« tourne en notre faveur ». Bossuet, Elévations sur les mystères, 8ème Semaine, 3ème Elév.

suscitabo mulierem prae omnibus eminentem, quam inter et te verissimas firmabo inimicitias, ut quantum tibi prima exstitit favorabilis et propitia, tantum altera infesta sit ac funesta, et quanto facilius per mulierem unam adeptus es victoriam, tanto ignominiosius per mulierem alteram profligeris. Quid est iterum, *quia fecisti hoc?* Id est: Quia per mulierem deceptam tamquam per instrumentum et opportunam mediatricem, humanum genus in suo capite Adam semen tuum effecisti, ideo ego per mulierem alteram alterum suscitabo semen, hominum redemptorem nec non et caput in ordine gratiae. Ipse factus ex muliere et mediante muliere mundo datus conteret tibi caput, hoc est, plenum de te et de portis inferi et de iis qui in semine tuo propter neglectum redemptionis beneficium remanebunt, triumphum reportabit.

Haec igitur vis est, haec ratio sententiae a Deo in diabolum latae. Quam si recte perpendas, statim tibi apparebit mulierem illam cuius semen Redemptor esse dicitur, omnino excludere consortium viri. Nam alias periret omnis prorsus veritas et decor oppositionis inter divinum reparationis opus et callidam Satanae machinationem, nec amplius qua via initium accepit orta a serpente inobedientia, eadem via etiam dissolutionem acciperet. Ergo a primo ad ultimum, mulier in oraculo Geneseos annuntiata, neque Eva est, neque ulla e feminis quae per generationes singulas in genealogia Salvatoris computantur, sed sola Virgo Maria de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Cui etiam conclusioni non meram probabilitatem, sed absolutam certitudinem censemus esse adscribendam, post Pium IX in Bulla *Ineffabilis*. Nam, inquit Pontifex, Patres Ecclesiaeque scriptores docuere, « divino hoc oraculo *clare aperteque* praemonstratum « fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Uni« genitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam beatissi« mam eius matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utrius« que contra diabolum inimicitias insigniter expressas » (1).

(1) Hic diligenter nota quod ab hac auctoritate minime se expediunt adversarii dicendo quod etsi mulier quae in praesenti oraculo designatur, sit ad litteram Eva, adhuc tamen *sensu spirituali* est Maria. Non enim id intendit Bulla, sed intendit omnino designari Mariam

Vere igitur dicendum est, Virginem parituram statim post lapsum protoparentibus nostris fuisse propositam, ut in qua

---

secundum sensum litteralem. Nam primo, ea quae secundum solum sensum spiritualem designantur, non *clare aperteque* designantur, sed sub arcano velamento allegoriae, ut ipsum nomen sensus mystici seu spiritualis per se clamat. « Auctor Sacrae Scripturae, ait S. Thomas, 1a Part, Q. 1, « a. 10, est Deus, in cuius potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res « ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent hoc habet « proprium ista scientia, quod ipsae res significatae, per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio qua voces significant res, « pertinet ad primum sensum qui est sensus historicus vel litteralis. Illa « vero significatio qua res significatae per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis qui super litteralem fundatur, et eum « supponit ». Sicut ex. gr. in historia Cain et Abel, sensu spirituali significatur populus Iudaeorum necem inferens Christo. Sed quis ferret dicentem quod in hac historia mors Christi et scelus populi deicidae *clare aperteque* significatur? — Insuper ex sensu spirituali nullum argumentum trahitur, ut docet S. Thomas ubi supra in responsione ad 1um, hac evidenti ratione ductus: quia id quod mystice tantum significatur, non potest nobis innotescere nisi ex locis ubi illud idem litteraliter exprimitur. Atqui Bulla *Ineffabilis* affert prophetiam Geneseos, ut quae inimicitias Mariae et serpentis *insigniter* prodat. — Praeterea tertio etiamsi ex sensu spirituali posset aliquando trahi argumentum, certe non in praesenti. Nam Bulla vult ut ex hoc loco demonstrentur inimicitiae prorsus singulares Virginem inter et diabolum, quales scilicet eas esse oportet, ut singularissimum quoque privilegium constituant. Si autem inimicitiae quae in sententia Dei praedicantur, intelligendae sunt per prius et ad litteram de inimicitiis diaboli ad Evam vel mulierem in genere, clarum est nihil posse exinde quocumque modo vel verosimiliter erui in ordine ad aliquod Deiparae privilegium. — Quarto denique, ad hoc ut quae hic litteraliter dicta sunt de Eva, sensu spirituali intelligi possent de Maria, oporteret ut Eva fuisset typus Mariae praecise in quantum contra diabolum exercuit inimicitias. Atqui nihil magis absonum dici potest. Et vere quidem *forma futurae* Eva, sicut *forma futuri* Adam. Id tamen, (si loquamur de Adamo et Eva ab amisso innocentiae statu), per comparationem a contrario, non per comparationem a simili, ut tota traditío christiana clamat. — Omnibus ergo modis vanum effugium est quod ex sensu spirituali quaeritur, et quisquis recipit ea quae de oraculo Geneseos in Bulla *ineffabilis* traduntur confiteatur necesse est B. Mariam designari sensu litterali, illo scilicet sensu qui immediate verbis subest.

totius nostri generis spes reponeretur; eamdemque in afflictis ac penitus profligatis rebus primam omnium illuxisse instar iridis, secuturae serenitatis praenuntiae. Vere ac fideliter confitendum, habere Mariam in ordine reparationis eas ipsissimas partes quas habuit Eva in ordine ruinae, tantumque influere in restaurationem nostram ac serpentis cladem, quantum influxit Eva in nostram perditionem (1). Vere demum credere oportet, Mariam cum ipso Salvatore Iesu Christo indissolubili nexu in ordine ad dissolvenda diaboli opera esse coniunctam, voluntatemque Dei fuisse ut nova mulier cum suo semine nequaquam ad ordinem ruinae, sed omnino ad ordinem excussae tyrannidis pertineret. Superest nunc ut quae generali conclusione enuntiata sunt, explicatius proponantur.

§ 2.

Dicit Apostolus, Rom. V-14, Adam fuisse formam futuri, id est, typum Christi per comparationem a contrario, et hoc idem, ut ex hactenus disputatis constat, de Eva sentiendum est respectu Mariae. Ex quo fit ut sicut Christus recte nominatus est novissimus Adam (2), ita et eodem sensu, novissima Eva dicenda sit et Maria. Sed quid per hoc nomen *nova Eva* significatum existimabimus?

1. **Nova Eva, id est, omnino immaculata**, et ab omni naevo peccati, non actualis tantum, sed et originalis, penitus immunis.

(1) Hinc etiam apparet, lectionem femininam Vulgatae, **ipsa** *conteret caput tuum*, virtualiter contineri in lectione masculina textus originalis, nec nisi modaliter ab ea differre. Sicut enim dici posset: dextras iunxit prima mulier cum serpente, mulierisque vir cum principe tenebrarum, et ipse vir, vel ipsa mulier ei subiecit totum genus humanum, (dicendo enim **ipse**, directe significares causam principalem nostrae deiectionis, et adsignificares causam inductivam, id est, Evam quae determinaverat virum ad peccandum; dicendo autem **ipsa**, e converso significares directe causam inductivam, et adsignificares principalem): ita nihil in praesenti refert utrum legas: *ipse* vel *ipsa* conteret caput tuum. De quo cfr. Passaglia, de Immac. Conceptu, Sect. 5, n. 998.

(2) 1 Cor. XV-45.

Et generale quidem argumentum sumitur ex idea fundamentali totius vaticinii, id est, ex recirculatione illa qua contra serpentem retorquetur quidquid ipse excogitaverat et exsecutus fuerat ad dominationem suam in mundo inducendam: dum scilicet mulieri amicae serpentis et foedere societatis cum eo iunctae, contraponitur a Deo mulier serpenti inimica, dissolvens quidquid fuerat partium mulieris in opere diabolico. Claudicaret enim eiusmodi recirculatio, essetque manca prorsus atque imperfecta, (quod de opere divino cogitare nefas), si nova illa mulier fuisset et ipsa, particeps contagii quod per primam Evam in genus humanum diabolus induxerat. Ut ergo a communi naufragio exciperetur, ratio ordinis in reparatione nostra a Deo praestituti omnino exigebat.

At vero, argumentum hoc vim et robur plenae demonstrationis obtinebit, si accuratius consideres quomodo se habeant illae mulieris inimicitiae de quibus dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem.*

Sunt primo inimicitiae in quibus principaliter consistit poena et humiliatio serpentis. Per hoc enim eius superbia potissimum retunditur, quod cum vicisset per mulierem, per mulierem quoque foret profligandus. Atqui nulla omnino esset ratio huius tantae humiliationis, praecise ut oriundae a muliere, si de ea gloriari potuisset diabolus tamquam a se per prius contaminata, et propter contractum originalem reatum, suo aliquando subiecta imperio.

Sunt praeterea inimicitiae super quas tota cadit emphasis sententiae, ita ut ad eas tanquam ad caput caetera consequentia revocari videantur. Nam etsi principalis causa eversionis regni diaboli futurus esset solus redemptor, ipse tamen nonnisi subobscure, et (liceat dicere), quasi in umbra mulieris diabolo inimicae nunc ostenditur. Sed inimicitiae illae quas cum tanta emphasi praenuntiat sermo divinus, quomodo non essent perfectae, absolutae, et omnem cum diabolo communionem vel a primo instanti excludentes?

Sunt denique inimicitiae a Deo ipso positae. *Inimicitias*, inquit, *ponam.* Atqui nulla possibilis communicatio inter eos quos

separat et dividit Dominus omnipotens. Id tamen ut recte intelligas, animadverte quod in personis quas divina sententia separat a diabolo, primo est mulier, secundo semen mulieris quod est Christus, tertio semen mulieris quod est collectio eorum qui ut viva membra adhaerent Christo, suntque corpus eius et plenitudo eius. Et semper quidem absoluta a diabolo separatio est, sed solum in sensu composito appellationis sub qua a Deo positae dictae sunt inimicitiae. Porro fideles Christi semen mulieris non sunt nixi ex adventitio et accidentali dono; natura enim erant filii irae, ut dicitur Eph. II-3. In eis ergo consideratur etiam sensus divisus, et licet a diabolo segregati exsistant ex quo et in quantum benedictum mulieris semen effecti sunt, nequaquam tamen ab eis excluditur antecedens diaboli servitus, et quidquid de originali hac conditione etiam post iustificationem relinquitur. At in Christo qui est semen mulieris secundum quod *ipse*, sensus divisus possibilis non est; unde absolute et pro semper, ipsa quoque vi praesentis oraculi a Satana separatur. Eodem igitur pacto ab eodem separatur Virgo Maria, cum nunquam profecto potuerit esse in ea sensus divisus ab illa muliere de qua dictum est: *inimicitias ponam inter te et mulierem.* Uno demum verbo, sicut semen mulieris inimicum diabolo asseritur in quantum huius mulieris semen, ita et mulier in quantum haec determinata mulier. Sed Beata Virgo a primo instanti et semper fuit haec mulier. Sequitur ergo quod a primo sui ortus initio splendore gratiae refulsit, tota pulchra et prorsus immaculata.

Hunc porro eximium singularemque Virginis triumphum, eiusque ab omni peccati labe integritatem viderunt etiam Patres: « tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a com-
« muni totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit;
« tum in scala illa quam de terra ad caelum usque pertingere
« vidit Iacob, cuius gradibus angeli Dei ascendebant et descen-
« debant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo
« illo quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter cre-
« pitantes ignis flammas non iam comburi aut iacturam vel mi-
« nimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum
« in illa inexpugnabili turri a facie inimici ex qua mille clypei

« pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso « qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus: « tum in corusca illa Dei civitate, cuius fundamenta in montibus « sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo quod divinis re- « fulgens splendoribus, plenum est gloria Domini; tum in aliis « eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae « dignitatem, eiusque illabatam innocentiam, et nulli unquam « naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiatam fuisse « Patres tradiderunt » (1).

Cum autem S. Thomas in praesenti, quaest. 27, a. 2 ad 2um dicit, quod *si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator,* reipsa affert rationem quae probat Virginem non fuisse in sua origine immunem a peccato vi conceptionis. At vero, praeter immunitatem ab originali vi conceptionis, est et exemptio ab eodem vi privilegii ex meritis Christi Salvatoris concessi, quam nec S. Thomas nec alii coaevi scholastici, Deo ita permittente, satis consideraverunt (2). Et hanc exemptionem quae utique supponit debitum contrahendi peccatum, non derogare quomodolibet redemptioni Christi, imo vero commendare quam maxime eius efficaciam, ipsemet Caietanus agnovit dicens: « Si tenetur Beatam Virginem, non ex vi con- « ceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusio-

(1) Pius IX, Bulla *Ineffabilis.*

(2) Signa temporum unusquisque intelligat, nec calumnietur antiquos doctores scholasticos qui circa Virginis conceptionem pro humana fragilitate erraverunt. Nunc enim bellum cum serpente undequaque recrudescit, usquedum veniant dies in quibus, testante evangelio, inducerentur in errorem, si fieri posset, etiam electi. Quare, ut magis accenderetur fervor fidelium huius periculosissimi temporis erga eam quae est serpenti terribilis ut castrorum acies ordinata, consulto voluit Deus veritatem Conceptionis Immaculatae nunc tantum post longas moras in plena fidei luce apparere. Ideo permisit ut quaestio ista ab antiquioribus Scholasticis non satis examinaretur, permisit et plures falli usque ad horam a se praefinitam; quippe ipse est, qui congrua quibusque temporibus novit servare praesidia, quique pro circumstantiarum exigentiis *profert de thesauro suo nova et vetera.*

« nis animae praeservatam ab originali peccato, quod tunc in « currisset nisi gratia affuisset, nihil contra fidem tenetur, *sed « specialis modus redimendi et salvandi a peccato originali Chri- « sto attribuitur respectu suae matris.* Sic enim ipsa Beata Virgo « indiguit redimi et salvari a peccato per Christum.... Et ita pu- « ritas eius fuit maxima sub Christo, qui nullo modo indiguit « redimi, quia ex vi suae conceptionis fuit sanctus [1] ». Et hoc ipsum est quod nunc fide tenemus, profitentes Mariam *sublimiori modo redemptam,* ita ut ipsa extra numerum aliorum posita, fungi potuerit respectu caeterorum munere coreparatricis, sicut statim ostendo, amplius declarando novae Evae nomen.

2. **Nova Eva, id est, medium per quod Salvator nobis effectus est:** ut scilicet contraponeretur primae illi Evae, qua mediante. in omnium condemnationem praevaricator evasit qui primus formatus est pater orbis terrarum.

Hic autem diligenter attendendum quomodo non in sola physica Filii Dei conceptione reponendus sit Virginis concursus ad ortum Salvatoris. Non enim ad tam excellens munus passivum requirebat Deus instrumentum, sed omnino liberum ac voluntarium. Neque etiam satis consisteret oppositio inter Evam et Mariam, nisi concurrisset Virgo per actus proprie humanos, eodem pacto quo voluntate propria Eva concurrerat ad ruinam. Unde ex evangelica historia manifeste habetur, expectatum fuisse fidelem Mariae consensum velut conditionem sine qua non fuisset celebrata incarnatio. Quod ipsum virgo apprime intellexit, ubi dixit, *fiat.* Utquid enim istud diceret nisi perspiceret liberam a se requiri fidem et obedientiam? Id rursus Elisabeth repleta Spiritu Sancto testata est cum exclamavit: *Beata quae credidisti quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino,* ostendens omnia quae physice effecta sunt in Maria, uti connexa, imo dependentia a viva fide quam de altissimo atque inscrutabili mysterio praestiterat Deo loquenti per angelum. Id demum Patres indubitanter asserunt dicendo Virginem *prius mente concepisse quam corpore.* Quapropter in hoc adaequato sensu sunt intel-

[1] Caietanus in 3am Part., Quaest. 27 a. 2, in fine.

ligendi, quando Deiparam esse aiunt, « salutis caput, causam « universalis salutis, cornu potentiae quo Satanae robur fractum « iacet; salutem fidelium, mundi, generis nostri; laetitiae auctri- « cem, causam communis gaudii, solutionemque moeroris; instau- « rationem eorum quae obsoleverant, restitutricem originalis in- « genuitatis, principium et causam communis erectionis; vitae et « casus reparatricem, vivificatricem omnium, solamque deiecto- « rum restitutricem; mundi propitiatorium, maledicti solutionem « et condemnationis ablatricem; eam quae mortem demerserit, « vicerit, quaeque destruxerit diaboli tyrannidem, draconis ab- « sciderit audaciam, regnumque daemonum subverterit (1) ». Sed non est cur nunc exeat protestans quispiam, de certitudine salutis mundi sollicitus, ex hoc scilicet quod a libero Virginis consensu dependisse dicatur incarnationis exsecutio. Hinc enim nequaquam sequitur redemptionem nostram fuisse in ancipiti, et consilium Dei potuisse evacuari. Habet siquidem Deus humanum cor in manu sua, et quocumque voluerit flectit illud, miris modis faciendo ut libere simul atque infallibiliter consentiat nostra voluntas. Quare, si quando exsecutio aeterni cuiusdam consilii a contingenti actu creaturae dependeat, non oportet concludere: ergo incertus est eventus, et poterit aliquando non esse id quod vult Deus voluntate etiam absoluta. Et ratio est quia aeternum atque infrustrabile consilium Deus habuit, non solum de hoc faciendo, sed etiam tali modo faciendo, id est dependenter a talibus causis, quae etsi in se contingentes, in praescientia tamen ac providentia aeterna sic praeparatae fuerunt, ut certissime sint eventurae. Dicendum itaque, eiusmodi causas fuisse ad incarnationis executionem praeordinatas, quae divinae sapientiae proposito congruebant: inter quas recensetur Mariae fidelis ac promptà obedientia, perfidiae primae mulieris ex opposito respondens, ut homo cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam (2).

Ast non satis. Quippe Eva fuit medium quo factus est Adam

(1) Apud Passaglia de Immac. Conceptu, n. 1389.
(2) Petrus Chrysol., Serm. de Annuntiatione.

praevaricator; fuit etiam medium quo, naturalis generationis via, peccatum capitis in omnes posteros propagatur. Simili igitur modo, Maria medium est quo nobis Redemptor est datus; est etiam medium per cuius intercessionem bonum redemptionis nobis dispensatur. Hanc porro rationem maxime considerare est in Virgine sub cruce Salvatoris, quando operi nostrae redemptionis fuit intime associata. Sed distingue inter redemptionem simpliciter et melius esse redemptionis. Redemptionem simpliciter, solutionem dico condignae satisfactionis pro peccatis hominum, et condigni pretii pro donis gratiae generi humano concedendis, quam solus Christus ad exclusionem alterius cuiuscumque, sese offerendo dedit. Melius esse redemptionis intelligo perfectionem quamdam accidentalem, qua homines congruentius revocantur ad finem aeternae vitae: dum scilicet inter ipsos et regem gloriae Christum adest mater seu mediatrix, in qua nihil austerum, nihil terrible, sed omnia potius plena mansuetudinis et misericordiae, cuius proinde interventus in dispensatione meritorum crucis, suavitati reparationis nostrae confert quam plurimum. Eiusmodi autem redemptionis perfectionem dico fuisse fructum dolorum Virginis Filio compatientis. Unde in ipso actu condendi aeternum testamentum ac reconciliandi mundum Patri, Redemptor noster dixit: *Mulier, ecce filius tuus,* et rursum: *Ecce mater tua,* nos omnes in persona Ioannis considerans, sicque faciens habitare sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.

Uno verbo, coreparatrix effecta est Maria dupliciter. Primo quidem, quatenus fuit voluntarium medium per quod nobis ortus est Redemptor. Tum praeterea, quatenus doloris gladio secundum Simeonis prophetiam transfixa, merito quidem proprio tametsi innixo infinitis meritis Christi, meruit fieri cunctorum mater viventium, cuius intercessio ad omnes se extendit.

3. **Nova Eva, id est, novo Adae indissolubiliter coniuncta in cultu et religione christiana.** — Sane vero, si religio generatim est illud quo religamur ad Deum, religio christiana ea est qua ad Deum religamur per Christum mediatorem. Et haec religio quae ante peccatum non fuit, (cum nullo opus esset mediatore priusquam dissolveretur foedus pacis), statim

post peccatum incepit, quandoquidem statim post peccatum revelatus est Christus hominibus, ut per ipsum denuo haberent accessum ad Patrem. Quare initia revelatae christianae religionis sumenda sunt ab illa sententia divinitus contra serpentem lata, quam Patres protoevangelii nomine passim nuncuparunt. Et re quidem vera, tota religio christiana ibi continetur, sed quoad substantiam tantum, id est, quoad principale obiectum quod toti generi humano, antecedenter ad omnes progenierum vel gentium divisiones, proponebatur. Atqui in his religionis nostrae primordialibus fundamentis non solus proponitur Christus, sed simul cum ipso mulier cuius est semen, et cum qua adhuc magis gratiae quam naturae indissolubili vinculo colligatur: adeo ut mihi videar perspicere symbolum religionis christianae prout *tunc* fuit protoparentibus propositum, in imagine illa quae *nunc* in omnibus mundi altaribus erigitur, mulieris scilicet cum semine suo, id est, Virginis in sinu tenentis Filium. Est ergo Maria in religione christiana omnino inseparabilis a Christo, idque tam ante quam post incarnationem: ante incarnationem in spe et expectatione mundi, post incarnationem in cultu et amore Ecclesiae. Non enim aliter religamur et revocamur ad coelestia quam per beatum par, quod est *mulier illiusque semen*. Unde tandem infero, cultum Virginis esse notam negativam verae religionis christianae. Et dico negativam, quia non ubicumque est ille cultus, ibi eo ipso necesse est esse et veram Ecclesiam, sed saltem ubicumque non est, ibi eo ipso abest et genuina christiana religio. Non enim genuina illa christianitas esse potest, quae truncat rationem religationis nostrae per Christum a Deo institutam, separando benedictum mulieris semen a muliere ipsa cuius est semen, et abiiciendo ordinem quo solo solvitur antiqua innodatio qua per diabolum fuimus colligati.

Hactenus igitur habes Virginem Matrem in suis praecipuis lineamentis satis generaliter descriptam. Reliquum est ut ad particularia magis specialiter descendamus.

THESIS XLII.

(Quaest. 27).

Gratia Virginis omnem aliam gratiam, non hominum modo, verum etiam angelorum, longe exsuperat. Quippe, recti ordinis convenientiae omnino exigebant ut mulier non acquireret ad Deum relationem matris ad filium, nisi mediante proportionata coniunctione secundum spiritum. Ideo haec una sublimis ac prorsus singularis maternitas est, in qua cognatio sanguinis spiritualem unionem consequitur, et vicissim unio spiritualis intimitati corporalis cognationis plane commensuratur.

§ 1.

Iam in superioribus declaratum est quomodo eadem aeterna Sapientia quae in hoc visibili universo omnia disposuit in numero et pondere et mensura, singulis rebus proportionatas attribuens vires et formas, easdem etiam proportionalitates et iustas mensuras servavit in distributionibus gratiae, atque hoc modo summae unioni ad Deum quae est secundum subsistentiam, summum etiam gradum gratiae debuit assignare. Atqui unioni secundum subsistentiam qua natura creata efficitur propria Dei, proxime accedit coniunctio secundum naturae communicationem, qua persona creata efficitur mater Dei. Ergo et divinae maternitati necesse fuit eam gratiae mensuram attribuere quae esset maxima sub Christo, omnemque aliam gratiam, non hominum tantummodo, verum etiam angelorum, longe superaret. Et re quidem vera, sicut corpus non fuit assumptibile a divina persona, nisi ratione animae intellectivae quae est capax beatitudinis et gloriae, ita prorsus uterus virgineus non fuit decenter inhabitabilis a Filio Dei, nisi ratione nitoris gratiae quae Virginis animam exornaret. Ratio est quia cum mens sit vicinior Deo quam corpus, oportebat ut Verbum per intermediam coniunctionem spiritus uniretur mulieri ut matri, eodem fere pacto quo per intermediam mentem, teste Damasceno ubi supra, unitum est carni secundum hypo-

stasim (1). Unde etiam videmus in evangelio, omnia et singula quae corporaliter gesta sunt in Maria concipiente Filium Dei, ortum habuisse a spiritualibus, iuxta formulam a Patribus consecratam: *prius mente quam corpore.* Quod sane in nulla alia maternitate inventum est unquam, seu inveniri unquam poterit (2). Eapropter non dubitaverunt iidem Patres etiam asserere, cognationem sanguinis qua Filio Virgo devincitur, debuisse quodammodo super spiritualem, ut sic dicam, cognationem fundari, et hanc posteriorem ex intimitate illius prioris mensuram atque amplitudinem suae perfectionis accepisse. Huc faciunt haec et similia testimonia: « Tu hominum exornasti naturam, ait Mariam « alloquens Sophronius, tu angelorum ordines superasti, tu ful- « gores archangelorum obtenebrasti, tu sublimes Thronorum « sedes infra te ostendisti, tu altitudinem Dominationum depres- « sisti, tu Principatuum ducatibus praecucurristi, tu enervasti « fortitudinem Potestatum, tu ipsis Virtutibus potentior virtus « prodiisti, tu Cherubim oculatissimum visum terrestribus oculis « vicisti, tu Seraphim sex alas habentium volatus animae pennis

(1) Hic tamen notanda est differentia, quia gratia habitualis est aliquid accidentale, quod non potest praesupponi ad constitutionem naturae in supposito suo. Ideo, id quod facit naturam humanam a divina persona convenienter assumptibilem, non est gratia, sed anima sive mens prout capax est gratiae; ipsa autem gratia consequenter tantum se habet ad assumptionem. At vero, ad divinam maternitatem quae non est aliquid substantiale, ordinat non solum gratiae capacitas, sed gratia iam in actu habita ut praevia dispositio.

(2) Nec dicas quod si qua sint diversi ordinis, (sicut maternitas divina quae est secundum carnem, et gratia quae solam afficit mentem), unum non potest exigere aliud. Ad hoc enim respondeo, principium esse verissimum si per res diversi ordinis intelligas ea quae ita sunt disparata, ut nulla dependentiae habitudine inter se connectantur; aliter autem esse falsissimum, sicut patet de potestate spirituali quae in Pontifice exigit ad bene esse, potestatem politicam. A fortiori fallit argumentum, si ea quae dicis diversi ordinis, dicenda potius essent diversae rationis in uno eodemque ordine, puta in ordine coniunctionis cum Deo. Quare divina maternitas, non secus ac unio hypostatica, exigitiva est perfectionis gratiae, quia importat affinitatem ad Deum tanquam parentis ad filium, quae tanta est, ut nulla alia, salva distinctione personarum, in comparationem venire possit.

« divinitus agitatis transvolasti, tu denique omnem creaturam « longe transgressa es, quippe quae prae omni creatura enituisti « puritate, et omnium creaturarum Conditorem in te excepisti, « ipsumque et sinu tuo gestasti, et sola ex omnibus creaturis « Dei mater effecta es... Et alii quidem, iique plures, ante te exi- « mia sanctitate floruerunt. Sed nemini quemadmodum tibi plena « gratia impertita est... Et merito quidem, nemo enim sicut tu, ad « Deum tam prope accessit. Omnia vincis, omnia superas quae « effusa a Dei largitate in quoslibet dimanaverint ».

Et haec est singularis plenitudo gratiae in Maria, quam significat salutatio angelica; singularem plenitudinem dico, respondentem inauditae singularitati salutationis: « Quia vero angelus, « inquit Origenes in Lucam, Hom. 6, n. 16, novo sermone Ma- « riam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et « de hoc pauca dicenda sunt ». Et Ambrosius, l. 2 in Luc. n. 9: « Benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta « est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio ser- « vabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gra- « tiam quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae re- « pleretur auctore ». Et S. Thomas in expositione salutationis angelicae: « Antiquitus erat valde magnum quod angeli appa- « rerent hominibus, vel quod homines facerent eis reverentiam « habebant pro magna laude. Quod autem angelus faceret ho- « mini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salu- « tavit Beatam Virginem..., quousque aliquis inveniretur in hu- « mana natura, qui excederet angelos in plenitudine gratiae, in « familiaritate divina, etc. ». Et Suarez quidem existimat gratiam quam accepit Virgo in primo instanti suae conceptionis, fuisse maiorem suprema illa gratia in qua alii cuncti consummantur. Cui rei accommodat illud Psalm. LXXXVI: *Fundamenta eius in montibus sanctis,* et iterum illud Isai. II: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium,* quatenus Beata Virgo quae vera est Dei domus et civitas, ibi initium habuit ubi maximi sanctorum qui montes dicuntur, habuerunt finem (1). Nec omnino

(1) Suarez, de Incarn. Tom. 2, Disp. 4.

arbitraria accommodatio. Cum enim una Virgo prae aliis cunctis specialissimo modo fuerit redempta, oportet sane ut ei uni plus gratiae sit collatum quam toti simul corpori Ecclesiae, in quo longe inferior redemptionis modus consideratur.

Sed inter documenta antiquae Traditionis circa gratiam Virgini concessam ad vincendum omni ex parte peccatum, minime praetereundum est celeberrimum illud Augustini testimonium quod in controversia pelagiana positum, tanto expressius atque validius invenitur, quanto magis videbatur negandum adversario. Nam cum adstrueret Pelagius homines sanctos posse esse in hac vita omnino absque peccato, suamque assertionem variis exemplis studeret confirmare, commemorando plurimos ex eis quos Scriptura laudat, sive viros sive mulieres, ac demum *ipsam Domini ac Salvatoris matrem, quam aiebat sine peccato confiteri necesse esse pietati:* an forte in hac etiam postrema assertione suo adversario contradicet Augustinus? « Excepta itaque sancta Vir-« gine Maria, inquit l. de natura et gratia c. 36, de qua propter « honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, ha-« beri volo quaestionem, (inde enim scimus quod ei plus gratiae « collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod « concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse « peccatum): hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos « et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interro-« gare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros pu-« tamus? Utrum hoc quod iste (Pelagius) dicit, an quod Ioannes « apostolus? Nonne una voce clamassent: Si dixerimus quia « peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in no-« bis non est? ». Quae si conferas cum dictis aliorum Patrum de summa atque supereminenti puritate Matris Dei, facile intelliges non fuisse Chrysostomum traditionis testem, sed privatum interpretem, imo verius amplificatorem, cum Homil. 20 in Ioan. dicit ex humanae forsitan gloriae desiderio processisse verbum Virginis ad filium in nuptiis Cana, *vinum non habent.* Ideo, simpliciter est approbanda solutio S. Thomae, Quaest. 27, a. 4: « Ad tertium dicendum, quod in verbis illis Chrysostomus ex-« cessit ».

Nec ullatenus ipsi Chrysostomo patrocinatur severa, specie quidem tenus, responsio Christi ad matrem: *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Quia hinc non sequitur, Virginem carnali affectu miraculum petiisse a filio, sed Christum data occasione voluisse instruere eos omnes qui in sacro ministerio occupantur, de modo quo ad parentes se habere debent, cavendo quam maxime ne unquam subordinetur usus divinorum charismatum intercessionibus consanguineorum in quantum consanguinei sunt. Considerandum enim quod in Matre Virgine oportet distinguere maternitatem vestitam omnibus adiunctis quae in hac sublimi et singulari maternitate requirebantur, et maternitatem ut sic, prout est in nuda sui acceptione. Primo modo importabat coniunctionem cum filio secundum spiritum gratiae. Alio modo, coniunctionem secundum sanguinem, et sub hac praecisione gerebat Virgo personam carnalium parentum in ordine ad totius Ecclesiae informationem seu eruditionem. Nam cum miraculum petebatur, quod proprium erat opus divinitatis, humanitatis autem nonnisi in ratione divini instrumenti: *Quid,* inquit, *mihi et tibi est, mulier?* Id est, quid commune inter nos, si ego consideror praecise ut potentiam miraculorum habens, et tu consideraris praecise ut a qua genitus sum secundum carnem? *Nondum venit hora mea.* Quod non est assertive accipiendum, ne eventus assertioni contrarius inveniatur, sed magis interrogative more obiicientis, videlicet: Quid si nondum venit hora mea, illam dico horam in qua secundum altissimam regulam divinarum rationum oportet me manifestationem gloriae meae initiare? Caeterum, responsionem fuisse directam ad Virginem pure et simpliciter in quantum repraesentabat eos qui temporalia commoda ex divinis ministeriis filiorum quaerere solent, evidenter patuit ex eventu ipso. Nam statim dixit Maria ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite,* et Christus precibus eius annuens, *hoc fecit initium signorum, et manifestavit gloriam suam,* ut in Ioannis evangelio legitur.

§ 2.

Hactenus de gratia gratum faciente. De gratiis vero gratis datis non est dubitandum, inquit Angelicus art. 5 ad 3um, quin Beata Virgo acceperit excellenter gratiam virtutum et etiam gratiam prophetiae. Non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni suae. Sane vero, miraculorum usus ei non competebat dum viveret, quia tunc temporis confirmanda fuit doctrina, vel a Christo ipso, vel ab iis qui doctrinae eius baiuli et promulgatores erant. Habuit tamen usum prophetiae, ut patet in cantico quod fecit: *Magnificat anima mea Dominum.* In quo quidem animadvertes insigne et remotum ab omni humana coniectura oraculum: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Considerabis etiam quomodo in omnia futura saecula prospiciens Virgo, asserebat se gestare in utero ipsum misericordiae fontem, exinde per omnes progenies diffundendum: *Quia fecit mihi magna qui potens est, et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* Timentibus eum, inquit, iisdem utens verbis quibus postea Petrus a Cornelio accersitus vocationem Gentium annuntiabat Act. X-35: « In veritate « comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni « gente, qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi ». Levabat igitur in circuitu oculos suos, videbatque gentes ambulantes in lumine partus sui, et reges in splendore ortus illius. Maximam vero mutationem in mundo futuram adhuc expressius significabat per haec verba: *Fecit potentiam in brachio suo,* more prophetarum praeteritum usurpans pro futuro. Quasi dixisset: Coeli et coeli coelorum sunt opera *digitorum* eius, sed nunc in *brachio* extento faciet opus maioris potentiae, disperdendo superbos mente cordis eorum, destruendo munitiones et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, deponendo principes, et humiles apostolos rectores orbis efficiendo. Denique, sine ambage aut dubitatione ulla protestabatur puella penitus ignota, adimpletas in se promissiones generi humano a saeculo

et ab ipso mundi exordio factas: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula.*

Superest ultimo inquirendum an gratiae plenitudo hactenus considerata compati potuerit in Virgine defectus illos quibus in praesenti statu naturae lapsae, ipsi etiam sancti sunt obnoxii. Pro quo sit sequens corollarium.

COROLLARIUM.

Pro certo tenendum, originalem gratiam in Maria penitus fomitem abstulisse, et ideo in ipsa sicut in Domino Iesu Christo, non fuerunt nisi naturales et indetrectabiles defectus qui perfectioni sanctitatis omnino non repugnant.

Primum argumentum desumitur ab immaculata Virginis conceptione seu exemptione ab originali peccato. Nam concupiscentia ille est defectus per quem inferiores vires quae erigi debebant ad rationem, depressae sunt ad inferiora. Et licet per se loquendo, principia naturae sponte consequatur, in praesenti tamen ordine pertinet omnino ad peccatum originale ut eius materiale. « Tota ordinatio originalis iustitiae, ait S. Thomas in « 1ª 2ªᵉ, Quaest. 82, art. 3, ex hoc est, quod voluntas hominis « erat Deo subiecta. Quae quidem subiectio primo et principaliter « erat per voluntatem, cuius est movere omnes alias partes in « finem. Unde ex aversione voluntatis a Deo, consecuta est inor- « dinatio in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo privatio ori- « ginalis iustitiae per quam voluntas subdebatur Deo, est *formale* « in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium ani- « mae se habet in peccato originali sicut quiddam *materiale.* « Inordinatio autem aliarum virium animae praecipue in hoc at- « tenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile; « quae quidem inordinatio communi nomine potest dici concupi- « scentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est con- « cupiscentia, formaliter vero est defectus originalis iustitiae ». Consequens igitur est, ut omnimoda exemptio ab originali in-

cludat plenam immunitatem a fomite. Nec obstat quod ablato per baptismum originali peccato, adhuc maneat in renatis concupiscentia. Nam ut peccatum dicatur auferri, sufficit auferri id quod est formale in eo, quia « remoto formali cuiuscumque rei, « tollitur species, sicut remoto rationali, tollitur species humana ». Unde et in peccato personali, ablato per poenitentiam reatu aversionis a Deo, remanet in homine iustificato illud quod est materiale, scilicet reatus conversionis ad creaturam, donec per satisfactionem vel poenam purgatorii tollatur. Sic igitur, ex hoc quod in renatis manet fomes, nihil aliud sequitur nisi quod emundatio ab originali non consummatur in hac vita. Sed hinc potius recte concludes, *praeservationem* a peccato originis non dari sine *immunitate* ab omni deordinatione appetitus sensitivi, et quarumcumque animae virium.

Secundum argumentum hinc sumitur, quod Virgo nullum peccatum actuale commisit, ut habetur in Tridentino, Sess. 6, can. 23: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in « tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi *ex speciali* « *Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia,* « anathema sit ». Sed si nullum unquam peccatum, etiam semideliberatum admisit, signum est non fuisse in ea motus inordinatos rationem praevenientes, ex quibus provenit in nobis necessitas identidem incidendi in venialia, per initialem et imperfectum consensum (1). Hinc, vel dicendum quod in Virgine fo-

(1) Iuxta praeclaram S. Thomae doctrinam, de Verit. Quaest. 24, art. 12, ex eadem ratione provenit quod homo iustus in praesenti naturae statu non potest vitare omnia venialia, ex qua fit ut homo exsistens in statu peccati non potest per longum tempus vitare omnia mortalia. Scilicet, quicumque in mortali est, habet voluntatem habitu aversam a vero ultimo fine, et habitu conversam ad pravum ultimum finem, hoc est, ad creaturam tanquam ad id quod diligitur super omnia. Et ideo, quando homini sic disposito occurrit aliquid faciendum secundum habitualem inclinationem quam habet ad finem, repente fertur in illud per electionem, nisi multa deliberatione et multo conatu seipsum cohibeat. Impossibile autem est hominem semper esse vel diu in tanta vigilantia, tantoque conatu, quantus ad hoc requiritur. Quare, ut possit diu nova mortalia vitare, necesse est ut se rectificet circa ultimum finem per in-

mes non fuit, vel quod divina Providentia impedivit ne prorumperet in actum. Sed ex his duobus modis, secundus esset omnino innaturalis, et praeter suavem Dei providentiam quae regimen suum accommodat intrinsecis dispositionibus rerum. Caeterum media opinio quam tenet S. Thomas art. 3, dicens fomitem fuisse tantum ligatum in Maria usque ad conceptionem carnis Christi, et postea totaliter subtractum, connexionem habet cum opinione eius de originibus Virginis. Si enim eam agnovisset in sua conceptione immaculatam, profecto approbasset simpliciter primum dicendi modum quem in corpore articuli posuit: « Posset intel-« ligi, inquit, quod totaliter fuerit sublatus fomes, hoc modo quod « praestitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiae descendentis « in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod « inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis, si-« cut dictum est Quaest. 15 fuisse in Christo, quem constat fo-« mitem peccati non habuisse, et sicut fuit in Adam ante pecca-« tum per originalem iustitiam ».

Tertium tandem argumentum sumitur ex specialissimo modo quo, ut docet Pius IX in Bulla *Ineffabilis,* Maria fuit redempta. Redemptio enim caeterorum eo spectabat ut a peccato quod incurrerant, liberarentur. Sublimior vero modus redemptionis Virginis in hoc est, quod cum haberet debitum peccati contrahendi, virtute tamen sanguinis Iesu Christi pro ea singulariter effusi, a peccato iisque omnibus quae peccati sunt vel ad peccatum inclinant, servata est totaliter immunis. De mortalitate autem et aliis huiusmodi inculpabilibus defectibus non est eadem ratio;

---

teriorem poenitentiam, et recuperet gratiam sanctificantem, per quam solam efficitur ut mens humana bono incommutabili tamquam fini adhaereat. Nunc igitur, sicut peccator habet insubordinationem voluntatis ad Deum ultimum finem, ita iustus in praesenti statu naturae lapsae, habet insubordinationem virium inferiorum ad voluntatem seu rationem; unde necesse est ut repente insurgant motus inordinati. Porro non potest homo esse semper vel diu in tanta vigilantia, tantoque conatu, quantus requiritur ad hoc ut vel ab initio motus isti perfecte retundantur, et hinc sequitur necessitas incidendi identidem in venialia saltem semideliberata. Cf. omnino S. Thomam, loco citato.

nam ista fuerunt assumpta a Christo in finem redemptionis, et evidens est quod Virgo non debuit eximi ab iis poenalitatibus quibus ipse Christus subiacuit. Caeterum, et ipsam mortalitatem in ea non fuisse nisi ut Filio conformaretur, luculenter apparet ex sensu Ecclesiae in festo Assumptionis. Cito enim creditur a morte liberata, ut in omnibus inseparabiliter cohaereat *mulier* cum *semine suo.*

Nullus igitur in Virgine Matre unquam defectus fuit, perfectioni sanctitatis repugnans. Addo etiam semper ab ea abfuisse defectum ex parte intellectus, scilicet *ignorantiam.* In quo quidem notandum est, ignorantiam dupliciter accipi. Primo pro eo quod est contrarium scientiae, puta pro illa pronitate quam habemus in statu praesenti ex deordinatione phantasiae et passionum, ad errorem et falsas opiniones abducentes nos a consecutione veritatis. Et sic ignorantia, non secus ac fomes, pertinet ad materiale originalis peccati, a quo Virgo fuit immunis. Alio modo ignorantia sumitur pro carentia scientiae alicui debitae secundum conditionem et decentiam sui status. Et sic, ad removendam a Virgine ignorantiam, sufficit cogitare Sapientiam divinam quae matrem quam sibi eligebat non potuit non ditare omnibus donis quae ad excellens eius ministerium requirebantur. Quod autem specialiter attinet ad incarnationis mysterium, Mariam fuisse de eo plenissime instructam, ipsa evangelica narratio (Luc. I. 26-55) aperte testatur.

Sunt tamen duo fere loca in evangelio, quae nonnullam declarationem exigunt. Legitur enim Luc. II-48 et seq., quod cum Maria et Ioseph invenissent puerum in medio doctorum, ait Iesus ad illos: *Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.* Qualiter autem huiusmodi inintelligentia conciliari possit, tum quidem cum plenitudine cognitionis incarnationis mysterii quae Matrem Virginem decebat, tum etiam cum iis quae superius in eodem Lucae evangelio leguntur de annuntiatione angelica et mysterio visitationis, forsitan difficile esset videre. Ad huius itaque solutionem difficultatis, primo animadvertendum est quod Christus, cum insciis parentibus re-

mansit in templo, et post tres dies ab eis fuit inventus agens cum doctoribus de regno Dei, voluit erudire Ecclesiam suam circa relationes filiorum ad parentes: ad parentes, inquam, qui saepius carnali sensu et affectu filios ipsos a regno Dei quaerendo subducere conantur. Et licet carnalis iste sensus a Ioseph et Maria longe abesset, in ipsorum tamen facto quaedam habebatur externa similitudo eorum quae humani parentes moliri solent, non intelligentes illud evangelii: « Qui amat patrem vel « matrem plus quam me, non est me dignus ». Volens ergo ostendere Christus, filios parentibus non subdi in iis quae contra Dei servitium exiguntur, respondet ad Mariam et Ioseph secundum quod carnalium parentum tunc figuram gerebant: « Quid « est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his quae Patris « mei sunt oportet me esse? ». Duriuscula sane responsio, et quasi ex alto divinitatis prolata. Igitur in tantum dicitur Virgo non fuisse assecuta mentem Filii, in quantum ignoravit cur tam severe, et specie tenus tam dure praeter solitum responderit: vel etiam in quantum non est assecuta quare ad agenda ea quae Patris sunt, opus habuerit Iesus sese a providentia et dependentia parentum subtrahere, ne monendo quidem eos de sua remansione in Ierusalem, et quasi exprobrando eis quod ipsum dolentes quaesivissent. Et hoc modo carentia intelligentiae non res dictas, (quis scilicet esset Pater eius, et quae essent negotia Patris), sed circumstantias vel modum dicendi respiciebat. Sic quippe nos communiter dicimur non intelligere verbum alicuius, quando non assequimur quo affectu, qua intentione, qua de ratione, vel aliquid interrogat, vel de aliquo reprehendit, vel quidpiam *modo insolito* pronuntiat. Atqui cognitio illa non erat tunc debita Virgini pro persona quam in his circumstantiis gerebat, quia revera communes parentes verbum Christi intelligere non solent. Recte igitur Dominus celavit intentionem suam, quin inde sequatur fuisse aliquando in Virgine carentiam scientiae debitae, id est, ignorantiam.

Minor adhuc difficultas invenitur in his aliis verbis Luc. II-33: *Et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo.* Non enim obstat quod primi omnium multo maiora,

multoque altiora de Christo cognoverant, quia ad admirationem rei altissimae et humanam mensuram undequaque excedentis, sufficit ut novo modo proponatur et per alias vias, scilicet secundum novam rationem cognitionis. Sed et admiratio ista illustre testimonium exstitit sublimis virtutis eorum. Quod enim in templo audientes Simeonem et Annam mirati sint, quin et ipsi dictis consonarent, ipsi manifestarent ea quae ante alios omnes noverant, imo in partu virginali experti fuerant, id sane omnem modum communis virtutis transcendit. Sed consilio sibi a Deo revelato subserviebant usque ad abiectionem omnis existimationis humanae, scientes Iesum fuisse sibi commissum usque ad tempus ostensionis eius sicut Verbum absconditum. Ideo silent, ideo se gerunt non secus ac si nihil accepissent, ideo solam admirationem manifestant, multum longeque distantes a pruritu illorum fratrum Christi qui postea dicebant: *Nemo in occulto quidquam facit, vade et manifesta teipsum mundo.* Inde enim et sibi ipsis gloriam expectabant.

THESIS XLIII.

(Quaest. 28).

Fide catholica tenendum est Beatam Mariam permansisse virginem, ante partum, in partu, et post partum.

Dico integram assertionem ad fidem catholicam pertinere, et non eodem modo ac recens definitum dogma conceptionis immaculatae, de quo aliquando habitae sunt controversiae intra ipsius Ecclesiae fines. Perpetua enim Mariae virginitas de iis est veritatibus quae statim ab initio explicite propositae fuerunt ad credendum, ita ut non potuerit unquam sive ex toto sive ex parte contumaciter negari, quin ipso facto et ante omnem solemnem definitionem haeresis incurreretur.

Et virginitatem quidem ante partum et in partu explicite attestatur prae primis celebre oraculum Isai. VII-14: ad cuius intelligentiam notandae prius occurrunt circumstantiae editae prophetiae. Coniuraverant scilicet contra regem Achaz et regnum

Iuda duo reges Syriae et Samariae, volentes deturbare e throno prosapiam David, et substituere Syrum quemdam filium Tabeel (1-6). Cum autem in temporibus illis eversio dynastiae secum traheret totius familiae regnantis internecionem, accidebat ut domus David e qua oriundus Messias, in summo versaretur periculo. Propterea iubetur Isaias ire ad Achaz, ut promitteret ei ex parte Dei incolumitatem domus eius, libertatem et salutem, necnon et duorum coniuratorum regum interitum, (7-9). Iubetur insuper offerre regi et proceribus de genere Davidico petendum signum promissae salutis, quodcumque voluissent. Sed recusat impius Achaz simulatione religionis, alludendo ad praeceptum Deuteronomii: Non tentabis Dominum Deum tuum. Fit ergo ei secundum arrogantiam responsionis eius, et loco signi sensibilis quo se non indigere insolenter affirmabat, assignatur a Deo ipso signum futurae incolumitatis domus David: sed signum sui generis, quod in oculis solius fidei valorem haberet: videlicet, grande prodigium suo tempore in ea domo divinitus operandum: e virgine paritura nasciturus Emmanuel (12-14). Hanc virginem parientem, hunc Emmanuelem ex eius utero egredientem, tamquam praesentes intuetur Isaias, et quasi esset iam natus infans ille mirabilis erectus in signum protectionis Dei super regiam familiam, secundum annos aetatis eius computat propheta tempus liberationis Iudaeae ab instanti discrimine, necnon et vastationis hostilium regnorum Syriae ac Samariae (16-17). Hic generalis sensus est insignis oraculi: in quo procul dubio, mater Emmanuelis, i. e. Messiae, luculenter proponitur ut quae virgo futura esset maneretque, et ante partum et in partu. Id demonstrat primo, vocabulum *almah,* quod in bibliis constanter significat puellam in domo custoditam sub tutela parentum. Demonstrat secundo, constructio phrasis in hebraico: *ecce,* inquit, *virgo concipiens et pariens,* ut non possit intelligi ea quae prius virgo, postea pareret cessando a virginitate. Demonstrat tertio, natura rei de qua in oraculo: sermo siquidem est de grandi prodigio, loco signi quod petere noluerat Achaz. Demonstrat denique quarto, constans intellectus Synagogae elucens in paraphrasibus Onkelos et Ioathan, necnon et in omnibus versionibus graecis et

chaldaicis. Ubique emphasis est in verbo quo significatur virginitas : Ιδου ἡ παρθένος ἐν γαστρι ἕξει... Et est emphasis tanta, ut virginitatem perpetuam, etiam post partum, satis superque prodat : neque enim ἡ παρθένος per excellentiam vocari posset illa, cui virginitatis decor aliquando esset auferendus.

Impletam porro prophetiam, cum diserta asseveratione virginitatis tum in concipiendo tum in pariendo, explicite tradunt Matthaeus et Lucas in ipso evangelii exordio. De virginitate autem post partum perpetua, nihil equidem explicitum habet evangelica scriptura, sed quam maxima evidentia resplendet dogma in regula traditionis, speciatim vero in lege supplicandi per quam lex credendi statuitur, puta cum in canone missae sic oramus : « Communicantes et memoriam venerantes « in primis gloriosae *semper virginis* Mariae ». Et tam mani festa est, tamque dilucida in hac parte totius Ecclesiae fides, ut Deiparam indubitanter agnoscamus sub typo orientalis portae templi, Ezech. XLIV-2, signatam : *Porta haec clausa erit, non aperietur, et vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Quod exponens S. Thomas, art. 3 huius quaestionis, ex vetusti cuiusdam scriptoris auctoritate, ait : « Quid est *porta in domo Domini clausa,* « nisi quod Maria semper erit intacta ? Et quid est *homo non* « *transibit per eam,* nisi quod Ioseph non cognoscet eam ? Et « quid est *Dominus solus intrat et egreditur per eam,* nisi quod « Spiritus Sanctus impraegnabit eam, et angelorum Dominus « nascetur per eam ? Et quid est *clausa erit in aeternum,* nisi « quod Maria virgo est ante partum, et virgo in partu, et virgo « post partum ? ».

Ad solutionem autem argumentorum quae fiunt in contrarium, videnda sunt ea quae habet S. Thomas in compendio theologiae, c. 225. Abominandus est, inquit, error Helvidii, qui etiamsi assereret Christum ex virgine conceptum et natum, dixit tamen ipsam beatam matrem postmodum ex Ioseph alios filios genuisse. Neque hoc eius suffragatur errori, quod Matth. I-25 legitur : *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primo genitum,* quasi postquam peperit Christum, eam Ioseph cogno-

verit. Est enim consuetudo sacrae Scripturae, ut usque tunc specialiter asserat aliquid factum vel non factum, quousque posset esse dubium, sicut cum dicitur Psalm. CIX-1 : « Sede a dextris « meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ». Dubium enim sensui humano esse poterat, an Christus sederet ad dexteram Dei, quamdiu adversus eum fremerent inimici, cum in sessione tranquillitas et summa securitas designetur ; postmodum vero nullus omnino remanet dubitandi locus. Similiter etiam, dubium poterat occurrere an ex viro suo Maria conceperit Christum. Unde hoc evangelista removere curavit, quasi indubitabile et extra omnem possibilem suspicionem relinquens, quod post talem ac tantum partum cognita non fuerit (1). Et eadem

(1) Multiplicat exempla Hieronimus l. de perpetua virginitate B. Mariae, n. 6 et seq., ostendens coniunctionem *donec, usque ad*, quae saepe certum tempus utique significat, saepe etiam significare infinitum : « Ut « est illud quod Deus ad quosdam loquitur in Propheta : *Ego sum, ego* « *sum, et donec senescatis ego sum.* Numquid postquam illi senuerint, « Deus esse desistet ? Et Salvator in evangelio ad apostolos : *Ecce ego,* « *inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* « Ergo post consummationem saeculi a discipulis suis Dominus absce- « det, et tunc quando in duodecim soliis iudicaturi sunt duodecim tri- « bus Israel, Domini consortio fraudabuntur ? Paulus quoque apostolus « Corinthiis scribens : *Primitiae, ait, Christus ; deinde hi qui sunt Chri-* « *sti,* etc. Quid sibi vult hoc quod ait : *Oportet enim illum regnare do-* « *nec ponat omnes inimicos sub pedibus eius ?* Numquid tamdiu regnaturus « est Dominus, donec incipiant esse inimici sub pedibus eius, et post- « quam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet ? cum utique tunc magis « regnare incipiet, cum inimici coeperint esse sub pedibus. David quo- « que in quarto graduum psalmo : *Sicut oculi ancillae in manibus domi-* « *nae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur* « *nostri.* Ergo tamdiu propheta oculos habebit ad Dominum, quamdiu « misericordiam impetret, et post impetratam misericordiam oculos tor- « quebit in terram ?... Poteram super hoc innumerabilia exempla conge- « rere, et omnem lacessentis procacitatem testimoniorum nube celare.... « (Itaque) animadvertat (Helvidius) Scripturae sanctae idioma, et nobis- « cum intelligat, ea de quibus posset ambigi si non fuissent scripta, si- « gnari, caetera vero nostrae intelligentiae derelinqui.... Iuxta quod et « illud intelligitur de Ioseph, evangelistam id indicasse, de quo scanda- « lum poterat moveri, non eam cognitam esse a viro suo usque ad par- « tum, ut multo magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum ».

omnino responsio adhibenda est quoad illud quod paulo supra habetur : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Non quod postea convenerint, sed quia dum videri potuissent conventuri, praevenit conceptio per Spiritum Sanctum ; unde multo minus postea convenerunt (1). Neque iterum incredulis suffragatur quod Christus in evangelio dicatur Mariae primogenitus. Solet enim in Scriptura primogenitus dici, ante quem nullus est genitus, etiamsi post ipsum nullus sequatur, sicut patet de primogenitis qui secundum legem, Exod. XIII-2, Domino offerebantur et sanctificabantur (2). Item nihil obstat quod fratres Christi quandoque commemorantur, utputa Matth. XII-46, et alibi passim. Scriptura enim fratres nominat eos omnes qui sunt eiusdem cognationis, et secundum hoc consanguinei Domini dicuntur eius fratres, eodem scilicet sensu quo Genes. XIII-11 : « Divisi sunt alteruter (Abraham et Lot.) a fratre suo » (3).

(1) Iterum ad rem Hieronymus, ubi supra, n. 8 : « Qui ergo somnio « tantum credidit, ut uxorem non auderet attingere, (uti concedebat « Helvidius) : is postquam pastorum voce cognoverat angelum Domini « venisse de coelis, et dixisse ad eos : *Ecce evangelizo vobis gaudium « magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui « est Christus Dominus in civitate David ;* et cum eo laudes militiae con- « cinuisse coelestis : *Gloria in excelsis Deo, et super terram pax homi- « nibus bonae voluntatis :* qui Simeonem iustum inter amplexus parvuli « viderat praedicantem : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum « verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum ;* qui An- « nam prophetissam, Magos, stellam, angelos viderat : qui, inquam, « miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus Sancti sedem, Do- « mini sui matrem audebat attingere ? ».

(2) Multis rursus id demonstrat Hieronymus, n. 10, et praesertim ex lege praesentationis primogenitorum in templo, cui, teste Luca II-22, obtemperaverunt Ioseph et Maria ducentes puerum in Ierusalem ut sisterent eum Domino. « Si, inquit, haec lex tantum ad primogenitos per- « tinet, primogenitum autem sequentes (filii) faciunt, non debuit lege « primogeniti teneri qui de sequentibus ignorabat. Sed quia tenetur lege « primogeniti, etiam ille quem fratres caeteri non sequuntur : colligitur « eum primogenitum vocari, ante quem nullus sit, non eum quem fra- « ter post genitus subsequatur ».

(3) Ibi quoque plenam responsionem dat Hieronymus, per prius observans Iesum morientem commendasse matrem Ioanni : quod utique

Hinc in Symbolo absolute dicitur: *Qui natus est de Maria Virgine.* Et virgo fuit tam ante quam post partum, quia non cognita viro. Virgo etiam in partu, quia corpus Christi quod ad discipulos ianuis clausis intravit, pari potestate potuit de clauso matris utero exire: « Cur ergo, ait Augustinus, sermone 191, « n. 1, qui potuit per clausa ostia magnus intrare, non potuit « etiam per incorrupta membra parvus exire? Sed neque hoc « neque illud volunt credere increduli. Ideo potius fides utrumque « credit, quia infidelitas utrumque non credit ». Virgo itaque corpore, sed et mente etiam magis propter votum virginitatis quod verba eius ad angelum, Luc. I-14, protestantur. Unde iterum Augustinus l. de sancta virginit. c. 4: « Ipsa quoque virginitas « eius ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Chri- « stus viro violaturo quam conservaret ipse praeripuit, sed prius- « quam conciperetur, iam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. « Hoc indicant verba quae sibi fetum annuntianti angelo Maria « reddidit: *Quomodo,* inquit, *fiet istud, quoniam virum non co-* « *gnosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante « vovisset ». Huic autem voto non repugnat veritas matrimonii cum S. Ioseph [1]. Votum enim solummodo facit ut sit illicitus matrimonii usus: illicitus inquam, ut contra virtutem religionis exsistens. Sed sicut vis voti non in eo est ut de novo aliquid ponat sub dominio Dei, (Domini enim est terra et plenitudo eius), ita nec in eo esse potest ut auferat a creatura dominium participatum et dependens, quod sub Deo habebat prius. Hinc impedire nequit quominus quis valide matrimonium contrahat, et vere ad coniugem transferat potestatem in proprium corpus. Imo non impedit quomi-

---

non fecisset si Maria habuisset filios et filias quas impius ei Helvidius attribuebat, (n. 13). Tum deinde, ad directam solutionem veniens, multis adductis exemplis ostendit, fratres in Scriptura quadrupliciter dici: natura, gente, cognatione, affectu; concluditque eos quos fratres Domini evangelium appellat, fratres fuisse *cognatione:* « Quomodo Lot « Abrahae, quomodo Iacob Laban est appellatus frater, quomodo et « filiae Salphaad accipiunt clerum inter fratres suos, quomodo et Abra- « ham ipse Saram sororem suam habuit uxorem » (n. 14-15).

[1] Cf. de Ecclesiae Sacramentis, Tom. 2, Thes. 35.

nus ex communi consensu licita etiam et sancta sit matrimonii celebratio, dicente Augustino l. 2 de cons. evang. c. 1, quod exemplo Mariae et Ioseph « magnifice insinuatur fidelibus coniu-« gatis, etiam servata pari consensu continentia, posse perma-« nere vocarique coniugium ».

Sed de hoc ipso matrimonio specialis est thesis proponenda Hinc :

THESIS XLIV.

(Quaest. 29).

Oportuit Mariam ante conceptionem Filii Dei desponsari Ioseph, cum quo vero matrimonio fuit coniuncta.

De adventu Christi accipitur illud Psalm. LXXI : « Descendet « sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super ter-« ram ». Unde Bernardus, Homil. 2 super Missus est, n. 7, dicit : « Pluvia voluntaria quam segregavit Deus haereditati suae, « placide prius et absque strepitu... suo se quietissimo illapsu « virgineum demisit in uterum. Postmodum vero ubique terra-« rum diffusa est per ora praedicatorum, non iam sicut pluvia « in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quo-« dam utique strepitu verborum ac sonitu miraculorum... Etenim « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae « verba eorum ». Duo ergo tempora in adventu Christi Redemptoris distinguenda sunt. Primo namque comparatur Christus pluviae descendenti in vellus, adeo leniter et placide generi sese immiscuit humano, quasi unus de vulgo inter nos conversatus. Postea vero comparatur imbri cadenti super terram, quando scilicet per se et per apostolos manifestatus est mundo Filius Dei in virtute, contestante Deo signis et portentis. Porro manifestationem istam ideo praecedere debuit profunda obscuritas, ut primo a dispensatione incarnationis omnino removeretur terror maiestatis ; ut secundo, communis ac vulgaris hominum conditionis particeps Christus effectus, verificaret in se praeclarum illud nomen Emmanuel quod est interpretatum *nobiscum Deus ;*

ut tertio, humilitatis, subiectionis, et obedientiae in domo parentum valde necessarium omnibus exhiberet exemplum.

Iam age. Nascebatur Christus de virgine. Et quia, ut dictum est, divinis consiliis non congruebat ut virginalis partus statim ab initio miraculis et signis publice notificaretur: nisi fuisset virgo desponsata viro, sinistra apud homines de Domino Iesu tamquam ex fornicatione nato opinio habebatur, quod absit. Necessario igitur desponsata est mater Iesu Maria Ioseph, qui ideo fuit « homo specialis et electus, per quem et sub quo Christus « est ordinate et honeste introductus in mundum ». *Ordinate,* inquam, et *honeste,* ita ut omnibus servatis convenientiis, opus non fuerit anticipare tempus manifestationis Messiae in Israel, quod quidem in detrimentum totius dispensationis mysterii evasisset. Fuerunt itaque alii, Ioannes scilicet et apostoli, veluti voces ad publicandum Christum; fuit e converso Ioseph veluti velamen ad decenter occultandum eum. Et quia nonnisi ad tempus oportebat Christum occultari, hinc est quod antequam fieret verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto, iam e vivis sublatus fuerat Ioseph, ut velamine opportune remoto, paulatim assuescerent homines cogitare Christum sine patre secundum carnem. Sed exinde tandem considera, quam sublimis sanctitatis fuerit ille, cuius heroicae fidelitati commissa sunt virginitas Mariae, infantia Iesu Christi, incarnationis denique secretum a Deo Patre, mediante angelo, communicatum. Virginitas Mariae in vero ac proprio matrimonio custodienda; infantia Iesu Christi in summis angustiis ac periculis protegenda; secretum denique Dei Patris fideli corde credendum, et nulli hominum manifestandum, eo ipso tempore quo de instante adventu Messiae totus Israel erat sollicitus. Vir vere dignus qui felici omine nominis sui singulariter adiungeretur duabus personis in quibus ab initio reposita erat spes mundi: « Fidelis, « inquit Bernardus l. c., servus et prudens, quem constituit « Dominus suae matris solatium, suae carnis nutritium, solum « denique in terris magni consilii coadiutorem fidissimum ».

Hinc colliges primo, ministerium Ioseph necessarium fuisse ad introductionem Filii Dei in mundum, quia requirebatur ut

esset possibilis vita Christi abscondita: possibilis, inquam, ea possibilitate quae cum decentia et honestate foret coniuncta. Seclusa enim ipsa vita abscondita, mysterium incarnationis suam notam characteristicam amisisset, non satis amplius verificans divinum Emmanuelis nomen. — Colliges secundo, Ioseph magis de propinquo quam caeteros attigisse Christum: tum quia erga eum omnia quae patris sunt, generatione excepta, ex officio exercuit, tum quia fuit caput illius societatis coniugalis quae ad Christum suscipiendum et educandum fuit directe ordinata. Ex quo apparet quod non debet dici Ioseph *vitricus* vel *pater adoptivus* Christi, ut notavit S. Thomas in IV, D. 30, Q. 2, a 2, ad 4um: « Proles non dicitur bonum matrimonii solum in quan-
« tum per matrimonium generatur, sed in quantum in matri-
« monio suscipitur et educatur. Et sic bonum illius matrimonii
« (Mariae et Ioseph) fuit proles illa (Iesus Christus), et non
« primo modo. Non tamen filius adoptivus qui a matrimonio
« educatur est bonum matrimonii, quia matrimonium non ordi-
« natur ad educationem illius, sicut hoc matrimonium (Ioseph
« et Mariae) fuit ad hoc ordinatum specialiter, quod proles illa
« susciperetur in eo et educaretur ». Caeterum, cum casus sit omnino sui generis et prorsus singularis, non est in vocabulario humano nomen quo talis relatio significetur. Ideo magis possumus dicere quo nomine non debeat, quam quo debeat Ioseph nominari: utique si sermo sit de nomine quod proprie et adaequate exprimat vinculum quo coniungitur ad Christum. — Colliges denique tertio, quod cum fuerit quasi umbra ad decenter occultandum Christum, debuit et ipse multo magis in obscuritate esse et permanere. In obscuritate profunda dum viveret; in obscuritate etiam post mortem; non enim invenitur nisi tarde in publico Ecclesiae cultu, eo quod necessarium erat ut per prius animis fidelium alte insideret dogma virginitatis Deiparae, omnesque assuescerent habere Mariam tamquam solam veram parentem Salvatoris (1).

(1) Operae pretium erit adiungere hic, instar corollarii ad duas theses praecedentes, observationem quamdam circa prophetiam Isaiae de virgine paritura: quia non defuerunt qui eam dicerent, non modo

THESIS XLV.

(Quaest. 30).

Quia demum oportuit secundum ordinem a divina Sapientia praestitutum, ut incarnationis exsecutio a Virginis consensu dependeret, ipsaque Virgo Verbum Dei prius mente conciperet quam corpore, ideo id quod in ea erat generandum, ei debuit per angelum annuntiari.

Iam ostensum est Virginem fuisse ordinatam a Deo, ut quae in nostra reparatione eas haberet partes quas Eva habuit in nostra perditione. Nunc autem, cum Eva cooperata sit ad perditionem nostram in quantum ea fuit, *cuius mediatione et funesta inductione primus ille Adam in quo solo omnes peccaverunt, factus est totius naturae eversor,* ideo oportuit et Mariam cooperari ad

---

inutilem, verum etiam deceptivam, in sensu utique composito coniugii Mariae et Ioseph. Inutilem quidem, eo quod non potuit suppeditare Iudaeis ullum lumen ad Messiam agnoscendum; imo deceptivam, quia eis esse potius debuit causa credendi quod Iesus Messias non esset, siquidem noverant eum omnes filium mulieris coniugatae, de cuius virginitate nullum indicium erat, nulla suspicio.

Sed nihil horum valet. Non valet primum, quia non ad hoc facta fuerat prophetia, ut in suo adventu Messias agnosceretur, aut revelationis messianicae divina origo probaretur. Alias, signum virginis pariturae fuisset de genere eorum quae Achaz recusaverat, sub ementito praetextu non tentandi Deum. Nunc autem, ut dictum est, signum fuit soli fidei datum, et quidem nec plus nec minus, signum quod domus David servaretur incolumis ab internecione quam coniurati reges machinabantur.

Neque etiam valet secundum, quia prophetia dicebat Messiam nasciturum de virgine, non dicebat nasciturum de non coniugata. Et licet Iudaei non habuerint medium directum iudicandi de ortu virginali, (id enim natura rei non patiebatur), habebant tamen omnia signa publica ad Messiae agnitionem data: ex quibus credibile eis fiebat quidquid de eodem Messia Scripturae praedixerant, ac per hoc, etiam virginalis nativitas, quam veritas desponsationis ad tempus occultare debuit, minus vero credibilem facere prorsus non potuit.

nostram reparationem, in quantum ea fuit, *per quam et ex qua secundus Adam in quo solo omnes redempti sunt, processit totius mundi salvator*. Bene ergo concludebatur, non in sola physica conceptione Filii Dei (in qua praecise spectata mere passive se habuit Maria), reponi debuisse concursum eius, sed per prius in libero ac meritorio actu voluntatis: ut scilicet, tantum laudabilis appareret in cooperando ad reparationem, quantum se vituperabilem exhibuerat Eva in cooperando ad ruinam. Quapropter necesse fuit ut prius proponeretur ei credenda incarnatio tamquam in suo virginali utero perficienda, exspectareturque voluntarius eius consensus ex viva fide procedens: quod totum in angelica annuntiatione verificatum atque adimpletum fuisse constat.

Sane vero, incarnationis executionem dependisse a fide quam Virgo angelo Dei praestitit, et a voluntate qua sedulam se ac promptam ad obsequium obtulit dicens: *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* tum Scripturae tum Patres apertissime tradiderunt. Scripturae quidem, nam « beata quae cre-
« didisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Do-
« mino ». Patres vero, ubi Mariam dicunt prius gestasse corde quam carne: ita certe Augustinus, serm. 215, n. 4, Leo Magnus, serm. 1 de nativitate Domini, et alii passim. Sed nullus in huius veritatis expositione aequavit Bernardum, Homil. 4 super *Missus est,* n. 8: « Audisti, inquit, Virgo, factum; audisti et modum...
« Et quoniam auditui tuo datum est gaudium et laetitia, audia-
« mus et nos a te responsum laetitiae quod desideramus. Audisti
« quia concipies et paries filium; audisti quod non per hominem,
« sed per Spiritum Sanctum. Exspectat angelus responsum, tem-
« pus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Exspe-
« ctamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos misera-
« biliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pre-
« tium salutis nostrae; statim liberabimur si consentis. In sem-
« piterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur; in
« tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.
« Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera
« sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc

« caeteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui et ipsi « habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis « genibus provolutus exspectat. Nec immerito, quando ex ore « tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, libe- « ratio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, « totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Do- « mina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspe- « ctant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus quan- « tum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et respon- « sionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. « Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cum « ipse tibi clamet de coelo: O pulchra inter mulieres, fac me « audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, « ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est « quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando « suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an « aliam exspectamus? Imo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa « promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua Iacob iam « morti appropinquans vitam sperabat aeternam, cum dicebat: « *Expectabo salutare tuum, Domine.* In qua denique et per quam « Deus ipse rex noster ante saecula disposuit operari salutem « in medio terrae... Responde itaque citius angelo, imo per an- « gelum Domino... Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confes- « sioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris « pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus « incipias dolens quaerere quem diligit anima tua! Surge, « curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per « confessionem ». Haec igitur fuit praecipua angelicae annuntiationis ratio.

Sed et alias eiusdem causas compendiose attingit S. Thomas in III, D. 3, q. 3, a. 1 dicens: « Necesse fuit Virgini suam con- « ceptionem annuntiari, tribus potissimum de causis. *Primo,* quia « cum mens Deo sit vicinior quam corpus, non decebat ut Dei « Sapientia eius uterum inhabitaret, cuius mens cognitione Verbi « incarnati non resplenderet, et ideo non decuit eam ignorare « quod in ea fiebat, sed oportuit hoc sibi annuntiari. *Secundo,*

« quia ipsa Virgo futura erat certissima testis inusitatae conce-
« ptionis; unde oportuit quod de tam magno mysterio per an-
« nuntiationem erudiretur [1]. *Tertio,* quia Deus non diligit coacta,
« sed voluntaria servitia, ut qui obsequuntur, ex ipso ministerio
« mereantur. Unde cum B. Virgo singulariter in Dei ministe-
« rium eligeretur, quem in utero portavit, lacte aluit, et brachiis
« baiulavit, decuit ut consensus eius, angelo nuntiante, require-
« retur ».

Hucusque igitur de Virgine Matre, et de eius praeparatione ad concipiendum Filium Dei. Quibus convenienter praemissis, de ipsa conceptione Salvatoris nunc agendum est.

QUAEST. XXXI-XXXIV.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

Circa virginalem conceptionem tripartita esse debet consideratio. Nam primo considerare oportet materiam de qua corpus Salvatoris conceptum est *(Quaest. 31);* secundo conceptionis auctorem *(Quaest. 32);* tertio demum, modum et ordinem concipiendi *(Quaest. 33).* De perfectione enim prolis conceptae, de

[1] Nota quod evangelia sunt non solum libri sacri inspirante Deo conscripti, sed etiam et simul libri vere historici, in quibus conscribendis omnia servata sunt praesidia quantum ad oculatorum testium depositiones et alia eiusmodi. Idque expresso Dei consilio, ut scilicet libri illi, praeter auctoritatem divinam et sacram, haberent etiam independentem auctoritatem historicam quae in praeambulis fidei valeret pro omni hominum genere. Nunc autem quoad publica factae vitae, passionis, et resurrectionis Christi, praeter apostolos innumeri aderant testes. Sed quoad ingressum eius in mundum et omnia vitae initia usque ad annum trigesimum, quis vel qualis testis poterat accedere, ut Lucas assecutus omnia a principio diligenter ab iis qui audierant vel experti fuerant, ex ordine nobis scriberet? Una erat Maria conscia omnium ab initio, quae etiam conservaverat cuncta conferens in corde suo. Et ipsa una destinabatur a Deo testis, ita ut ea quae in duobus primis capitulis Matthaei et Lucae continentur, ex testificatione Virginis conscripta sint, tametsi Spiritu Sancto inspirante.

qua S. Thomas in Quaest. 34, nihil dicendum superest, cum omnia fuerint anticipata ubi de gratia et scientia quam habuit Christus a primo incarnationis instanti.

§ I.

(Quaest. 31).

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUANTUM AD MATERIAM EX QUA.

Secundum fidem tenendum in primis est quod ex purissimis sanguinibus Virginis conceptum est corpus Christi. « Dei « Filius, ait Damascenus l. 3 de fide orth. c. 1, ex castis puris- « simisque Virginis sanguinibus carnem anima rationali et in- « telligente animatam ipse sibi compegit ». Cuius ratio obvia est, quia ut ex Luc. I-31 et Matth. I-18 colligitur, conceptio Christi, licet miraculosa ex parte principii activi, fuit tamen naturalis ex parte matris, pro quanto facta est ex ea materia quam ad prolis conceptum ministrant aliae matres. Dicitur autem *ex castis purissimisque sanguinibus,* ut omnis excludatur impuritas ab eo conceptu quem operatus est Spiritus Sanctus, quique matris virginitatem, nedum abstulerit, magis consecravit.

Quia igitur materia corporis Christi fuit non caro vel os Virginis, vel aliqua actualis pars corporis eius, sed sanguis qui est in potentia caro, ut dicitur in articulo 6°; item quia materiale sanguinis principium non est acceptum a parentibus, sed ex eo quod de alimento in substantiam sumentis convertitur: satis apparet abiiciendum esse errorem (caeteroqui absurdum) quorumdam antiquorum, qui opinabantur conceptionem Christi factam fuisse ex aliqua parte corporis Adae determinate signata, quam ponebant concupiscentia non infectam, et de generatione in generationem usque in Virginem Mariam transmissam. Cui errori valde accedit doctrina Rosmini de Immaculata Conceptione Deiparae, ut videre est in 34ª ex quadraginta propositionibus per decretum S. Officii nuper proscriptis.

Recte nihilominus dicitur Christus fuisse in Adam et Abraham caeterisque patriarchis *secundum corpulentam substantiam:* non quidem sicut in materiali principio, (hoc enim modo nullus

homo continetur in patribus suis), sed virtualiter sicut effectus in causa efficiente. Etenim oportet ut materia quam mater ministrat sit praeparata per virtutem eius generativam. Virtus autem generativa matris originaliter ab Adam descendit, et ideo, « per virtutem generativam Adae et aliorum ab Adam descen- « dentium usque ad Beatam Virginem factum est ut materia « praepararetur ad conceptum corporis Christi » (1). Sed est inter Christum et caeteros maxima et insignis differentia. Nam quoad caeteros, originaliter provenit ab Adam non solum virtus qua mater praeparat materiam, sed etiam virtus in patre residens qua materia praeparata formatur in prolem. Hoc autem non contigit in conceptione Christi, qui propterea dicendus est fuisse in Adam *sicut in originali principio praeparationis materiae,* non autem *sicut in originali principio formationis foetus,* adeoque nec secundum seminalem rationem et concupiscentiae legem. Hinc, ex ipsa vi et ratione conceptus, peccatum Adae nullo modo debuit pervenire ad Christum, dicente angelo ad Virginem: « Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altis- « simi obumbrabit tibi, *ideoque quod nascetur ex te sanctum,* vo- « cabitur Filius Dei ». Nec obstat quod secundum Scripturas factus sit Christus ex semine David. Ad hoc enim sufficit ut ipsa Virgo quae eum genuit, fuerit seminaliter in patribus a quibus et accepit virtutem generativam quae matris propria est. Ideo, « *mediante beata Virgine,* Christus secundum carnem dicitur « esse ex semine David per modum originis » (2).

Habuit itaque Christus genealogiam suam, quam Matthaeus texit descendendo ab Abraham usque ad Ioseph « virum Mariae « de qua natus est Iesus ». Lucas vero e converso, ascendendo a Christo usque ad Adam qui fuit Dei. Descendebat quippe Dominus ad mortalitatem nostram ut nos reduceret ad coelestia, et bene notavit Augustinus quod in generationibus Matthaei significatur nostrorum susceptio peccatorum per assumptam in nativitate similitudinem carnis peccati. Sed in generationibus

(1) Art. 6, ad 1um.
(2) Ibid. ad 2um.

Lucae, (ubi a Christo in Iordane baptizato, transeundo per generationes singulas, ultimo pervenitur ad Deum Adae plasmatorem), significatur Iesum esse eum qui cunctis hominibus exinde ab Adam multiplicatis est principium reconciliationis cum Deo, cui per ipsum mundati et expiati coniunguntur. Verum haec, utpote mystica, ad nostrum institutum directe non pertinent.

Gravior autem occurrit quaestio circa concordantiam evangeliorum, cum duae genealogiae, a Ioseph ad Zorobabel, et iterum a Salathiel ad David, omnino non convenire videantur. In quo quidem magis communis responsio est, Matthaeum describere *naturalem* genealogiam Ioseph, de cuius tribu et cognatione iuxta mandatum Legis [1] erat et Maria, Lucam vero *legalem*. Quam responsionem approbat et tradit S. Thomas, a. 3 huius quaestionis ad 2um.

In contrarium vero occurrit, quod cum una tantum generatio sit, in qua non ex puris coniecturis, sed ex certissimis documentis scimus reipsa intervenisse patres duos, naturalem unum, legalem alterum: uterque evangelista naturalem patrem nominat, legali praetermisso. Legitur enim Ruth. IV-10, quod Booz accepit in uxorem Ruth viduam Mahalon ut suscitaret semen defuncto propinquo suo, ex quo matrimonio deinde ortus est Obed. Erat igitur Obed naturalis filius Booz, legalis vero filius Mahalon. Nihilominus Lucas dicit III-32: « Qui fuit Obed, qui « fuit Booz ». Et similiter Matthaeus-I-5: « Booz autem genuit « Obed ex Ruth ». Quomodo ergo si dicendo Ioseph filium Heli, et iterum Salathiel filium Neri, in utraque hac generatione ad patrem legalem Lucas attendisset, pari iure Obed filium Mahalon non posuisset? Ex quo mihi persuadeo, nec Lucam nec Matthaeum respexisse ad patres legales, sed utrumque naturales generationes describere.

Est itaque alia solutio quam omnino veriorem existimo, Matthaeus scilicet tradere naturalem genealogiam Ioseph, Lucam vero naturalem genealogiam ipsius Iesus per Virginem Matrem. Quae ambae confunduntur ab Abraham ad David, et iterum a

[1] Num. XXXVI, 6 et seq.

David ad Salathiel et Zorobabel, tametsi Matthaeus ducat generationes a David ad Salathiel descendendo per lineam masculinam, Lucas vero, ascendendo a Salathiel ad avum eius maternum Neri, qui et ipse descendebat de David per Nathan fratrem Salomonis. Huius porro solutionis principalis ratio sumi potest ex ipsomet contextu Lucae, quem adversarii tradidisse existimant legalem geneologiam Ioseph. Nam ut recte animadvertit Suarez, de mysteriis vitae Christi, Disp. 2, Sect. 3 : « Cum « evangelista ex professo sermonem de Christo haberet, et so- « lum per occasionem nominasset Ioseph non est credibile totam « sequentem genealogiam ad Ioseph, et non potius ad ipsum Ie- « sum retulisse, ita ut verbum illud, *ut putabatur filius Ioseph,* « per parenthesim legatur. Et haec constructio apprime quadrat « cum textu graeco, ubi non fit ascensio per relativa, sed per « genitivos ». Legitur enim : Καὶ αὐτὸς ὁ Ιησοῦς ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτων τριάκοντα, (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ), τοῦ Ἠλί, τοῦ Ματθάτ, etc. Hoc est : Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, qui putative quidem erat filius Ioseph, vere autem filius Heli, Mathat, Levi, etc. Et revera, in aliis omnibus genealogiis quae sub forma quam elegit Lucas, describuntur, post primum patrem nominatum currit enumeratio maiorum per repetitionem vocis *filii* (1). Hic autem, loco dicendi, *ut putabatur filius Ioseph, filii Heli, filii Mathat, filii Levi,* statim mutata forma ait, *ut putabatur filius Ioseph,* τοῦ *Heli,* τοῦ *Mathat,* etc. Profecto quia τοῦ *Heli* non refertur ad Ioseph, sed ad Iesum. Est ergo Heli avus maternus Christi, pater Beatae Virginis. De identitate vero nominum Heli et Ioachim vide Calmet, Dissert. de genealogia Christi, sub finem. Quamquam difficultas ista non sit eiusmodi quae nos debeat multum detinere, quia traditio quae patri Virginis assignat nomen Ioachim, est traditio pure historica, et in re parvi momenti, ubi facile potuisset quaedam nominis corruptio accidere.

(1) Cf. 1 Reg. I ; Iudith VIII ; 1 Esdr. VII, etc.

§ 2.

(Quaest. 32).

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD PRINCIPIUM ACTIVUM.

Virginalis conceptionis Christi activum principium fuit tota Trinitas, et si per appropriationem loquamur, Spiritus Sanctus. Notandum autem cum S. Thoma l. 4 c. Gent. c. 47, quod etsi de Spiritu Sancto et Virgine Christus conceptus dicatur, non tamen ipse Spiritus Sanctus potest dici pater Christi secundum humanam generationem, sicut Virgo dicitur mater eius. Ratio est quia non produxit humanam naturam in Christo ex sua substantia, sed sola sua virtute operatus est ad eius productionem. Quo fit ut respectu Spiritus Sancti non verificetur in hac conceptione, notissima illa definitio generationis: origo viventis a vivente principio coniuncto, id est consubstantiali, in similitudinem naturae.

Si autem quaeratur utrum et Virgo fuerit activum principium conceptionis corporis Christi, distinctione opus est. Nam in conceptione prolis actio principalis est formatio et organizatio, cuius respectu agens non est nisi pater; mater vero materiam tantum ministrat. Cum igitur beata Virgo non accepit ut esset pater Christi, manifeste sequitur quod in principali actione formationis prolis nihil active egit, sed virtus divina operata est id totum quod in aliis conceptionibus per virtutem paterni seminis efficitur. Active tamen operata est Virgo sicut aliae matres, praeparando materiam ut esset apta conceptui; unde et vere mater fuit. Ita fere S. Thomas in III, D. 3, q. 1, a. 1.

Nunc vero, ex hoc quod in conceptione Christi principium activum non idem fuit ac in caeteris, non sequitur derogari quidquam verae et naturali humanitati eius. Nam, ut dicitur l. 4 c. Gent. c. 45, quicumque effectus per quamcumque causam producitur, potest per Deum absque illius causae adminiculo produci eiusdem speciei et naturae. Semen autem viri, cuius efficaciam supplevit virtus divina, pure active se habet, et non intrat materialiter in constitutionem concepti. Quamquam nihil adhuc se-

queretur si hoc ultimum verum non esset. Nam similitudo aliquorum aut dissimilitudo non attenditur secundum statum materiae in initio generationis, sed secundum conditionem materiae iam praeparatae, prout est in termino generationis. Unde, dato etiam quod materia ex qua communiter generantur corpora nostra, ab utroque parente assumeretur, adhuc esset Christus eiusdem speciei nobiscum, sicut eiusdem speciei fuit Adam e limo terrae immediate a Deo formatus. Vere ergo per omnia fratribus similatus est quantum ad naturae humanae constitutiva, proprietates, et passiones, tametsi quantum ad causam generativam super alios excelluerit ut verus Deus et Salvator.

§ 3.

(Quaest. 33).

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI.

De conceptione Christi quoad modum et ordinem, omnino tenendum est quod *non successive, sed in instanti perfecta est; et hoc instans fuit terminus temporis, infra cuius brevissimum intervallum, sanguis a beata Virgine ministratus pervenit ad locum generationis.*

Hic nota in primis quod motus materiae ad locum generationis non est nisi conceptionis praeambulum, cui semper repugnat instantaneitas, quandoquidem omnis motus proprie dictus de ratione sua habet ut tempore mensuretur. Conceptio autem formaliter sumpta consistit, ut iam supra dictum est, in formatione corporis organici animati anima rationali. Et haec etiam successive fit secundum ordinarias naturae leges, nam inter primum instans constitutionis foetus, et instans animationis sive infusionis animae in corpus, mediat tempus in quo nondum est homo nisi in fieri et praeparatione.

Sed quod ad Christum attinet, oportet secundum doctrinam Sanctorum ponere conceptionem subitaneam, in qua non distinguitur fieri a facto esse: « Ubi primum sancta Virgo assensa « est, ait Damascenus, de fide orth. lib. 3, cap. 2, in eam iuxta « Domini sermonem Spiritus Sanctus supervenit, qui vim ei ad

« gignendum suppeditavit. Tunc porro Dei filius carnem anima « rationali animatam ipse sibi compegit, non id quidem seminali « procreatione, sed Conditoris more per Spiritum Sanctum. *Non « ut paulatim per additamenta, corporis figura absolveretur, sed « uno eodemque momento perficeretur, dum ipsum Dei Verbum « carni fieret hypostasis.... Quamobrem, simul caro, simul Dei « Verbi caro, simul caro animata rationis particeps et intelligen- « tiae.* Nam cum natura Deus perfectus esset, idem ipse natura « perfectus homo fuit, et quidem ita ut carni anima rationali ani- « matae, *inque ipso exsistentiam nactae,* personali modo absque « confusione unitus sit ». Vide etiam epistolam Sophronii lectam atque approbatam in Concilio VI, quae supra est recitata.

Ratio autem huius veritatis demonstrativa est duplex. Prima est, quia in aliis conceptionibus virtus activa non transcendit ordinem corporum, sed paulatim disponit materiam ad hoc ut sit animae susceptiva. Sed hic, principium activum fuit agens infinitae virtutis qui in instanti operatur, et materiam subito disponit ad formam. Alia ratio est, quia ipse Filius Dei conceptus esse dicitur, ut patet ex symbolo: *qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Ergo, ut tota conceptio Filio Dei potuerit cum veritate attribui, oportuit unionem divinae personae cum carne fieri statim ab initio. Nam ante assumptionem idiomata non communicantur, et cum aliunde caro non sit assumptibilis nisi mediante anima, ut dictum est in Q. 6, simul esse debuit assumptio carnis et animatio eius. « Propter quod, ait S. Thomas in III, D. 5, « q. 3, a. 2, oportet conceptionem illam subitaneam ponere, ita « quod haec in eodem instanti fuerunt, scilicet conversio sangui- « nis materialis in carnem, et formatio membrorum organicorum, « et animatio corporis organici, et assumptio corporis animati in « unitatem divinae personae ».

Hic tamen posset quispiam opponere quod conceptio simpliciter attribuitur puro homini, puta Socrati, tametsi in initio conceptionis Socrates nondum sit: nec quoad naturam, cum formale constitutivum naturae humanae sit anima rationalis, nec quoad esse, quia exsistentia hominis est existentia animae, quae acquiritur et corpori. Ergo a pari, posset adhuc Filio Dei attri-

bui conceptio, etiamsi facta fuisset non in instanti, sed per temporis intervalla, dummodo assumptio ad divinam personam dicatur fuisse re idem cum creatione animae et animatione foetus. Verum absolute est neganda paritas. Licet enim ab initio conceptionis purus homo nondum sit ut in facto esse, bene tamen ut in fieri, quia secundum naturae ordinem motus generationis *per* se terminatur ad hominem, et hunc numero hominem, id est, ad substantiam humanam singularem cum proprio esse exsistentiae. At vero, si conceptio virginalis non fuisset instantanea, motus generationis non habuisset terminum *per se* in persona divina incarnata, *sed per accidens* tantum, adeoque conceptio in fieri nulla vera ratione ipsi Dei Filio attribueretur. Insuper derogaretur quam maxime catholico dogmati maternitatis divinae de quo nunc, exponendo ea quae Christi nativitatem spectant, accurate agendum est.

QUAEST. XXXV-XXXVI.

DE NATIVITATE CHRISTI.

« Consequenter post Christi conceptionem, agendum est de « eius nativitate ». Notandum autem quod sermo est de nativitate *in* et *ex* utero. Porro nativitas *in* utero, etsi non re, ratione tamen a conceptione distinguitur, quia *conceptio* significatur ut actio qua mater capit apud se id quod generatur, *nativitas* vero significatur ut processio qua genitus oritur a generante. Quapropter conceptio perficitur, quando primum exsistit homo in utero matris. Non autem perficitur tunc nativitas, quia processio a generante non completur nisi exeunte prole ab utero : quo tantum tempore simpliciter et absolute dicimus hominem esse natum. Si ergo nativitas adaequate spectata comprehendit conceptionem, et addit aliquid aliud, (quamquam conceptionem non includat formaliter ut conceptio est, sed in quantum est identice origo seu processio viventis a vivente), recte S. Thomas in nativitate Christi includit ipsa generationis eius initia, et in hac quaestione divinam Beatae Mariae maternitatem principaliter considerat. Hinc :

THESIS XLVI.

(Quaest. 55. Art 1-5).

Beata Virgo, cum sit Mater Christi secundum temporalem eius nativitatem, Dei genitrix vere dicitur et est. Imo in hoc nomine Deiparae, tota recapitulatur fides incarnationis.

Videretur tamen impossibile esse ut Beata Virgo vere et proprie sit mater Dei. In tantum enim Dei genitrix diceretur, in quantum cooperata fuisset ad unionem naturae humanae cum persona Filii Dei, cuius unionis ratione, hic homo Christus est Deus. Sed nihil operata est Virgo ad unionem hypostaticam. Ergo, etc.

Praeterea, maternitas et filiatio sunt correlativa. Si ergo Beata Virgo vere esset mater Dei, Deus esset vere filius eius. Sed hoc est impossibile, quia filatio est realis quaedam relatio, eademque personalis, quae quidem in persona divina respectu creaturae esse omnino nequit.

Praeterea, docet S. Thomas art. 5 huius quaestionis, quod in Filio Dei non sunt secundum rem filiationes duae, ergo pari iure, nec duae nativitates. Non ergo est ipsi attribuenda nativitas temporalis, secundum quam solam Beata Virgo vere diceretur Deipara.

Sed contra est, quod in capite anathematismorum contra Nestorium quos Synodus III suscepit, sic habetur: « Si quis « non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea, « Dei genitricem sanctam Virginem, (peperit enim secundum car- « nem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est, « Verbum caro factum est), anathema sit ».

Et sane, omnis mulier quae vere aliquem genuit, illius mater vere dicitur et est. Atqui Beata Virgo vere genuit Deum, prout tam Scripturae testimonio quam ratione theologica facile evincitur. Et in Scriptura quidem, praeter Matthaei testimonium de Virgine concipiente et pariente *Emmanuelem,* (quod est in-

terpretatum *nobiscum Deus*), occurrunt apud Lucam verba Gabrielis archangeli : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc enim efficitur, Filium Dei esse qui nasciturus erat de Maria. Et quia omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae : si Maria genuit Filium Dei, genuit Deum. Quod rursus ratio theologica evidenti discursu confirmat, distinctione prius facta inter eum qui generatur, et id secundum quod generari dicitur. Nam *id secundum quod* aliquis generatur, est natura illa in qua assimilatur generanti. Sed *is qui* generatur, nonnisi suppositum est, seu hic subsistens in tali natura, quia eius est fieri secundum naturam aliquam, cuius est esse sive subsistere secundum naturam hanc. Atqui manifestum est ex praemissis de conceptione Christi, quod nullum aliud suppositum originatum est a Virgine, praeter suppositum Verbi in natura humana. Ergo iterum, ille qui de Maria nascebatur, divina erat hypostasis in humanitate assumpta, et hinc ultro consequitur B. Virginem vere et proprie dici Genitricem Dei.

Nunc, quod in nomine *Deiparae* tota recapituletur incarnationis fides, luculenter ostendit Damascenus l. 3 de fide orth. c. 12, dicens : « Merito igitur et vere sanctam Mariam Deiparam « appellamus. Hoc enim nomen totum incarnationis mysterium « adstruit. Nam si Dei mater est quae genuit, profecto Deus est « qui ex ipsa genitus est, profecto etiam homo. Nam qui fieri « potuisset ut Deus qui ante saecula exstabat, ex muliere nasce- « retur, nisi homo factus esset ?... Quod si ille ipse qui ex mu- « liere natus est, Deus est, unus procul dubio atque idem est, « qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam substantiam « attinet, quique extremis temporibus secundum substantiam quae « initium habuit, h. e. humanam, ex Virgine natus est. Hoc vero « unam Domini nostri Iesu personam, duasque naturas et duas « generationes significat ».

Ad 1um ergo neganda est maior argumenti, quia cooperatio ad unionem naturae humanae cum persona Filii Dei non solum non requirebatur, sed nihil omnino ad rationem divinae maternitatis conferre potuisset. Proprium enim munus matris, quod a

munere patris apprime distinguendum est, consistit pure et simpliciter in subministrando *materiam ex qua.* Non ergo debuit Beata Virgo aliquid active agere, praesertim circa id quod nequidem ingreditur rationem constitutivam naturae communicatae, cuiusmodi est unio hypostatica, sed solum debuit conferre id quod conferunt aliae matres, suppeditando purissimos illos sanguines ex quibus per virtutem omnipotentem Spiritus Sancti formata est humanitas Christi : et non prius formata quam tracta ad esse personale Verbi, imo formata ea ipsissima actione quae in sui ratione involvebat unitionem ad Verbum. Hoc enim modo, illud quod primo natum est in utero virgineo, ipse est Filius Dei factus homo, et exinde consequitur Virginem esse veram ac naturalem matrem eius ([1]). Caeterum, ut veritas adhuc magis elucescat, considera sequentem discursum ex Comp. theol. c. 222 desumptum : « Femina ex qua aliquis homo nascitur, mater il-
« lius dicitur, ex eo quod materiam ministravit humano conce-
« ptui. Unde Beata Virgo Maria quae materiam ministravit hu-
« mano conceptui Filii Dei, vera mater Filii Dei dicenda est.
« Non enim refert ad rationem matris, quacumque virtute mate-
« ria ab ipsa ministrata formetur.... Si quis autem dicere velit

([1]) Obiectio proposita, quanto minoris roboris est si de *matre Dei* sermo sit, tanto esset difficilior si de patre ageretur. Pater enim est principium activum virtute sui seminis transformans materiam a matre subministratam, usquedum inducatur ultima ad animae infusionem dispositio. In tantum igitur est parens hominis concepti, in quantum per virtutem a se decisam inducit in fetu dispositiones exigitivas formationis hominis, et huius numero hominis. Sed impossibile est fingere dispositiones quae exigerent constitutionem humanitatis tractae ad esse personale Dei. Hinc suppositum divinum in natura assumpta non posset esse terminus *per se* generationis prout generatio a viro est, sed solum terminus *per accidens,* et praeter vim influxus qui in conceptione humana patri proprius est. Ex quo mihi persuadeo, non esse possibilem paternitatem divinam in creatura, imo nec maternitatem praeter illam quae virginalis sit : dum scilicet per obumbrantem virtutem Altissimi materia materno more suppeditata formatur, et in divina hypostasi exsistentiam simul nanciscitur. Unde, si ex abundantia bonitatis suae Deus ex hominibus nasci voluit, et non solum fieri homo, sed etiam hominis filius, absoluta necessitate matrem virginem sibi debuit eligere.

« Beatam Virginem Dei matrem non debere dici, quia non est « ex ea assumpta divinitas, sed caro sola, manifeste vocem suam « ignorat. Non enim ex hoc aliqua dicitur alicuius mater, quia « totum quod in ipso est, ex ea sumatur. Homo enim constat ex « anima et corpore, magisque est homo id quod est, secundum « animam. Anima autem nullius hominis a matre sumitur, sed a « Deo immediate creatur. Sicut igitur cuiuslibet hominis mater « aliqua femina dicitur, ex hoc quod ab ea corpus eius assumi- « tur, ita Dei mater Beata Virgo Maria dici debet, si ex ea as- « sumptum est corpus Dei. Oportet autem dicere quod sit cor- « pus Dei, si assumitur in unitatem personae Filii Dei, qui est « verus Deus. Confitentibus igitur humanam naturam esse as- « sumptam a Filio Dei in unitatem personae, necesse est dicere « quod Beata Virgo Maria sit mater Dei. Sed quia Nestorius ne- « gabat unam personam esse Dei et hominis Iesu Christi, ideo « ex consequenti negabat Virginem Mariam esse Dei matrem ».

Ad 2um dicendum quod Deus est vere filius Virginis. Nunc autem, quia filiatio est talis relatio quae non habet pro subiecto nisi ipsum suppositum ; insuper, quia in Christo suppositum aeternum non potest esse subiectum alicuius temporalis relationis, necesse est ut filiatio qua Christus refertur ad matrem non sit realis relatio, sed rationis tantum, sicut et caeterae quae dicuntur de Deo ad creaturas. Et tamen, sicut Deus realiter est dominus creaturae, ita et Deus incarnatus realiter filius Mariae est, in quantum vere terminat relationem maternitatis quam Virgo realiter habet ad ipsum (1). Hinc in forma : Maternitas et filiatio sunt correlativa, *dist.* Ita ut filiatio quae respondet maternitati, sit relatio vel realis vel rationis tantum, *conc.* Semper relatio realis, *subdist.* Si persona genita sit suppositum creatum quod per nativitatem incipit esse simpliciter, *conc.* Si sit persona increata quae incipit esse, non simpliciter, sed in natura assumpta, *neg.*

Ad 3um denique dicendum quod non est paritas inter nativitatem et filiationem. Non enim absurde dicitur corpus Christi esse natum de Virgine, cum tamen nec corpus nec natura hu-

(1) Cf. S. Thom. *Quodl.* 9, a. 4.

mana denominationem filii unquam suscipere possit. Revera nativitas est apud nos in praedicamento passionis, et importat in creatis quoddam fieri quod debet attribui personae ut rei subsistenti *quae* fit, naturae vero ut formae *secundum quam* res illa fit. Quapropter attribuenda est Christo realis nativitas temporalis naturae quam accepit ex Maria. Nunc autem filiatio est in praedicamento relationis, et non attribuitur naturae, sed soli personae. Ideoque in mysterio incarnationis contingit ut ex reali nativitate non resultet realis filiationis relatio, quia persona est aeterna, et « quaecumque relationes temporales de aliquo ae« terno dicuntur, sunt relationes rationis, et non rei ». Recte ergo S. Thomas negat esse in Christo realem relationem filiationis temporalis, et simul attribuit ei temporalem nativitatem, secundum quam Beata Virgo est vera et naturalis mater eius.

DE CIRCUMSTANTIIS NATIVITATIS CHRISTI

(Quaest. 35, Art. 6-8).

Nativitatis Dominicae circumstantias exponit S. Thomas in ultimis huius quaestionis articulis, sed non vacat de iis longiori sermone disserere. Ideo haec pauca velut compendiose dicta nunc accipe.

Primo, natus est Christus in diebus Herodis regis a quibus initium sumit cessatio sceptri in populo iudaico: illam cessationem dico, quam futuram praenuntiaverat Iacob in memoranda prophetia de adventu Messiae. Erat enim Herodes alienigena, et hoc nomine a regno exclusus ipsa fundamentali lege in Deuteronomio his verbis expressa: « Cum ingressus fueris terram « quam Dominus Deus tuus dabit tibi et dixeris: Constituam « super me regem sicut habent omnes per circuitum nationes, « eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero « fratrum tuorum. *Non poteris alterius gentis hominem regem fa« cere, qui non sit frater tuus* » (1). Insuper, vi et armis Romanorum per atrocissimas caedes, totaque natione invita ac penitus repugnante, idem Herodes principatum fuerat adeptus, ut narrat

(1) Deuteron. XVII, 14-15.

Iosephus, Antiquit. l. 14 et 15. Nec processu temporis extincta odia, sed magis aucta; unde facile explicantur quaecumque in adventu magorum et post eorum discessum evangelica refert historia. Statim enim vidit Herodes quale fermentum rebellionis foret in populo annuntiatus puer, quem prodigiosae indicio stellae ut proprium Iudaeorum regem, id est, ut expectatum Messiam, magi ab Oriente quaerebant.

Secundo, natus est Christus tempore census, cum exiisset edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis (1).

(1) De hac descriptione universi orbis sub Augusto occurrit difficultas. Aiunt enim rationalistae ipsam esse imaginariam, vel si unquam censita est Iudaea a Quirino, descriptionem istam nonnisi post Christum natum fieri potuisse, cum natus sit Iesus sub Herode I, et non venerit Quirinus in Iudaeam nisi decem vel undecim post annis, Archelao Herodis filio in exsilium pulso, et Iudaea tunc primum in provinciam Romanam conversa. Ergo iter Mariae et Ioseph in Bethleem mera fabula est. Ergo Iesus in Bethleem Iudae non est natus, sed inventa fuit historia ut personae Iesu accommodarentur prophetiae messianicae. — Sed contra est quod testatur Tacitus l. 1 Annal. c. 11, Caesarem Augustum post pacem terra marique compositam, sollicitum fuisse de condendo libello imperii in quo opes publicae continebantur: « quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provin- « ciae, tributa aut vectigalia, etc. ». Et quia hoc ipsum fieri nequaquam potuit, nisi effecta prius descriptione imperii, constat Tacitum, (cui etiam addendus est Suetonius, Octav. Aug., n. 48), apprime confirmare narrationem Lucae. — Equidem Tertullianus censum attribuit, non Quirino, sed Cneio Sentio Saturnino quem etiam, nascente Christo, ordinarium Syriae praesidem alia historiae monumenta attestantur. Verum, dum idem Tertullianus tanta securitate invocat auctoritatem archivorum imperii ad ipsius evangelii Lucae confirmationem, signum evidens est quod nec ipse, nec alius quispiam sui temporis, mendum aliquod in hac re suspicabatur. Quaecumque igitur conciliationis ratio sit, certum aliunde est nullum esse dissidium. Porro, ex variis explicationibus propositis, melior illa apparet quam sustinet Patrizi, de Evang. l. 3, Dissert. 17. Vide illum. — Alia etiam ab aliis probabiliter sustinetur, dum illud Lucae: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, non vertunt cum Vulgata: *Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Quirino,* sed: Haec descriptio prior fuit Quirino Syriae praeside, seu, ante illam quam operatus est Syriae praeses Quirinus.

Hanc autem circumstantiam ordinasse videtur divina Providentia non tam eo fine ut Christus conceptus in Nazareth, in Bethleem iuxta Scripturas nasceretur, (nam istud multis aliis modis poterat procurari, neque ad hoc requirebatur tanta commotio gentium), sed eo potius fine ut conficerentur tabulae nativitatis eius, modo qui et nascentis maiestati et universalis Salvatoris qualitati congrueret. Decebat enim eum quem universo orbi Maria pariebat, referri in tabulis universi orbis, facta exinde omnibus potestate ad Romana archivia accedendi ut genus illius, ortusque locum et tempus ediscerent. Unde Iustinus in secunda sua apologia scribens ad Imperatorem Antoninum Pium, ad S. P. Q. R. universum ait: « Vicus quidam est Bethleem in regione Iudaeorum, ubi natus est Christus Iesus, quemadmodum « et ex descriptionibus census acti quae sub Cyrenio primo vestro in Iudaea procuratore sunt confectae, intelligere potestis ». Et similiter Tertullianus refutans Marcionem qui ab evangelio Lucae *molestos semper Caesaris census* volebat auferri, provocat ad tabulas census prout suo adhuc tempore in publicis archiviis servabantur. « De censu denique Augusti, inquit l. 4 c. Marc. « c. 7, quem testem fidelissimum Dominicae nativitatis Romana « archivia custodiunt ». Et infra, c. 6: « Sed et census constat « actos sub Augusto nunc in Iudaeam per Sentium Saturninum, « apud quos genus eius (Christi) inquirere potuissent ».

Tertio, natus est Christus in Bethleem Ephrata iuxta Michaeae prophetiam. « Salve Bethleem, *domus panis,* in qua natus « est ille panis qui de caelo descendit. Salve Ephrata, *regio uberrima* atque καρποφόρα, cuius fertilitas Deus est. De te quondam Michaeas vaticinatus est: *Et tu Bethleem domus Ephrata, « non minima es in millibus Iuda.* In te enim natus est princeps « qui ante luciferum genitus est, cuius de Patre nativitas omnem « excedit aetatem. Et tamdiu in te Davidici generis origo per « mansit donec virgo pareret, et reliquiae populi credentis in « Christum converterentur ad filios Israel, et libere praedicarent: « *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad Gentes.* Bene David iurabat, bene « vota faciebat dicens: *Si introiero in tabernaculum domus meae,*

« *si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis,* « *et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, do-* « *nec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Et statim « quid desideraret exposuit, atque oculis prophetalibus, quem « nos venisse iam credimus, ille venturum esse cernebat: *Ecce* « *audivimus illum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvae.* « Unde loquitur confidenter: *Introibimus in tabernaculum eius,* « *adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius* » (1).

Quarto, Christus natus positus est in praesepio, hoc est in ciborio animalium, ut mysterium Eucharistiae quo tota incarnationis ratio consummatur, iam ex tunc esset praenuntiatum. Hinc Theodorus Ancyranus, homilia Ephesi habita ipso natali die Salvatoris nostri Iesu Christi: « Iste qui tunc magos ineffabili vir- « tute ad pietatem traxit, idem laetam hanc festivitatem hodierno « die constituit, non iam in praesepi positus, sed in hac salutari « mensa propositus. Illud namque praesepe mater factum est « huius mensae. Propterea in illo est positus, ut in ista edatur, « et fidelibus fiat salutaris cibus. Sed illud praesepe quidem cla- « ram hanc mensam designavit. Virgo autem choros istos virgi- « num germinavit. Bethleemetici autem diversorii vilitas, clara « haec templa extruxit; et panni quibus tunc involutus est, facti « sunt praesentium resolutio peccatorum ».

Item, media nocte natus est Salvator, ut se verum lumen in tenebris exortum ostenderet ad illuminandum eos qui sedebant in umbra mortis. Item, eo anni tempore quo dies iam breviores effecti incipiunt incrementum accipere, utpote nobis auctor exsistens crescendi in divinam lucem. Item, cum signo summae paupertatis, ut viam contemptus mundi dedicaret, et vitae initium fini faceret conforme. Quem enim nascentem excepit stabulum animalium, eumdem morientem crux sustinuit, et qui in patriam praeelegerat vicum ignobilem, civitatem regiam voluit esse ignominiosae mortis theatrum: « Per hoc, inquit S. Thomas (2),

(1) Verba Paulae ingredientis specum Salvatoris, apud Hieronymum epist. 108 ad Eustochium, n. 10.

(2) Hic, art. 7, ad 1um.

« hominum gloriam confutavit, qui gloriantur de hoc quod ex « civitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam praeci- « pue volunt honorari. Christus autem e converso, in civitate « ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati opprobrium ». Sed et multa alia pie cogitanti ultro occurrent, quae nunc festinans ad alia, praetereo.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

(Quaest. 36).

Christi nativitas non debuit communiter omnibus manifestari, ut constat ex praemissis in quaest 29, thes. 44. Convenienter tamen fuit aliquibus paucis notificata, tum ut manifestatio ista, postmodum in evangelio consignata, totius Ecclesiae eruditioni deserviret; tum etiam ut iam ab initio apud populum Israel, imo et caeteras gentes, fama spargeretur ortus Salvatoris. Mirabili autem divinae Sapientiae dispositione effectum est ut signa tunc edita initiali obscuritati Christi minime officerent, dum ipse Salvator, primum quidem in Aegyptum clam illatus, dein ex Aegypto redux, usque ad trigesimum aetatis suae annum in civitate Nazareth reipsa permansit omnino ignotus.

Sed cum in manifestatione Christi nati magna lateant mysteria, primum omnium de ordine eius nonnulla sunt praemittenda. Et tota quaestionis difficultas spectat tempus adventus magorum, de quo valde disputant moderni interpretes (1).

(1) Plerique modernorum volunt nativitatem Christi fuisse hoc ordine manifestatam : primo pastoribus, secundo Simeoni et Annae, ultimo magis, quos dicunt advenisse duobus circiter annis a nativitate. Sed contra hanc opinionem, praeter locutionem Matthaei : *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iuda, ecce magi*, etc. (quae locutio breve intervallum significare videtur), militat quam maxime id quod habet Lucas referens praesentationem in templo : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in civitatem suam Nazareth,* etc. Nam si magi post biennium, adhuc invenissent puerum in Bethleem, oporteret dicere reversionem illam non fuisse reversionem ad manendum, sed solum ad quaerendam suppellectilem : ex hoc scilicet quod aestimavissent parentes Christi voluntatem Dei esse ut ibi adolesceret et educaretur puer,

Dico autem magos advenisse ante quadragesimum a nativitate diem, ita ut primo pastoribus, dein magis, postremo Simeoni et Annae manifestatus sit Iesus. Cuius assertionis solida ratio esse videtur, quia magi in Bethleem puerum invenerunt; necesse

---

ubi speciali consilio divinae providentiae fuerat natus. At hypothesis ista non salvat nativam vim verborum evangelii, et praeterea innaturalem statuit consequentiam eventuum, pro qua nulla verosimilis ratio assignatur.

In primis non salvat nativam vim verborum evangelii. Sive enim consideres quid importet *reversio in propria* simpliciter et sine addito dicta, sive praesertim attendas quod apud Lucam reversio in Nazareth connectitur cum relata consuetudine parentum Christi eundi per singulos annos a Nazareth in Ierusalem in die solemni Paschae, intelliges profecto nequaquam ibi sermonem esse de reversione transitoria, facta animo quaerendi supellectilem ut deinceps in Bethleem sedes figeretur.

Insuper ponit innaturalem eventuum consequentiam. Quaeritur enim undenam parentes Christi opinionem trahere potuerint, voluntatem Dei esse ut puer adolesceret potius in Bethleem ubi fuerat natus, quam in Nazareth ubi conceptus. Quaeritur praesertim quomodo consilium manendi in Bethleem, nonnisi post Christi nativitatem eis advenerit. Nam quando ad Caesaris edictum primo profecti sunt, certissime sciebant Christum nasciturum esse in Bethleem, tum propter notissimam prophetiam Michaeae (Cf. Ioan. VII-42), tum quia tempus Mariae advenerat. Si ergo putassent esse in voluntate Dei ut adolesceret puer in loco nativitatis suae, certo certius tulissent secum omnia quibus indigebant, nec opus fuisset reversione illa quam fingunt adversarii.

Sed nec solida videtur ratio deducta ab eo quod dicit Matthaeus de Ioseph redeunte ex Aegypto: *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae*, etc. Nam revera, post omnes eventus improvisos qui praesentationem in templo consecuti fuerant, postquam praesertim iussus fuerat Ioseph redire *in terram Israel* quae per excellentiam erat Iudaea proprie dicta, potuit utique suboriri opinio quod in Iudaea sedes esset figenda. Sed ante fugam et repetitas angeli iussiones non apparet verosimilis ratio quare consilium inierint habitandi in Bethleem, relicta sua civitate Nazareth. De quo vide Augustinum l. 2 de cons. evang. cap. 9.

Denique, loco omnium rationum esse potest vel solum computum historiae quoad mortem Herodis, quam communiter ponunt, ne exceptis quidem adversariis, non duobus annis, sed omnino sex mensibus post nativitatem Christi.

igitur est ipsos ante praesentationem in templo advenisse, cum testetur Lucas, Mariam et Ioseph reversos in Galilaeam statim ut perfecerunt omnia secundum legem Domini. Ne tamen in conciliando Luca cum Matthaeo difficultatem patiaris, prae oculis habe regulam Augustini, l. 2 de cons. ev. n. 16: « Sic unum-« quemque evangelistam, contexere narrationem suam ut tam-« quam nihil praetermittentis series digesta videatur; tacitis enim « quae non vult dicere, sic ea quae vult dicere, illis quae dice-« bat adiungit, ut ipsa continuo sequi videantur. Sed cum alter « ea dicit quae alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat « locum ubi ea potuerit, a quo praetermissa sunt, transilire, ut « ea quae dicere intenderat, ita superioribus copularet, tamquam « ipsa nullis interpositis sequerentur ». Atqui ordo diligenter consideratus videtur his capitibus comprehendi. *Primo* venit manifestatio nativitatis ad pastores; *secundo* circumcisio; *tertio* adventus magorum; *quarto* praesentatio in templo; *quinto* reditus parentum Christi in Galilaeam; *sexto,* dum in itinere seu actu redeundi essent, apparitio angeli et fuga in Aegyptum; *septimo* reditus de Aegypto, et adventus in civitatem Nazareth ubi et manserunt. Quoniam autem Lucas omittit omnia quae de Christi infantia a Matthaeo fuerant sufficienter enarrata, silet de iis quae acciderunt in ipso actu redeundi in Galilaeam, et coniungens profectionem e Ierusalem cum adventu in Nazareth, (tametsi inter duos hosce terminos, propter improvisam angeli iussionem et fugam in Aegyptum notabilis mora temporis intercesserit), dicit: « Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi « sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. Puer autem « crescebat et confortabatur », etc.

Opponet forsitan quispiam: Si Maria et Ioseph iam erant in actu redeundi Nazareth, quid causae fuit cur in Aegyptum fugere debuerint, cum satis esset puerum extra fines Bethleem inveniri, ut e manibus Herodis eriperetur? Respondeo negando omnino assumptum, nam etsi postea in solos pueros Bethleem omnem furorem suum Herodes exseruerit, non inde sequitur Nazareth ipsi Christo tutum fuisse refugium. Si enim totius seriem historiae diligenter attendas, videbis Herodem procurasse ut magi in

Bethleem *ciam* pervenirent (1), sine testibus et sociis, imo tempore noctis prout reapparitio etiam stellae suadere videtur ; clanculum enim natum puerum volebat extinguere. Dum autem frustra magorum reditum expectaret, ecce rumor mirabilium quae ipso die praesentationis acciderant (2), auxit suspiciones tyranni, nec ipsum amplius dubitare sivit quin a magis fuisset illusus. Ideo omnem primo adhibuit curam ut ex variis indiciis hinc et inde acceptis, puerum Iesum in particulari detegeret. Sed ut vidit omnia tentamina esse infructuosa, tandem cogitavit interficere pueros Bethleem et omnium finium eius, eo quod illae partes erant ubi probabilius reputabat adesse eum quem quaerebat ad necem. Quod si iussit occidi *a bimatu et infra,* ratio fuit quia, ut Chrysostomus dicit, Hom 7 in Matth., « conveniens in eum« dem tyrannum pavor et furor pro abundantia cautionis et li« centia persecutionis maius etiam tempus inclusit, ne quis pro-

(1) Clanculum, inquam, pervenirent, prout non obscure innuit Matthaeus II-7. Atque hinc, ut opinor, praecipua quaedam clavis totius historiae sumenda est. Nam alias, difficulter intelligeretur quomodo magi post commotionem totius urbis Ierusalem potuerint ire in Bethleem, et alia via reverti in regionem suam, quin ullus sciret quid rei circa ipsos actum esset, praesertim cum Bethleem a Hierosolyma vix duarum horarum itinere distaret. Sed ordinavit divina providentia ad suum finem ipsum medium quod excogitaverat Herodes ad perdendum puerum. Ipse enim Herodes, sicut ratio politica suadebat, suos ministros in aciem instruxit ne moveret quisquam pedem aut manum in tota Ierusalem, procuravitque ut per amica silentia noctis pergerent magi in Bethleem. Unde etiam, unius noctis spatio contingere potuit magorum adventus, adoratio, et discessus, quin attentio Bethleemitarum excitaretur, praesertim si, ut dicendum videtur, adhuc erat Christus in spelunca deserta in qua et natus est.

(2) « Et venit (Simeon) in spiritu in templum. Et cum inducerent « puerum Iesum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem « legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum « et dixit : Nunc dimittis.... Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, « de tribu Aser, et haec ipsa hora superveniens confitebatur Domino, « *et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel* » Luc. II, 27-38.

« fecto eius aetatis, et forte is potissimum propter quem alli in-
« terimebantur, effugeret » (1).

Sic igitur declarato ordine quo manifestata est nativitas Salvatoris, dicendum nunc est ordinem illum fuisse figuralem atque propheticum. Significavit enim ordinem vocationis hominum ad fidem, quam apostolus Rom. XI, ostendit primo pervenientem ad electionem Iudaeorum, postea ad plenitudinem gentium, ultimo (hoc est in fine mundi) ad plenitudinem populi Israel.

Et vere, primam evangelii lucem receperunt apostoli, discipuli, et primitiva illa ecclesia Hierosolymitana de qua Lucas, Act. II-IV. Erant autem omnes de gente prophetarum, cives sanctorum, domestici Dei, ac per hoc, quasi *vicini fidei Christi.* Hos profecto figuratos agnoscimus in persona pastorum, qui ante caeteros omnes ad Christum nascentem *de vicinis locis* vocati sunt, dum essent « *in regione eadem* vigilantes et custodientes « vigilias noctis super gregem suum ».

Sed postquam Iudaei sese maxima ex parte indignos iudicaverunt aeternae vitae, apostoli (Act. XIII-46) conversi sunt ad Gentes, quae Christi fidem post Hebraeorum primitias receperunt. Erant autem gentiles *alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo,* ut dicitur Eph. II-12; unde et *a longe* veniebant. Bene ergo in adventu magorum quos *de remotis terris* stella ducebat ad Christum, praefigurabatur Gentium conversio cum omnibus circumstantiis eius. Imo prophetice signabatur quid tandem connexionis futurum esset secundum arcana providentiae consilia, inter paganorum vocationem et permissionem casus plerorumque Iudaeorum. « Nam etiam atque etiam, ait Augustinus,

(1) Adde quod terminus *a quo* supputationis Herodis fuit tempus apparitionis stellae. Et non est credendum stellam solum apparuisse ipso die nativitatis Christi, sed potius eo tempore quo ipsam apparere necesse fuit, ut moram haberent magi cogitandi, reflectendi supra caeleste indicium, maturandi consilium, committendi se itineri, et tandem adveniendi post paucos a nativitate dies. Dato ergo quod ab apparitione stellae iam duo anni transiissent, adhuc minime sequeretur a tanto tempore natum fuisse Christum.

« serm. 201, n. 3, considerare delectat, quemadmodum magis « quaerentibus ubi Christus nasceretur, Iudaei responderunt *in « Bethleem Iudae,* nec tamen ad eum venerunt ipsi... Ad hoc au- « tem sunt interrogati Iudaei, ut demonstraretur eos non ad suam, « sed ad Gentium salutem et agnitionem testimonia divina por- « tare. Propter hoc enim illa gens regno suo pulsa est et di- « spersa per terras, ut eius fidei cuius inimici sunt, ubique te- « stes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, sacrificio, sacer- « dotio, ipsoque regno, nomen genusque custodiunt, ne permixti « gentibus sine discretione dispereant, et testimonium veritatis « amittant, velut Cain accipiente signum ut eum nullus occidat, « qui fratrem iustum invidus et superbus occidit... *In eis quippe « inimicis fidei christianae demonstratur Gentibus quomodo prophe- « tatus est Christus, ne forte cum vidissent tanta manifestatione « impleri prophetias, putarent easdem Scripturas a christianis esse « confictas, cum de Christo praedicta recitarentur, quae completa « cernuntur. Proferuntur ergo codices a Iudaeis, atque ita Deus « demonstrat nobis in inimicis nostris* ». Unde et remanserunt Iudaei relate ad nos, id quod fuerunt respectu magorum. Facti sunt tamquam lapides ad milliaria, viatoribus ambulantibus aliquid ostendentes, sed ipsi stolidi atque immobiles consistentes.

Verum apostolus non vult nos ignorare mysterium hoc, quia in fine mundi omnis Israel salvus fiet (1). Populus enim iste semper est Deo charissimus *propter patres* (2), et vere *responsum accepit a Spiritu Sancto* in persona maiorum suorum, *non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini.* Tertia igitur manifestatio nativitatis Christi, quae facta est ad senem Simeonem, prophetica fuit figura eius quod instante iam iudicio complebitur. Tunc Israel senio confectus veniet in Spiritu in templum, hoc est in veram Ecclesiam, et ablato velamine quod erat super cor eius, tamdiu expectatam suscipiet consolationem, ac dicet: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum, quod para-*

(1) Rom. XI, 25-32.
(2) Ibid., vers. 28.

sti... lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuae Israel.

Recte ergo S. Thomas, art. 6 huius quaestioni, ait: « Per « pastores significantur apostoli et alii credentes ex Iudaeis, qui- « bus primo manifestata est fides Christi. Secundo autem fides « Christi pervenit ad plenitudinem gentium, quae est praefigu- « rata per magos. Tertio autem perveniet ad plenitudinem Iudaeo- « rum, quae est praefigurata per iustos; unde et in templo Iu- « daeorum est eis Christus manifestatus ».

QUAEST. XXXVII.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM SERVATIS.

Deinde considerandum est de circumcisione Christi. Et quia circumcisio est quaedam professio legis observandae (Galat. V-3), simul quaerendum est de aliis legalibus circa puerum Iesum observatis.

THESIS XLVII.

Conveniens fuit ut Christus circumcideretur, et quadragesimo die in templo secundum consuetudinem legis praesentaretur.

Oportuit Christum circumcidi, quia ipse debuit secundum ritum mosaicum in mundo conversari. *Primo* propter exemplum, ut scilicet auctor esset hominibus observandi legem quae, novo testamento per mortem crucis nondum initiato, adhuc Iudaeos obligabat. *Secundo,* ut vetus testamentum approbaret, et factis ipsis ostenderet se non venisse solvere antiquam religionem, sed adimplere. *Tertio,* ut figurativas observantias suscipiendo, illas in seipso terminaret, ostendens quod ad seipsum erant ordinatae. *Quarto,* ut homines a servitute legis liberaret, secundum illud ad Gal. IV-4: *Misit Deus Filium suum... factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

Accedit quod circumcisio erat non solum protestatio fidei in Christum redemptorem de semine Abrahae nasciturum, verum

etiam remedium simul et nota originalis peccati in quo homo concipitur. Conveniebat ergo ut qui nos salvare venerat suscipiendo in se peccata nostra, externum etiam characterem ac veluti cauterium peccatoris nascendo reciperet, iuxta illud Is. LIII-6: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Unde Bernardus, Serm. 3 de circumc. Dom. n. 3: « Ipsa ergo die (nativi-« tatis) minoratus est paulo minus ab angelis, et habitu inventus « ut homo; hodie vero mirabilius aliquid audio. Iam minoratus « est multo minus ab angelis, qui non solum formam hominis, « sed formam habet peccatoris, et infigitur velut quodam cauterio « latronis. Quid est enim circumcisio nisi peccati indicium? » etc.

Denique attendebatur in circumcisione figura incorruptionis quam nobis attulit Christus, quaeque inchoatur in praesenti per repressionem concupiscentiae, et consummatur in futuro per beatam immortalitatem. Hinc considerat apostolus Rom. II-19. eos qui in abscondito Iudaei sunt, corde scilicet et spiritu circumcisi, quorum omnium constat Christum esse ducem et exemplar.

De oblatione in templo adhuc manifestior est ratio. Lex quam sic refert Lucas: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur,* continetur in Exod. XIII-2, et Numer. XVIII, 15-17. In qua quidem lege tria ad rem notanda occurrunt.

Primo, verbis legis illi soli ad litteram comprehendebantur, qui nascuntur modo ordinario: *Omne masculinum,* inquit, *adaperiens vulvam.* Secundo, in hoc quod dicitur *sanctum Domino vocabitur,* intelligi debet segregatio et destinatio ad immolationem. Quo sensu dixit postea Christus, Ioan. XVII-19: *Pro eis ego sanctifico meipsum,* id est, hostiam me offero. Quo etiam sensu, legitur Ierem. XII-13: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* Tertio denique, omnia primogenita mascula distinguebantur in munda et immunda. Immunda, inter quae recensebantur et homines, debebant pretio argenti redimi; munda vero, eaque sola, irrevocabiliter devovebantur ad sacrificium, ut habetur Num. XVIII, 15-17.

Quae si diligenter consideres, videbis ibi annuntiatam substitutionem in ara crucis futuram, innocentis pro reis; sancti, impolluti, segregati a peccatoribus, pro immundis et pollutis

dicente apostolo: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (i. e. hostiam pro peccato) *Deus fecit.* Unus enim inter cunctos fuit de facto *sanctus Domino,* seu in verum ac proprium sacrificium oblatus; ille scilicet qui ingrediens mundum dicit: *Hostiam et oblationem noluisti, tunc dixi, ecce venio.* Et ille unus inter omnes primogenitos Israel, utpote natus sine apertura vulvae, a communi huius sanctificationis obligatione eximebatur. Unde ipsum lex singulariter respiciebat, et singulariter etiam excipiebat; singulariter excipiebat a debito, singulariter respiciebat in facto. Necessario igitur oblatus est in templo puer, ut secundum legem sanctificaretur Domino, id est, ad mortem sacram devoveretur; devoveretur, inquam, non sicut alii quadam fictione iuris, sed omnino in rei veritate, sicut animal mundum quod Numer. XVIII-17, manebat ad aras destinatum.

Demum, circa purificationem Beatae Mariae similiter dicendum quod dispositio Levitici (XII-2), Virginem non attingebat. Merito tamen legalem observantiam implevit, tum quia in foro externo inter alias puerperas censebatur, tum quia, Christo existente sub lege, non oportuit matrem se a legis iugo subtrahere.

QUAEST. XXXVIII-XXXIX.

DE BAPTIZATIONE CHRISTI.

Ultimo considerandum est de baptismo in Iordane, in quo initiatum est publicum Christi ministerium.

Baptismus Ioannis fuit quaedam professio poenitentiae praeparatoria ad spirituale regnum Messiae, cuius revelatio iam instabat. Convenienter autem Christus ipse hunc baptismum suscipere voluit, ut qui caeteris, non verbo solum, sed et exemplo anteibat, regnum coelorum iamiam praedicaturus, exteriorem eius et communem initiationem non recusaret.

Sed bene etiam ex tunc toti populo incepit manifestari tamquam ipse Messias cuius regnum expectabatur, cum « Iesu baptizato et orante, apertum est coelum, et descendit Spiritus Sanctus « corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de coelo facta « est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi ».

Insuper dicendum quod in baptismo Christi dedicatum est et praefiguratum baptisma Novae Legis. Ex contactu enim sanctissi mae carnis fuit deputata aqua ad usum spiritualis regenerationis. Praeterea manifestata est tota Trinitas in cuius nomine baptizamur: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus Sanctus in columba. Ultimo apparuit effectus sacramenti in aperitione coeli et descensu Spiritus Sancti, ut late explicat S. Thomas, q. 38, art. 5 et 6.

Nota demum analogiam huius mysterii cum transfiguratione. Nam sicut in baptismo ubi declaratum est mysterium primae regenerationis, ostensa est operatio totius Trinitatis, pariter etiam ostensa est in transfiguratione quae est sacramentum secundae regenerationis. Sed Spiritus Sanctus tunc in nube clara apparuit, hic autem in columba; quia sicut in baptismo dat innocentiam quae per simplicitatem columbae designatur, ita in resurrectione dabit electis suis claritatem gloriae et refrigerium ab omni malo, quae designantur in nube lucida.

Hactenus de ingressu Christi in mundum, secundum quod de Matre Virgine incarnatum est Dei Verbum, et ad nos venit plenum gratiae et veritatis. In quo animadvertes, cum quanta simplicitate, quanta decentia, quanto demum decoro, proponatur in evangelio Filius Dei descendens in terras, factus homo; et hinc accipies signum credibilitatis pro doctrina fidei circa hoc mysterium. Proponere enim decenter et verosimiliter ipsum verum Deum de coelis descendentem, de homine nascentem, inter homines adolescentem, conversantem ac viventem (idque non in abstracto theoriae, verum sub historiae coloribus), omnem humanae fictionis possibilitatem transcendebat. Quid enim in hoc genere valeat imaginatio popularis et fictio humana, satis ostendunt fabulae veteres de diis et deabus, ostendunt adhuc multo evidentius evangelia apocrypha, quorum auctores, etsi non illitterati, etsi habentes in evangeliis veris praeexsistens exemplar, in iis tamen quae addiderunt de suo, non potuerunt non continuo impingere in scopulum puerilitatis et manifestae indecentiae. Impossibile igitur est ut historia evangelica, Matth. I-II, et Luc. I-II, fuerit inventa humanitus; impossibile est ut obiectum eius non sit verus Deus vere factus homo.

CAPUT SECUNDUM

Quaest. XL-XLV.

DE HIS QUAE PERTINENT AD PROGRESSUM VITAE CHRISTI IN HOC MUNDO.

Consequenter agendum est de his quae per Deum incarnatum acta sunt, ab eius baptismo in Iordane usque ad passionem in cruce: quo quidem temporis spatio concluditur publicum ministerium Christi apud populum Iudaeorum. Considerat autem S. Thomas, *primo* quidem modum conversationis Filii Dei inter homines (**Quaest. 40**); *secundo,* tentationem eius in deserto (**Quaest. 41**); *tertio,* praedicationem (**Quaest. 42**); *ultimo* miracula, tam in generali quam in particulari (Qq. 43-45).

QUAEST. XL-LII.

DE CONVERSATIONE, TENTATIONE, ET DOCTRINA CHRISTI.

§ 1.

Quoad modum conversationis generaliter observa, Christum non solitariam, sed socialem vitam agere debuisse, prout exigebat incarnationis finis et ratio. Hinc, *in iis quae per se sunt ad perfectionem indifferentia,* oportuit ipsum communi modo se habere, cum sit convenientissimum ut is qui cum aliquibus conversatur, sese eis in usu vivendi conformet, iuxta illud apostoli: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.*

Nec est in praesenti praetereunda differentia Christum inter et praecursorem, quam ipse Christus, Matth. XI-18, signat dicens: « *Venit Ioannes neque manducans neque bibens,* et dicunt: « daemonium habet. *Venit Filius hominis manducans et bibens,* et « dicunt: ecce homo vorax et potator vini ». Huius porro differentiae in exteriori genere vitae triplex potissimum ratio fuit.

Prima, quia Ioanni fuerat divinitus demandatum munus pa-

randi Christo viam, et digito demonstrandi eum, « quem scripsit « Moyses in Lege, et Prophetae » (1). Quapropter non debuit ipse Ioannes computari inter discipulos Christi, nec eumdem ac Christus, servare tenorem vitae. Sed contra, oportuit ipsum habere proprios discipulos, propriamque veluti disciplinam, ut posset aemulus credi, ac per hoc, testimonio eius tamquam evidenter depurato ab omni motivo proprii interesse, maior accederet auctoritas. « Quanta dicit de Christo, inquit Augustinus, serm. 293, « n. 6, quam praeclara! quam excelsa! quam digna! si tamen de « illo aliquid ab aliquo digne dicitur. Et tamen non ambulat inter « discipulos Domini, non eum secutus est, ut Petrus, ut Andreas, « ut caeteri. Sed discipulos sibi ipse etiam congregavit, et con- « stituto hic licet Domino cum discipulis suis, habebat discipulos « et Ioannes... Hoc erat procul dubio necessarium praecursori « fideli, ab eo Christum praedicari, *qui posset aemulus credi...* « Intende hoc ipsum. Perhibebant Domino testimonium, verbi « gratia, Petrus, Andreas, Ioannes et caeteri, cum diceretur eis: « laudatis quem sequimini, praedicatis cui adhaeretis. Veniat lu- « cerna confundens inimicos, colligat discipulos. Habet Christus, « habet et Ioannes. Baptizat Christus, baptizat et Ioannes; et « venitur ad Ioannem, et dicitur ei: *Ille cui testimonium perhibuisti,* « *ecce baptizat, et omnes veniunt ad eum,* ut quasi aemulus invi- « diae de Christo aliquid mali loqueretur. Sed ibi lucerna ardet « tutius... *Iam,* inquit, *dixi vobis quia ego non sum Christus.* Tunc « illi credentes Christum admirabantur, tunc vero inimici confun- « debantur, quando quodammodo compellebatur praedicare qui « credi poterat invidere ». Cum autem ad hunc ipsum scopum maxime conferret diversum exterioris conversationis genus, bene elucet in Ioanne summa vitae austeritas, opposita communi vivendi modo quo Christus utebatur.

Praeterea, *Ioannes signum fecit nullum,* ut dicitur Ioan. X-41: et recte quidem, quia nusquam sigillum principis committitur ei qui non est minister eius. Sed miraculum erat proprium sigillum Christi, extra cuius curiam in foro externo propter rationes iam

(1) Ioan. I-45.

dictas Ioannes versabatur. Necesse igitur fuit ut opinionem populorum suo muneri necessariam sibi conciliaret solo miraculo poenitentiae. Ideo *erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel* (1), *vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos eius, et locustas et mel sylvestre edebat* (2). Ex deserto autem veniens in omnem regionem Iordanis, apparuit coram omnibus in spiritu et virtute Eliae. Unde postea, interrogante Christo an baptismus Ioannis de coelo esset, an ex hominibus: *Scribae cogitabant intra se dicentes: Quia si dixerimus, de coelo, dicet: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs universa lapidabit nos; certi sunt enim Ioannem prophetam esse* (3).

Denique non erat Ioannes exemplar humano generi, omnibusque ac singulis hominum categoriis propositum. Sed Christus qui reliquit nobis exemplum ut sequamur vestigia eius, debuit in exteriori genere vitae eiusmodi temperamentum adhibere, quod omnibus conveniret. Quanquam anachoreticae etiam austeritatis regulam ipsemet ostenderit, quando fuit « in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana, eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei » (4).

§ 2.

Quoad tentationem in deserto, dicendum quod ex parte Christi permittentis se tentari, ordinata fuit ad salutem exemplumque nostrum; ex parte vero daemonis tentantis facta est experimenti gratia. Cum enim Satanas de Christi divinitate suspicionem haberet quam maximam, (praesertim postquam cognovit ea quae ad ripas Iordanis, baptizato Domino, acciderant), rem voluit explorare, ut si quacumque ratione Christum suis suggestionibus consentientem inveniret, certitudinem hinc acquireret, nihil fuisse quod timuerat.

(1) Luc. I-80.
(2) Marc. I-7.
(3) Luc. XX-5
(4) Marc. I-13.

Servavit autem tentandi ordinem quem alias observare solet, a levioribus ad graviora procedens. Nam primo tentavit Christum de eo quod appetunt et spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturae per cibum: non quod uti necessariis ad alimentationem corporis sit peccatum, sed quia ex desiderio huius sustentationis inordinate miraculum attentare, utique peccatum reputatur. Secundo processit ad id in quo spirituales viri quandoque deficiunt, dum aliqua ad vanam gloriam operantur: *Si Filius Dei es,* inquit, *mitte te deorsum.* Denique, cum adhuc dubitaret qua de causa suis suggestionibus resisteret Christus, an forte ex impotentia faciendi, vel etiam ex contemptu tam inutilium operum, perduxit tentationem ad summum: « Ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis, et ait « illi: tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, « quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa: tu ergo si adora- « veris coram me, erunt tua omnia ». Quibus in verbis totus daemon continetur: vanus, mendax, histrio, blaterator, et princeps superbiae.

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

§ 3.

Circa doctrinam Christi, quod ad praesentem considerationem attinet, solum occurrit declarandus ordo quem Dominus in vita sua constanter observavit, solis Iudaeis praedicando, iuxta illud Matth. XV-24: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel,* et infra, X-5, quando apostoli recens electi per castella Galilaeae mittebantur: *In viam gentium,* inquit, *ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel.* Quod igitur conveniens fuerit praedicationem Christi, tam per ipsum quam per apostolos, a principio solis Iudaeis exhiberi, duabus potissimum rationibus ostendit S. Thomas, Quaest. 42, a. 1, in corpore.

Prima est quia oportebat ut Christus ostenderet impleri per suum adventum promissiones antiquitus factas Iudaeis, non autem Gentilibus. Unde apostolus dicit ad Rom. XV-8: *Dico Chri-*

stum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, id est, apostolum et praedicatorem Iudaeorum, *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum.* Alia item ratio fuit, quia quae a Deo sunt, ordinata sunt. Hoc autem debitus ordo exigebat, ut Iudaeis qui Deo erant propinquiores per fidem et veram religionem, prius doctrina Christi proponeretur, ac per eos deinde transmitteretur ad Gentes, « sicut etiam in coelesti hierarchia per superiores « angelos ad inferiores divinae illuminationes deveniunt ». Unde dicitur Isai. LXVI-19: *Mittam ex eis qui salvati fuerint,* scilicet ex Iudaeis, *ad gentes, et annuntiabunt gloriam meam gentibus.* Hinc etiam post adventum Spiritus Sancti commissa est Petro tamquam apostolorum principi, specialis cura perducendi Iudaeos ad fidem: *Creditum est mihi,* inquit Paulus ad Gal. II-7, *evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.*

Cave ergo ne sis exaggeratus antisemita. Contradiceres enim apostolo, cum Iudaeos vocat bonam arborem cui nos Gentiles tamquam oleaster inserti sumus, socii effecti radicis ac pinguedinis olivae. Quod si nunc naturales rami a trunco excisi iacent, rursus suae olivae inserentur. « Sine poenitentia enim sunt dona « et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis « Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incre- « dulitatem illorum: ita et isti nunc non crediderunt in vestram « misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur... O alti- « tudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incompre- « hensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! ».

Et de modo conversationis, de tentatione, de doctrina Christi, hactenus. Sequitur consideratio de miraculis eius.

QUAEST. XLIII-XLV.

DE MIRACULIS CHRISTI.

« Deinde considerandum est de miraculis a Christo factis. « Et primo in generali, secundo in speciali de singulis miracu- « lorum generibus, tertio in particulari de transfiguratione ipsius ».

Miracula ista facta sunt a Christo circa omne genus creaturarum. Circa spirituales substantias seu daemones quos undique, praeludens exorcismo orbis, verbo et imperio fugabat. Circa homines in anima et corpore, vel convertendo corda, vel suscitando mortuos, vel sanando omnem languorem in populo. Denique circa res irrationales, sicut cum ventis imperavit et mari, panes multiplicavit, arborem infructuosam arefecit, etc. Visum est autem totam disputationem reducere ad terminos articuli quarti Quaest. 43: *Utrum miracula per Christum facta sufficienter eius divinitatem ostenderint,* adaptando quae dicenda sunt ad praesentem statum controversiae cum coaevis fidei inimicis.

§ 1.

Quod veritatem necnon et vim probantem miraculorum Christi luculenter demonstrat nobis Deus in inimicis nostris.

Sapienter notavit Melchior Cano, de loc. l. 2, c. 2, omnino nos meminisse debere « id quod in proverbii consuetudinem ve-
« nit: contra negantem principia, quoniam frustra id fiat, non
« esse disputandum. Accedit quod paradoxa cum communi sensu
« pugnantia asserunt, quae si vis argumentando refellere, res
« minime dubias argumentando dubias facis. Cum enim illa quae
« in syllogismo antecedunt, ut fidem aliquam faciant, certiora no-
« tioraque esse oporteat his quae ex antecedentibus consequuntur,
« verendum sane est, quando eorum placita coarguimus, ne res
« maxime absurdas minore evidentia refellentes, peccatum hoc
« ratiocinationis vitiosae ineptaeque peccemus ».

Et hoc profecto verendum maxime est, quando rationalistica amentia circa Christi miracula confutanda venit. Hinc, ut opinor, melior confutationis ratio in ipsorum fundamentorum quibus adversarii nituntur, *fidelissima relatione* consistit. Sic quippe evidentius demonstratur nobis quantus sit ille fulgor veritatis quem doctissimi negatores effugere non valent, nisi tot voluntariis tenebris sese contegendo. Accipe igitur paucis expositas definitivas

scientiae, ut aiunt, *criticae* conclusiones, certamque ac ratam in qua conquiescit sententiam. Attende processum, pondera argumenta, demum iudica et conclude.

1. **Processus scientiae criticae hisce quinque capitibus continetur.**

Primo, « Scientia critica non admittit ullo in casu miraculorum exsistentiam » (1).

Secundo, quidquid tentaverint Paulus, Bolten, et caeteri, qui primi omnium criticam artem invenerunt, nequaquam possibile est ut facta quae in evangeliis leguntur, ad naturae normam explicentur: « Tempus et operam perdunt qui volunt reducere intra « limites naturalium eventuum historias quales illae sunt de « stella magorum, de transfiguratione, de multiplicatione panum... « etc. » (2).

Tertio: Nihil ergo criticae scientiae reliquum est quam ut supernaturalia facta, quibus evangelia scatent, loco mythorum habeat: « Cum nulla sit possibilitas admittendi realitatem factorum « legibus naturae adeo repugnantium, pro poeticis fictionibus su- « mantur oportet » (3). Et supra, n. XXIII: Permittemus evan- « geliis sua miracula, sed ea conditione ut pro puris mythis ha- « beantur ».

Sed quarto, quia extra omnem fidem est, testes oculatos mythicam ac fabulosam historiam herois quocum intime erant conversati, de integro confinxisse quando recens adhuc erat factorum memoria: hinc cogitur critica scientia ponere temporum intervalla oculatos testes inter et definitivam evangeliorum redactionem. Imo cogitur definitivam hanc formam, non alicui scriptori individuo, sed collectivae ac populari elaborationi adscribere. « Ex ratione suae compositionis, ait Strauss l. c., et ex « habitudine quam inter se habent, evangelia sese produnt tam- « quam scripta successive elucubrata, quae non facta historica

(1) Strauss, Nova vita Iesu, Introd. n. XXIII.
(2) Ibid. n. XXV.
(3) Ibid.

« sed conceptiones, tendentias, ac praedominantes opiniones epo-
« chae qua in lucem sunt edita, fideliter referunt » (1).

Quapropter quinto, ad discernendum quid in libris N. T., quales ad nos usque pervenerunt, historicum valorem habeat, quid vero non, criticae scientiae praesidio erunt, praeter inconcussa de absoluta repugnantia miraculi principia, criteria illa intrinseca quae alias sunt in usu: « In narrationibus evangelicis mi-
« raculum est elementum peregrinum, et historiae αντιπαθητικον.
« Notio vero mythi est instrumentum quod potest eliminari,
« quodque possibilem reddit historicam vitae Iesu expositionem...
« Sed et praeter eliminationem miraculi per mythum, crisis evan-
« gelica utetur omnibus mediis quae crisis historica in suis ope-
« rationibus alias adhibere solet, etc. » (2). Addit demum nihil opus esse ut de his mediis specialiter disseratur. Lepide tamen demonstravit quidam, quomodo operando in vitam ipsius Strauss secundum criteria ab eo postmodum in usum inducta, invenitur praedictus Strauss propter plurimas maximeque notabiles anti-

(1) Consonat fidelissimus pedissequus Ernestus Renan, suo modo vestiens id quod invenit apud magistrum. Ait enim (*Vie de Jésus,* introd. pagg. XXI, seq.), non esse dubium ullum quin cito conscripti sint sermones Iesu cum praecipuis actis vitae eius. « Verum, huius-
« modi scriptis parum momenti in initio tribuebatur. Ratio, quia finem
« mundi appropinquare et iam instare credebant; unde non curabant
« transmittere ad posteritatem res memorabiles. Quid igitur rei ageba-
« tur? Unicus erat scopus conservandi in corde vivam imaginem illius
« quem sperabant se mox visuros in nubibus. Hinc minimam auctori-
« tatem evangelicis textibus per 150 annos concessam fuisse necesse
« est. Nemo non licitum existimabat inserere additiones varias, sus
« deque vertere ordinem, complere unum libellum ex altero. *Le pauvre*
« *homme qui n'a qu'un livre, veut qu'il contienne tout ce qui lui va au*
« *cœur!* Sibi mutuo commodabant Christiani dictos libellos; unusquis-
« que ad marginem transcribebat verba vel parabolas quas alibi inve-
« niebat, et quae sibi conveniebant ». Nec veretur auctor, pudendi sui mendacii apprime conscius, concludere: *La plus belle chose du monde* (i. e. evangelium), *est ainsi sortie d'une élaboration obscure et complètement populaire.*

(2) Strauss, l. c. n. XXIII et XXVI.

logias, nunquam exstitisse in natura rerum, sed esse simplicem mythum et allegoricam personificationem saeculi sui (1).

Hucusque ergo modus procedendi. Succedunt argumenta quibus demonstratur principium in quo tota illa scientifica fabrica fundatur.

2. **Pro fundamentali principio argumenta demonstrativa.** — Impossibile est ut miraculi exsistentiam unquam admittat Scientia critica, **primo quia,** « cum orthodoxia christiana « adiurat Scientiam ut ius civitatis miraculo concedat in solo « christianismo, alibi vero nusquam: Scientia legi suae generali « renuntiare nequit ut huic particulari exigentiae faciat satis. « Respondet itaque Scientia: Vel admittam possibilitatem miraculi « in historia omnium religionum, vel nullibi recipiam » (2).

Impossibile est ut miraculi exsistentiam unquam admittat Scientia critica, **secundo quia** « generalis possibilitas miraculi « nihil aliud esset quam ipsa negatio historiae. Si enim ad cri- « sim historicam pertinet non solum discernere facta quae reapse « contigerunt, sed etiam et praesertim exponere qualiter eventus « alii ex aliis processerunt: oporteret ipsam nobilissimo suo mu- « neri renuntiare si semel miraculo eum concederet locum, qui « ordinem rumperet et concatenationem effectuum ad causas vel « causarum ad effectus » (3).

Impossibile est ut miraculi exsistentiam unquam admittat Scientia critica, **tertio quia,** « quoties ipse theista assurgit ad « normam verae philosophiae, apprime sentit repugnantiam mi- « raculi. Non enim potest non agnoscere quod si daretur Deus « identidem miraculum efficiens, id est, modo exercens unam e « suis potentiis, modo vero ab opere quiescens: huiusmodi Deus « foret ens subiectum tempori, non autem ipsum absolutum. Videt « igitur concipiendam esse actionem divinam veluti actum aeter- « num, simplicem, et identicum secundum se, tametsi hominibus « sese manifestet per modum effectuum successivorum et ab in-

(1) Cf. Tholuck et Valroger, *Crédibilité de l'histoire évangélique,* ad calcem: *Une leçon au collège de France en 6547.*

(2) Strauss, n. XXIV.

(3) Ibid.

« vicem independentium. Et hac profecto ratione Leibnitzius con-
« siderabat miraculum veluti germen ab initio creationis divi-
« nitus in mundo depositum, quod iuxta proprias leges natura-
« liter se evolvit, seseque suo tempore manifestat sine alio ex-
« traordinario Dei interventu. Hoc tamen temperamentum displi-
« cuit theologis... Et ideo Wolf rotunde declarat quod omnis mi-
« raculosus Dei interventus esset quaedam creationis correctio,
« argumentum imperfectionis in opere divino, ac per consequens
« iniuria divinae Sapientiae gratis illata » (1).

Impossibile est ut miraculi exsistentiam unquam admittat Scientia critica, **quarto quia** « ex parte philosophiae scepticae « et criticae, analysis quam proponit Hume, tantam habet vim « convictionis, ut quaestionem penitus exhauriat ». Affertur deinde argumentum desumptum ex hoc quod cum de miraculo agitur, contra testimonium viri quantumvis probi semper praevalet certitudo de impossibilitate rei attestatae. Unde sequitur conclusio: « Cum vix ac ne vix quidem impugnari possit huiusmodi ar-
« gumentatio, malunt illam eludere attenuando naturam mi-
« raculi » (2).

Egregie quidem. Sed praestat demum audire quibus fundamentis innititur doctrina, qua parte positiva et affirmans est.

3. **Pro explicatione mythica rationes convincentes.** — Critica Scientia facile admittit hypothesim mythorum in evangelio.

Nam, « formatio mythorum primitivorum christianismi con-
« cordat cum iis quae de aliis religionibus compertum habemus.
« Et in hoc consistit progressus hisce nostris diebus per Scien-
« tiam effectus, ut scilicet intelligatur mythum primitivum non
« esse quamdam fictionem individualem praevolitam et praeme-
« ditatam, sed fetum aliquem conscientiae generalis unius populi
« vel unius sectae religiosae. Mythus, ait Welcker, germinat in
« mente sicut semen in terra... Norunt quod quatuor e discipulis
« Christi piscatores erant, et quod Iesus iocando in verbis, eos
« fecit piscatores hominum. Comparatione porro instituta inter

(1) Strauss, ibid.
(2) Ibid.

« piscationem novam et antiquam quae vix necessaria vitae sup-
« peditabat, nova piscatio inventa est magis proficua, et ut talis
« fuit a multis celebrata. Postmodum transeundo de ore in os,
« forsitan vulgare factum transformatum fuit in piscationem mi-
« raculosam lacus Genesareth. Similiter ea quae ad resurrectio-
« nem Iesu attinent, primo intuitu videntur esse vel documenta
« vere historica, vel mendacia ex condicto proposita. Nullo tamen
« modo. Redeamus ad initia christianismi. In decursu contro-
« versiae unus aut alter Iudaeus dicit: Quid mirum si sepulcrum
« inventum est vacuum? Corpus tuleratis. Tuleramus corpus! re-
« spondet Christianus; ecqui potuissemus? nonne apposueratis
« custodes ad ostium monumenti? Et Christianus, haec dicendo,
« existimabat se verum dicere. Alter superveniens, modo magis
« affirmativo asserebat adfuisse custodiam; tum inveniebat apud
« Danielem sigillum appositum super os laci leonum... Forsitan,
« iterum aiebat Iudaeus quispiam, ipse vobis apparuit, sed sicut
« vacuum et inane phantasma. Sicut phantasma! respondebat
« Christianus, nonne retinebat cicatrices clavorum? nonne illas
« nobis ostendit? Alter narrator adiiciebat plagas fuisse etiam a
« discipulis palpatas; atque hoc tandem modo mille eiusdem ge-
« neris narrationes bona fide prodire potuerunt, quin unciam
« continerent veritatis historicae » (1).

O Scientia Critica, quam puro lumine tuorum collustras mentes electorum! Si modo dociles invenias animos, quibus loco rationum, sufficiat castus amor tui: quos rapis in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui!

§ 2.

Quod argumenta quibus ex ipsa sacri textus relatione ostensionem divinitatis in Christi miraculis elevare conantur, vana sunt et inania.

Vere igitur realitatem et vim probantem evangelicorum miraculorum demonstrat nobis Deus in inimicis nostris. Vim probantem quidem, cum ipsi non congerant tot abnormia contra

(1) Strauss, Nova vita Iesu, Introd., n. XXV.

valorem historicum librorum N. T., nisi quia illo admisso, nullum vident medium evadendi. Materialem etiam factorum veritatem, dum deficientibus machinis suis, vel inviti ostendunt quanta firmitas intus exstructa sit, id est, quam solide in ratione testimonii etiam pure humani consurgat evangelii auctoritas. Sed videndum nunc est, quaenam veluti *ad hominem* ex ipso evangelico textu nobis opponunt.

1. « *Sunt loca in evangelio* (Matth. XVI-10, etc.), *ubi districte* « *prohibet Iesus ne apostoli cuiquam dicant ipsum esse Christum.* « *Idem silentium iniungit daemoniis* (Marc. I-34, Luc. IV-41). *Ergo* « *nec suae missioni, nec suis ipse miraculis credebat* ».

Respondeo nullam esse consequentiam. Et primo, quod ad daemonium attinet, solum sequitur Christum recusasse testimonium a patre mendacii. Nam quando adversariis ex ipso textu evangelii argumenta sumere placet, aequum est ut patiantur responsionem dari ex evangelii principiis. Porro daemon, si daemon est, totus est positus in maligno, decipere intendens et nocere; nec unquam veritatem sponte sua dicit, nisi quia existimat veritatem ore suo publicatam pro mendacio haberi posse, vel certe quia ex inopportuna et inordinata veritatis manifestatione aliquod emolumentum sibi proventurum sperat. Stultum igitur est opponere silentium iniunctum daemoniis.

Quoad apostolos, duo sunt animadvertenda. Primum est quod officium praedicandi et indigitandi Messiam antequam a mortuis resurrexisset Filius hominis, non apostolis, sed praecursori fuerat divinitus commissum (1). Vivente enim Christo, potuisset esse suspectum discipulorum testimonium velut ex quadam humana ambitione procedens. Alterum est quod apostoli ante resurrectionem Christi et adventum Spiritus Sancti minime idonei, imo maxime impares erant veritati incarnationis praedicandae, tum quia a praeiudiciis vulgi circa Messiam non omnino immunes erant (2); tum etiam quia ex zelo inconsiderato ordinem

(1) « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit « in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine ». Ioan. 1-6.

(2) Act. 1-6; Matth. XVI-22, etc.

sapienter institutum in opportuna dispensatione difficillimi et altissimi mysterii perturbassent. Non mirum igitur est si etiam post mortem Ioannis Baptistae, revelationem sui sibi ipsi reservatam esse voluit Christus; apostolos vero quaquaversus miserit ut solum annuntiarent appropinquare regnum coelorum ([1]).

2. « *Omnia fere miracula quae Iesus putavit se facere, viden-* « *tur fuisse miracula curationum. Porro ars medica eo tempore* « *erat in Iudaea id quod nostris adhuc diebus in toto Oriente est,* « *scilicet minime scientifica, et individuali inspirationi prorsus com-* « *missa. In hoc igitur statu cognitionum, praesentia viri exquisiti* « *qui suaviter agit cum aegroto, eique dat securitatem sanitatis mox* « *recuperandae, est saepe remedium decisivum. Quis enim auderet* « *dicere quod in multis casibus, extra laesiones organicas proprie* « *dictas, contactus personae exquisitae non aequivaleat omnibus phar-* « *maceuticae remediis?* » ([2]).

Risum teneatis amici! Suadendum profecto est exquisitissimis adversariis ut modum praedictae medicationis pertentent, etiam in Oriente quem saepe peragrant, proprioque experimento agnoscant quid in hoc genere valeat *contactus personae exquisitae!* Porro eadem confutatione eodemque risu digna est explicatio quam alii proponere ausi sunt, aequiparando miracula Christi cum phaenomenis in magnetismo seu mesmerismo observatis. Dato enim quod phaenomena huiusmodi absque invisibilium agentium interventu sufficienter explicari queant, (et hoc tamen minime concedendum est): quaenam non dico initialis, sed vel remotissima similitudo inveniri potest inter illa qualiacumque mira quae a delirantibus in summa amentia fiunt, et pelagus immensum omnis generis signorum quae a Domino vivente in carne, tanta celebritate, tanta efficacia, tanta demum salubritate, per tres annos continuos palam prodierunt? Et vide in phaenomenis magnetismi omnes characteres qui recensentur in praestigiis daemonum: inefficaciam scilicet virtutis, inutilitatem et nocivitatem signorum, denique turpitudinem quoad modum operandi. In veris

([1]) Matth. X-6.

([2]) Renan, *Vie de Jésus,* chap. 16.

autem Christi miraculis summa apparebat virtutis efficacia, summa item signorum utilitas ac beneficentia, summa demum honestas atque sanctitas in modo ac fine operis.

3. « *Impossibile est scire an circumstantiae conatuum, fremi-* « *tuum, aliaque circulatorum gesticulationibus similia, vere histo-* « *rica sint, an non potius additiones scriptorum qui theurgiae sive* « *magiae principiis valde praeoccupabantur, et sub hoc respectu* « *modernis spiritistis videntur omnino assimilandi* » (1). Fit autem allusio ad Ioan. XI, 33-43; Marc. VII, 32-35, etc.

Respondeo, has circumstantias magis magisque ostendere habitudinem evangelicorum miraculorum ad finem qui solus est Deo dignus, videlicet ad finem spiritualem per informationem morum et instructionem intellectus de reconditis mysteriis gratiae. Miracula enim Christi fuerunt non solum opera supra naturam facta, verum etiam mirae adumbrationes caelestium sacramentorum, et secundum hoc respondebant symbolicis actionibus prophetarum. Sed actiones istae materialiter inspectae mere naturales erant, et solum ad significandum adhibebantur. At miracula Christi erant in seipsis miracula, habentia rationem sui sufficientem independenter ab omni significatione, et simul quoad modum quo fiebant, prae se ferebant imaginem et typum rerum spiritualium. Quippe, providet Deus suis creaturis secundum proprium modum naturae earumdem. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet; et ideo in Sacra Scriptura convenienter traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium; impossibile enim est, ut Dionysius dicit, « aliter nobis lucere divinum « radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum ». Haec igitur principia, si quis post Augustinum (2), miraculis evan-

(1) Renan, l. c.

(2) Non sufficit intueri in miraculis Christi quod sunt praeter et supra omnes naturae leges. « Interrogemus ipsa miracula, inquit Au- « gustinus, Tract. 24 in Ioan. n. 2, quid nobis loquantur de Christo; « habent enim si intelligantur linguam suam. Nam quia ipse Christus « Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est... Vidimus, « spectavimus magnum quiddam et omnino divinum, quod fieri nisi a

gelicis, ut par est applicuerit, videbit obiectionis fundamentum verti in veritatis argumentum. Spiritualis enim salvator advenerat Christus, qui nos ad supernaturalia revocaret, et de mysteriis regni coelorum nos omni modo instrueret. Eodem etiam redit quod fidem ab iis quos sanabat, saepe praeexegit, ut scilicet sanatio corporis typus esset sanationis animae, intelligerentque homines, nihil sibi profuturam redemptionem nisi fidem conciperent, quae salutis aeternae radix est et fundamentum (1).

4. « *Res vere singularis, et specie tenus inexplicabilis, in hoc* « *est, quod solet Iesus intendere miraculis suis clam faciendis;* « *itemque in hoc quod iis quos sanat, summopere commendat ut* « *nemini dicant* » etc. (2).

Respondeo: prima adversarii assertio purum mendacium est. Constat enim, longe maximam partem evangelicorum miraculorum in maximo publicitatis lumine fuisse patrata. Constat insuper, Christum semper redarguisse inimicos palam appellando ad sua opera, tamquam ad signa quae testimonium perhiberent de se. Sed praeter illa miracula quae ideo paucos habuerunt testes, quia sic adiuncta ferebant, vix duo aut tria sunt in quibus expresso consilio, multitudinis praesentiam evitavit Christus.

Et primo quidem, quod suscitaturus filiam Iairi, turbam tu-

« Deo non possit; laudavimus de facto factorem. Sed quemadmodum « si litteras pulchras alicubi inspiceremus. non nobis sufficeret laudare « scriptoris articulum, quoniam eas pariles, aequales, decorasque fecit, « nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit: ita factum hoc « qui tantum inspicit, delectatur pulchritudine facti ut admiretur artifi- « cem; qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, « aliter videntur litterae. Picturam cum videris, hoc est totum vidisse; « litteras cum videris, non hoc est totum, quoniam commoneris et le- « gere. Etenim dicis cum videris litteras, si forte non eas nosti legere: « Quid putamus esse quod hic scriptum est? Interrogas quid sit, cum « iam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, a quo quaeris agno- « scere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter « apices videtis? Sed non similiter signa cognoscitis ».

(1) Cf. omnino egregium opusculum Card. Wiseman, *Mélanges religieux et littéraires. Les miracles du N. T.*

(2) Renan, l. c.

multuantem eiecerit, et solum admiserit tres discipulos cum parentibus puellae, hoc pertinet omnino ad mysterium in hoc miraculo significatum. « Tres mortuos, inquit Augustinus, Serm. 98, « n. 3-6, invenimus a Domino resuscitatos visibiliter, millia in- « visibiliter... Videamus ergo *quid nos discere voluit in tribus* « *mortuis quos suscitavit...* Ista tria genera mortuorum sunt tria « genera peccatorum quod hodiedum suscitat Christus. Illa enim « mortua filia archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de « secretis parietibus elata in publicum, ibi intus suscitata est, « viva parentibus reddita. Iste autem, (filius viduae Naim), iam « quidem non erat in domo, sed tamen nondum in sepulcro, pa- « rietibus elatus erat, terrae mandatus non erat. Qui suscitavit « mortuam nondum elatam, suscitavit mortuum iam elatum, non- « dum sepultum. Tertium restabat, ut et sepultum suscitaret, et « hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo qui peccatum intus in corde « habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est « aliqua concupiscentia...; nondum accessit corpore, consensit in « corde. Et, ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se expe- « riuntur, aliquando audito verbo Dei tamquam Domino dicente « *surge,* condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in « salutem atque iustitiam. *Surgit mortuus in domo, reviviscit cor* « *in cogitationis secreto; facta est ista resurrectio animae mortuae* « *intus, intra latebras conscientiae tamquam intra domesticos pa-* « *rietes.* Alii post consensum eunt in factum, tamquam efferentes « mortuum, ut quod latebat in secreto appareat in publico. Num- « quid iam isti qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne « et illi iuveni dictum est: *tibi dico, surge?...* Qui autem faciendo « quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, tales « consuetudine maligna pressi tamquam sepulti sunt, ita sepulti, « ut de Lazaro dictum est, *iam putet.* Moles illa imposita sepulcro, « ipsa est vis dira consuetudinis qua premitur anima, nec sur- « gere, nec respirare permittitur... Venit ergo Dominus cui utique « facilia erant omnia, et difficultatem aliquam ostendit tibi. In- « fremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse « ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis « Domini rupta sunt vincula necessitatis, tremuit inferni domi-

« natio, redditus est Lazarus vivus... Ergo quicumque mortui « sunt, in quacumque horum trium morte se invenerint, agant « ut celeriter iam resurgant ». Patiantur ergo rationalistae, miracula Christi non fuisse tantum opera potentiae, sed etiam sapientiae, id est mirabiles quasdam adumbrationes mysteriorum gratiae. Et similis ratio est de sanatione surdi et muti, Marc. VII-33. *Apprehendens eum,* inquit, *de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas.* « Prima salutis ianua est, infirmum apprehen- « dente Domino de turba seorsum educi. Apprehendens namque « infirmum de turba seorsum educit, cum mentem peccatis lan « guidam visitatione suae pietatis illustrans, a consuetis humanae « conversationis moribus avocat, atque ad sequenda praecepto- « rum suorum itinera provocat. Mittit digitos suos in auriculas, « cum per dona Sancti Spiritus aures cordis ad intelligenda ac « suscipienda verba salutis aperit... *Et suscipiens in caelum in- « gemuit, et ait illi: Effeta, quod est adaperire.* Suspexit namque « in caelum, ut inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde « cunctis infirmitatibus medelam doceret esse quaerendam. In- « gemuit autem..., ut nobis gemendi daret exemplum, cum vel « pro nostris vel pro nostrorum erratibus proximorum, supernae « pietatis praesidia invocamus » ([1]).

Quod autem in monte excelso *seorsum,* coram tribus tantum testibus specialiter ad hoc electis transfiguratus sit Christus, hoc ideo fuit quia transfiguratio pertinebat ad ostensionem futurae gloriae. Res autem futurae gloriae non intuitive revelantur communitati hominum viatorum, sed per testes praeordinatos a Deo: a Deo, inquam, qui omnia in numero et pondere et mensura dispensat. Et haec eadem ratio est cur Christus ex mortuis resurgens, non quidem ad vitam huius saeculi sicut prius, sed ad vitam gloriosam quae comprehensoribus propria est, nequaquam in media urbe Ierusalem et in conspectu totius multitudinis se ostendit, sed solis apostolis ac discipulis, quibus mediantibus notitia gloriosae resurrectionis ad caeteros derivaret. Quod profecto, nedum faciat difficultatem, vertitur iterum in veritatis

([1]) Beda, in Marci evangelium expositio, l. 2.

argumentum, quia haec et similia ostendunt Dominum *bene omnia fecisse,* hoc est ordinate, non sicut sensus humanus excogitat, sed sicut ordo summae supremaeque sapientiae requirit.

Denique fundamentum alterius allegationis conclusionem adversarii nequaquam demonstrat. Si enim *quandoque* post concessum beneficium miraculosae sanationis, commendavit Dominus ut factum non divulgaretur, hoc suo agendi modo nobis potius omnibus commendavit fugam iactantiae, contra eos qui omnia opera sua faciunt *ut videantur ab hominibus.* Unde, Matth. XII, 15-21: « Secuti sunt (Iesum) multi, et curavit eos omnes, et prae-
« cepit eis ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod
« dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus
« quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animae meae.
« Ponam spiritum meum super eum... Non contendet, neque cla-
« mabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; arundinem
« quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet,
« donec eiiciat ad victoriam iudicium, et in nomine eius gentes
« sperabunt ».

De his igitur satis. Iam enim constat quam leviter rationalistae fabulosis suis doctrinis assensum adhibeant. Constat de ipsis vere accipi id quod dicitur Psalm. XXV: « *Concilium va-*
« *nitatis* «. Et iterum Psalm. LXI: « *Decipientes de vanitate in*
« *idipsum* ». Et iterum Tob. III: « *Qui in levitate ambulant* ». Quippe asserunt quidquid volunt, et pro ratione voluntas. Nihilominus tamquam scientiae prodigia habentur, ut adimpleatur sermo qui dictus est per Ioannem, Apoc. XIII-3: *Et admirata est universa terra post bestiam.*

§ 3.

Quod duplici de causa miracula per Christum facta, eius divinitatem ostenderunt.

Sane vero, Dei incarnatio sufficientissimis signis est hominibus manifestata, cum divinitas nullo modo convenientius manifestari possit quam per ea quae sunt propria Dei. Atqui proprium est Dei ut naturae leges immutare possit, operando supra

naturam cuius est auctor. Nunc autem si opponatur, similia miracula etiam per alios fuisse facta, dicendum quod inter Christum et caeteros quoslibet duplex est differentia quam maxime attendenda.

Prima est quia nullus alius unquam visus fuit qui miracula operatus sit in propriae divinitatis testimonium. Sed Christus cum a Iudaeis accusaretur, *quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*, respondebat: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite* ([1]). Cum igitur miraculum semper irrefragabile signum exsistat veritatis doctrinae quam sigillat, Christi miracula vel solo hoc nomine eius divinitatem manifestabant, quod ab eo fiebant in confirmationem attestationis qua se verum Deum asserebat.

Altera differentia, eaque magis intrinseca, spectat modum operandi miracula. Si enim Christus ut homo legitur aliquando praemisisse orationem vel gratiarum actionem, ea fuit oratio qua dependentia humanitatis a divinitate significabatur. Sed quod in uno eodemque supposito esset humanitati coniuncta divinitas, ceu causa principalis causae instrumentali, luculenter apparebat ex hoc quod nunquam naturae imperare visus est tamquam ex virtute quae esset suae personae extrinseca. Nam Ioan. V-21: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Et Luc. VII-14: *Adolescens, tibi dico, surge.* Et Matth. VIII-3: *Volo, mundare.* Et Luc. VI-14: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Quo certe modo nullus alius miracula effecisse commemoratur. Nam si quando sancti, non solum orando, sed etiam potestative signa ediderunt, semper in eis palam apparuit ratio instrumenti separati, velut cum Petrus, Act. III-6, dixit paralytico: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula,* vel cum Moyses ea exsequebatur quae sibi a Deo minutatim determinata et iniuncta erant. Bene ergo apostolus, Heb. III, 3-6: « Amplioris gloriae iste (Christus) prae Moyse dignus est ha-
« bitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit
« illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem

([1]) Ioan. X, 37-38.

« omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota « domo eius tamquam famulus, Christus vero tamquam filius in « domo sua ».

Si autem scire desideras quare miracula evangelica facta sunt multis in lapidem offensionis et in petram scandali, lege caput sextum Ioannis per totum. Ibi videbis expresse delineatam habitudinem mundi ad Christum prout perseverat usque nunc. Neque enim mutatur mundus in maligno positus, et Christus inter mortuos in quos invidia exerceri amplius non potest, nequaquam computatur. Scilicet, ut iam in superioribus notatum habes, tres omnino characteres in evangelicis miraculis considerari dantur. Fuerunt quippe opera summae efficaciae, misericordiae, et sanctitatis. Summae efficaciae, quia supra totius naturae vires, sive quoad substantiam, sive quoad modum. Summae misericordiae, quia in rebus hominibus utilibus consistebant, puta in sanationibus infirmorum, suscitationibus mortuorum et remediis debilium. Denique summae sanctitatis, quia ad finem coniunctionis cum Deo et abiectionis peccati, tota quanta erant, ordinabantur. Vide nunc multitudinem hanc magnam quae (Ioan. VI-2) sequebatur Christum trans mare Tiberiadis, *quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur*. Considera praesertim motum excitatum in hoc populo post multiplicationem panum. Quamdiu enim nihil aliud istis hominibus apparuit in opere Christi praeter virtutis efficaciam et misericordiae bonitatem, dicebant: *Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum*. Imo debuit Christus fugere solus in montem, sciens *quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem*. Verum cum sequenti die requisitus a multitudine, incepit dicere: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam...* etc., id est, statim ut apparuit character sanctitatis, sive finis omnino spiritualis ad quem miraculum ordinabatur, murmurabant et dicebant: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem?* Scilicet, voluntarie avertebant considerationem suam a mirabilibus Christi, ut ex obscura eius conditione argumentum incredulitatis sumerent. Idem faciunt nunc increduli, quia gyrans gyrando vadit mundus, et in circulos suos revertitur.

CAPUT TERTIUM

Quaest. XLVI-LII.

DE EXITU CHRISTI AB HOC MUNDO

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exitum Christi de hoc mundo. Et primo de passione eius (**Qq. 46-49**); secundo de morte (**Quaest. 50**); tertio de sepultura (**Quaest. 51**); quarto de descensu ad inferos (**Quaest. 52**).

QUAEST. XLVI-XLIX.

DE PASSIONE CHRISTI

Circa passionem occurrit triplex consideratio. Prima, de ipsa passione secundum se (**Quaest. 46**). Altera, de causa eius efficiente (**Quaest. 47**). Tertia, de eius causalitate et effectu (**Quaest 48-49**).

Rursus, si de passione in seipsa sermo sit, oportet declarare eius convenientiam, tum generalitatem doloris atque acerbitatem, demum circumstantias accidentales loci, temporis, etc.

THESIS XLVIII.

(Quaest. 46 — Art, 1-4).

Convenientissimum fuit ut reparatio nostra, quae finis fuit adventus Christi in mundum, fieret per eius passionem, passionem autem crucis.

§ 1.

Hominem liberari per Christi passionem, primo quidem conveniens fuit *ex parte iustitiae divinae.* Hoc enim habet ordo iustitiae, ut pro peccato poena infligatur, quia quicumque peccat, plus suae voluntati indulget quam debet, transgrediendo ordinem rationis et legis divinae. « Ad hoc igitur, inquit S. Thomas, « Opusc. 3. c, 7, quod ad iustitiae ordinem reducatur, oportet

« quod voluntati subtrahatur de eo quod vult; quod fit dum pu-
« nitur, vel per subtractionem bonorum quae vellet habere, vel
« per illationem malorum quae pati recusat. Haec ergo redinte-
« gratio iustitiae per poenam quandoque fit per voluntatem eius
« qui punitur, dum ipsemet sibimet poenam imponit ut ad iusti-
« tiam redeat; quandoque vero fit, eo invito, et tunc quidem
« ipse ad iustitiam non reducitur, sed in eo impletur, iustitia.
« Erat autem totum genus humanum peccato subiectum. Ad hoc
« ergo quod ad statum iustitiae reduceretur, *oportebat invenire*
« *poenam quam homo sibi ipsi assumeret, ad implendum divinae*
« *iustitiae ordinem.* Nullus autem homo purus tantus esse pote-
« rat, qui posset satisfacere sufficienter Deo, poenam voluntariam
« aliquam assumendo, etiam pro peccato proprio, nedum pro pec-
« cato universorum.... *Oportuit igitur ut esset aliquis homo infi-*
« *nitae dignitatis, qui poenam subiret pro omnibus* ». Et sic con-
veniens passio ostenditur per respectum ad iustitiam Dei ([1]).

Nunc autem, non minus evidens attenditur convenientia *per respectum ad homines* qui ita erant a peccato liberandi, ut in bono etiam firmarentur. Nam per tot ac tantos Christi dolores, primo quidem maxime provocatur homo ad Deum diligendum. Tum deinde accipit sublime exemplum omnium virtutum quae sunt ad salutem potissimum necessariae. Inducitur etiam ei maior necessitas sese conservandi immunem a peccato, dum se recogitat redemptum sanguine Domini sui. Quid plura? Semper pie cogitanti altiora et maiora occurrent, suadentia nullum potuisse reparationis modum inveniri, quo efficacius ad omne bonum homines pro-

([1]) Has sane rationes flocci faciunt et exsufflant modernistae, sed habent contra se intimum testimonium humanae conscientiae. Omnium quippe hominum animis insertum est, quod ubi violatus est ordo ille essentialis consistens in subiectione ad primum principium ultimumque finem universi, dum scilicet, postposito Deo summo bono et bonorum omnium fonte, creata voluntas rebellis insurgit, privatae suae libidini indulgendo: ad reparationem violati ordinis per se requiritur compensans ream libidinem iusta poenalitas. Hinc notiones illae de *expiatione,* quae ab origine universaliter obtinent in genere humano, quia ortae de illa naturali, et prima, et velut innata philosophia, quae per sophismata obscurari poterit, tolli unquam et eradicari omnino non poterit.

moverentur. Unde et videmus passionis mysterium fuisse omnibus heroibus christianis principium contemnendi omnia quae pravi homines cupiunt, omnia perpetiendi quae horrescunt, omnia faciendi quae mirantur, ac demum ad supremum illum perfectionis apicem contendendi quo reipsa pervenerunt.

Haec igitur de convenientia passionis in genere breviter dicta sufficiant. Succedunt rationes pro convenientia passionis *in cruce.*

§ 2.

Prima desumitur ex ipso genere mortis, quo nihil fuit exsecrabilius et formidabilius, ut Augustinus dicit l. 83 Qq., q. 25. Et vere ignominiam mortis in cruce, praeter alia historiae documenta, vel sola ratio agendi Iudaeorum in iudicio Christi satis superque attestatur. Ideo quippe sacerdotum principes tradiderunt Iesum Pilato, recusando etiam facultatem concessam iudicandi secundum propriam legem; ideo omni ope coegerunt praesidem ut causam ad suum tribunal evocaret, quia crucis supplicium per legem mosaicam nequaquam decernebatur, sed erat a Romanis statutum contra rebelles subditos (1). Neque enim infensissimis inimicis satis erat Iesum morti addicere; sed intendebant quam maxime eius memoriam in populo penitus abolere, ut hoc modo totus moreretur, et praecedentium signorum nulla amplius recordatio remaneret (2). Huic autem scopo nihil magis idoneum duxerunt quam mortem in cruce, infamem quidem apud omnes populos, sed maxime apud Iudaeos de genere Abrahae et lege Moysis gloriantes; unde apostolus dicit: *Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia* (3). Verum haec

(1) « Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem « vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: *Nobis non licet inter-* « *ficere quemquam. Ut sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua* « *morte esset moriturus* ». (Ioan. XVIII, 31-32).

(2) Eorum voces audimus, Ierem. XI-19: « Eradamus eum de terra « viventium, et nomen eius non memoretur amplius ».

(3) De cruce in historia sacra V. T. sermo non est nisi quater: *Genes. LX,* ubi Pharao suspendere facit principem pistorum secundum

ipsa infamia arcanis congruebat Christi consiliis, tum ut pro nobis satisfaceret perfectius, tum ut hominum animos ab amore mundanae gloriae ad gloriae divinae amorem transmutaret, tum denique ut illustrior ac divinior appareret triumphus qui mortem ac resurrectionem consecutus est.

Secunda ratio sumi potest ex ipsa exteriori forma patibuli, in qua sensibiliter exprimitur mysterium *universalis redemptionis ac providentiae;* quatenus scilicet figura crucis a medio tractu in quatuor cornua partita, quodammodo iungit ima summis, extrema extremis, exhibetque virtutem eius qui in ea pependit, ubique diffusam. Unde Gregorius Nyssenus, Or. I in Christi resurrectionem: « Novit (apostolus), ea figura quatuor cornibus e me-
« dio provenientibus descripta, potentiam per omnia commean-
« tem et providentiam illius qui in ea manifestatus est, signifi-
« cari... Potes autem ex iis quae in anima tua fiunt, ea quae de
« Deo cogitanda sunt declarata contemplari. Coelum enim su-
« spice et partes infimas animo complectere, extremosque ac
« summos orbis terminos cogitatione comprehende, atque consi-
« dera quaenam potentia tamquam universitatis vinculum haec
« omnia devinciat atque contineat: videbisque sponte sua in ea
« divinae potentiae contemplatione crucis figuram exprimi in
« animo ac mente tua, a superis ad infera, ab extremis ad ex-
« trema protentam atque descriptam ».

Tertia denique ratio assignatur, quia in homine crucifixo pulchre relucet typus hominis christiani, qui ad bona opera ex-

---

praedictionem Ioseph; *Iosue VIII,* ubi expugnata urbe Hai, regem eius chananaeum Iosue cruci affigi iubet; *2 Reg. XXI,* ubi Gabaonitae qui erant reliquiae Amorrhaeorum, crucifigunt septem filios Saul; *Esth. V,* ubi Aman parat crucem Mardochaeo, in qua ipsemet postea, iussu Assueri fuit appensus. Et nullibi invenitur hoc supplicium per iudices Israel constitutum; re enim vera aberat a codice mosaico, sed pro gravioribus criminibus blasphemiae, adulterii, etc., erat determinata poena lapidationis. Nec contra est quod legitur Deuter. XXI-23. Solum enim sequitur quod cum specialis ratio criminis id postularet, post confectos lapidatione reos, frigida eorum cadavera manibus alligata in elato patibulo quandoque suspendebantur, ad terrorem ingerendum.

tendit manus suas, per patientiam et longanimitatem persistit in laboribus huius vitae, per spem futurorum bonorum emergit supra mundum, et per occultam Dei gratiam sustentatur ne succumbat. Ideo Augustinus, epist. 140, n. 64 : « In hoc mysterio « (latitudinis, longitudinis, altitudinis, et profunditatis, de quo « Eph. III-14) figura crucis ostenditur. Qui enim, quia voluit mor- « tuus est, quomodo voluit mortuus est.... Nam *latitudo* est in eo « ligno quod transversum desuper figitur ; hoc ad bona opera « pertinet, quia ibi extenduntur manus. *Longitudo* in eo quod ab « ipso ligno usque ad terram conspicuum est ; ibi enim quodam- « modo statur, id est, persistitur et perseveratur, quod longani- « mitati tribuitur. *Altitudo* est in ea ligni parte quae ab illo quod « transversum figitur sursum versus relinquitur, hoc est ad ca- « put crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam « vero illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, « unde totum illud exsurgit, *profunditatem* significat gratuitae « gratiae : in quo multorum ingenia conteruntur id investigare « conantia, ut ad extremum eis dicatur : O homo tu quis es ut « respondeas Deo ? ».

Sed nunc, post declaratam convenientiam passionis tum in genere tum in specie, de eius generalitate atque intensitate agendum est. Sit itaque :

THESIS XLIX.

(Quaest. 46 Art. 5-8).

Christus passus est omne genus passionis humanae, et dolor eius fuit maximus inter dolores praesentis vitae, tametsi ratio superior in ipso, in summa contemplationis iucunditate excelsa divinitatis semper inhabitans, inalterabili essentialis beatitudinis gaudio semper frueretur.

Cum de universalitate passionis in Christo agitur, passio sumi debet acceptione amplissima, secundum quod cum dolore, cuiuscumque tandem rationis sit, convertitur. De quo vide ea quae superius declarata sunt in Quaest. 15.

§ 1

Quod igitur Christus passus sit secundum genus omnem passionem humanam, potest declarari tripliciter, ut apud S. Thomam, art. 5 huius quaestionis.

Primo modo, *ex parte hominum a quibus passus est,* quatenus omnes et singuli hominum ordines, vel neci eius cooperati sunt. vel certe doloribus eius aliquid addiderunt: Iudaei scilicet et Gentiles, optimates et plebeii, viri et mulieres, laici et sacerdotes, familiares et extranei, ac si quid aliud in humanae societatis categoriis invenire sit. Neque hoc tantum, sed et omnia ac singula peccatorum genera suam veluti personam egerunt in nece illa, propriumque tormentum attulerunt. Praesertim vero, etiam atque etiam considerandum est quam grandi mysterio, in tribus illis tribunalibus ad quae iudicandus adductus est Christus, tres apparuerint principales formae peccati de quibus 1 Ioan. II-17: « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concu-« piscentia oculorum, et superbia vitae ». Nam in **Caipha** et pontificibus qui ne loco cederent et sacerdotii amitterent principatum, primi exstiterunt auctores deicidii, et veluti mens agitans molem, *superbiam vitae* indubitanter agnoscimus incarnatam: « Collegerunt, inquit, pontifices et pharisaei concilium, et dice-« bant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit?... Vos « nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus « moriatur homo pro populo ». Et rursus: « Pharisaei autem di-« xerunt ad invicem: videtis quia nihil proficimus, ecce mundus « totus post eum abit ». Et demum: « Audistis blasphemiam, quid « vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum « mortis » (1). Haec est sententia *inextinguibilis odii* qua usque nunc superbia vitae prosequitur Christum, cum scilicet humanae rationis independentiam praedicantes, nullumque supra se divini iuris adsertorem ac vindicem ferentes, « summo studio mo-« liuntur ut Christo a mentibus humanis, a vita et moribus po-

(1) Ioan. XI-47; XII-19; Marc. XIV-64.

« pulorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae re-
« gnum stabiliatur » (1). Ast in **Herode** viva cernitur imago *concupiscentiae carnis*. Ipse est qui tulerat Herodiadem fratri suo Philippo uxorem, et ad preces impudicae mulierculae, medias inter convivii delicias caput Ioannis afferri iusserat in disco : princeps incestuosus qui etiam in iudicio Christi suam personam constanter sustinet, nihil aliud intendens quam occasionem fruendi novo spectaculo, et ubi videt se nihil proficere, irridendi atque lasciviandi ; « Herodes autem, ait Lucas, viso Iesu, gavisus est « valde ; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo « quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre « ab eo fieri. Interrogabat ergo eum multis sermonibus. At ipse « nihil respondebat. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu « suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum ». Illusit, inquam, indutum veste alba. Cum enim apud Romanos ii qui ambibant magistratus albis vestibus indui solerent, et pro tanto candidati appellarentur : ideo indigna comoedia, ad Romanum praesidem medios inter cachinnos remittitur Christus quasi ridiculus regiae dignitatis candidatus. Et haec est sententia *bestialis irrisionis* propria vitio carnis, prout videre est usque nunc, qua late in mundo patet dominatio luxuriae. Denique post Caipham et Herodem, **Pilatum** attende. Ipse est *concupiscentia oculorum :* vir nimirum fortunae inhians, qui sponte quidem sua nusquam in scelus Iudaeorum consensisset, sed propter respectum Tiberii Caesaris cuius iras et suspiciones pertimescebat, tandem adiudicavit Innocentem voluntati impiorum, suaque ignavia furori Iudaeorum liberam aperuit viam. Quod idem eodem semper modo ac tenore hodiedum peragitur, quia cum ea sola quae ad Christum attinent, mundano respectui noscantur obnoxia, consequens est ut qui inhiant honoribus et divitiis, subterfugia quaerant quibus mundi servitium cum qualicumque religionis observantia concilient, donec in negotiis tam privatis quam publicis ad Pilati iudicium veniant : « Iesum vero tradidit volun-
« tati eorum ». Vere ergo in Christo consideratur passionis ge-

(1) Conc. Vatic. Sess. 3, in prooem.

neralitas ex parte eorum a quibus homo potest pati, quique Deo et iustitiae eius per omnia adversantur.

Secundo modo patet idem *ex parte eorum in quibus homo potest pati.* Passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus, in fama per blasphemias contra eum prolatas, in honore et gloria per irrisiones et contumelias, in rebus per hoc quod etiam vestibus spoliatus est, in corpore per vulnera et flagella, in tota demum anima per tristitiam, taedium, et timorem, usque ad profundum illum amaritudinis abyssum de quo dicit in Psalm. XLVIII, 2-3: « Intraverunt aquae usque ad animam meam, in« fixus sum in limo profundi, et non est substantia; veni in « altitudinem maris, et tempestas demersit me ».

Tertio demum modo passionis universalitas considerari potest *quantum ad corporis membra.* Passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam; in manibus et pedibus fixionem clavorum; in facie alapas et sputa; in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundum omnem sensum corporeum: secundum tactum quidem, flagellatus et confixus: secundum gustum, felle et aceto potatus; secundum auditum, vocibus blasphemantium et irridentium lacessitus; secundum visum videns matrem et discipulum quem diligebat flentes. Ita fere S. Thomas in praesenti.

§ 2.

Nunc, Christi dolorem fuisse maximum *inter dolores praesentis vitae,* (neque enim fit comparatio cum dolore animae separatae sive in inferno sive in purgatorio), ex triplici iterum consideratione demonstratur.

Prima se tenet ex parte causarum doloris, in quarum tamen aestimatione non oportet consistere in solis causis corporalibus. Nam etsi mors confixorum in cruce sit maxime acerba, (configuntur enim in locis nervosis et maxime sensibilibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem, et cum hoc etiam est doloris diuturnitas quia non statim moriuntur sicut hi qui gladio interficiuntur), possunt tamen genera mortis excogitari adhuc acerbiora tam quoad passionis gravitatem quam

quoad diuturnitatem. Considerando vero in Christo causas doloris interioris, inveniuntur esse extra omnem comparationem possibilem, praesertim si ratio habeatur omnium peccatorum generis humani pro quibus satisfaciebat patiendo. Unde quasi ea sibi adscribens dicit in Psalm. XXI-2: *Longe a salute mea verba delictorum meorum,* et rursus in Psalm. XXXIX-13: *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus. Comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui ut viderem. Multiplicatae sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me* (1).

Verum secundo, ad doloris vehementiam, ut par est, aestimandam, non oportet tantum attendere causas doloris secundum se, sed multo magis sensibilitatem sive perceptibilitatem patientis quae in Christo fuit simpliciter maxima. Nullum enim corpus fuit perfecte complexionatum sicut corpus Christi operatione Spiritus Sancti in virgineo utero formatum; nullus praesertim intellectus fuit aeque potens ad penetranda mala de quibus erat dolor; nulla item caritas aeque repugnans peccato et poenis aeternis quibus peccando homines se involvunt.

Sed tertia consideratio adhuc evidentiorem suppeditat demonstrationem. Nam illud omnino singulare ac proprium invenitur in Christo, quod passio eius tam quoad substantiam quam quoad intensitatem, perfecte voluntaria fuit, ac per consequens commensurata fini ad quem ordinabatur. Equidem verissimum est quod attenta infinita personae dignitate, minimum opus satisfactorium sufficiebat ad compensanda peccata totius mundi et ultra. At vero omnia documenta ad redemptionem nostram attinentia manifeste evincunt, non ea mensura usum fuisse Christum. Voluit igitur ut in ipso opere satisfactorio secundum se considerato esset quaedam proportio cum magnitudine finis, qui erat liberatio hominum a peccato et introductio eorumdem in beatitudinem Dei. Et hinc etiam illustrari potest ratio quam S. Thomas interposuit de doloris puritate, quatenus non fuit aliquatenus mitigata interior afflictio, sicut solet contingere quando

(1) Cf. Levit. XVI-12 et seq.

ratio in ea constituit medium ne iustam mensuram excedat. Habito enim respectu ad passionis finem, dolor Christi, quantumvis magnus in quantitate absoluta, iustos limites nunquam potuit excedere. Et si non fuit hoc modo mitigatus dolor interior, neque etiam exterior, quia dolor exterior non est natus mitigari per rationem nisi indirecte, seu per viam redundantiae a superioribus viribus ad inferiores. Dicendum igitur est dolorem Christi fuisse simpliciter maximum inter dolores praesentis vitae, ita ut merito Dominum intuens propheta dixerit: *virum dolorum!*

§ 3.

Haec tamen dicta sint sine praeiudicio beatitudinis essentialis qua potitus est Christus a primo suae conceptionis instanti. Et ideo Dominus in passione sua fuit instar montis excelsi et sublimis valde, cuius cacumen purae lucis serenum inhabitat, dum inferiora eius atra nube et densa caligine obvolvuntur. Quod quidem mysterium iam fuit in superioribus, pro posse nostro, utcumque declaratum. Specialiter vero ostensum est, duplicem aspectum in malo esse distinguendum, prout consideratur vel secundum se vel secundum quod a Deo suum ordinem habet. Porro per scientiam beatam apprehensum nequit contingere animam nisi hoc posteriori modo, quia beatae mentes qua tales cuncta creata nonnisi in rationibus aeternis intuentur. At vero, quamdiu Christus ut incola huius mundi capax fuit proprii nocumenti, et quaedam veluti pars exstitit societatis viatorum, animam eius tangebat malum, etiam prout malum et afflictivum est, dum scilicet apprehendebatur per scientias inferiores per quas res creatae cognoscuntur in seipsis. Hinc procedit distinctio quam ponit S. Thomas inter rationem superiorem et rationem inferiorem in Christo. Non enim, ut ipse docet 1ª Part. q. 79, a. 9, ratio superior et ratio inferior distinguuntur tamquam duae diversae potentiae, sed « distinguuntur per officia actuum et se« cundum diversos habitus ». Unde in Christo ratio superior accipitur pro intellectu in quantum per habitum luminis gloriae intendebat aeternis conspiciendis, ratio vero inferior pro eodem

intellectu in quantum per scientiam quae non est constitutiva beatitudinis, circa temporalia operabatur. Fruebatur ergo anima Christi secundum solam rationem superiorem, patiebatur secundum omnes alias vires; et quia vires radicantur in essentia, tota anima fruebatur et tota patiebatur, non tamen secundum eamdem potentiam vel habitum.

Caetera vide supra, ubi de defectibus in hac mortali vita a Filio Dei coassumptis, et nota iterum, quo sensu dicatur fuisse viator quoad corpus. Quatenus scilicet, causa totius passibilitatis, etiam in anima, se tenebat ex parte corporis, corporis mortalis, corporis corruptibilis, corporis facti, ut apostolus ait, in similitudinem carnis peccati. Inde enim pendebat coniunctio cum malo de quo dolebat: cum malo proprio, quod erat malum passionis crucis: cum malo etiam alieno, quod erat malum universi generis humani. Nam ut malum alienum coniungatur cum aliquo, et causa afflictionis ei esse possit, oportet ut iste participet statum et conditionem eorum qui malo sunt pressi, pars exsistens eiusdem communitatis eiusdemque consociationis. Et hoc in Christo verificabatur ratione conditionis corporis, prout dictum est suo loco.

Sed iam ad considerationem circumstantiarum passionis nos inducit rerum continuatio.

DE CIRCUMSTANTIIS TUM TEMPORIS TUM LOCI PASSIONIS DOMINICAE.

(Quaest. 46 — Art. 9-11).

§ I.

Circumstantias temporis in passione Christi mysticas fuisse atque figurales, vel ex hoc sufficienter apparere potest, quod eas omnes in solemnitate paschali religiose servat Ecclesia, non solum quantum ad anni solaris tempus, sed etiam quantum ad lunae diem, imo et feriam hebdomadae. « Quaeris, inquit Au-« gustinus, epist. 55 ad Ianuarium, quae causa sit *cur anniver-« sarius dies celebrandae Dominicae passionis, non ad eumdem « redeat anni diem, sicut dies quo creditur natus.* Et deinde sub-« iungis: *Si hoc fit propter sabbatum et lunam, quid sibi velit*

« *in hac re observatio sabbati et lunae* ». Respondet autem Augustinus hoc esse sacramenti causa, ut figurate nobis insinuentur ea quae ad mysterium pertinent; plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur.

Praemittendum est quod iuxta legem (Exod. XII, 2 27) immolabatur agnus paschalis quarta decima luna mensis primi ante solis occasum, et circa noctis initium in singulis domibus manducabatur; porro dies sequens, id est, decimus quintus, dies erat solemnis paschae. Nunc autem non defuerunt aliqui opinantes, Christum futurorum praescium anticipasse ultimum pascha, et celebrasse coenam in qua instituta est Eucharistia luna decima tertia ad vesperam; ex quo esset consequens, passionis diem coincidisse cum vigilia paschatis Iudaeorum. Sed haec opinio quam Petavius sequitur, habet contra se explicitam auctoritatem Marci et Lucae ([1]), et omnes textus quibus se adversarii muniunt nihil omnino evincunt, sicut videre est apud S. Thomam in praesenti, art. 9, ad 1um. Quod autem attinet ad rationem qua contendunt, pharisaeos observantiarum legis tenacissimos nusquam in die festo potuisse verosimiliter attentare iudicium et necem Christi: observandum est, non esse confundendam requiem sabbati cum requie festorum. Plura enim erant legaliter

([1]) « Primo die azymorum, quando pascha immolabant », inquit Marcus, XIV-12. Et Lucas, XXII-7: « Venit autem dies azymorum in « qua necesse erat occidi pascha ». Nec est in oppositum, quod Ioannes, XIX-14, diem sequentem, i. e. diem crucifixionis Christi, fuisse dicat *parasceven paschae:* quod quidam accipiunt quasi idem esset ac *praeparatio* sive *vigilia* paschae, sed falso. Nam praeparatio quam importat parasceve nomen, non intelligitur per ordinem ad pascha, sed per ordinem ad sabbatum, iuxta illud Marc. XV-42: *Quia erat parasceve, quod est antesabbatum,* παρασκευή, ὅ ἐστιν προσάββατον. Eodem quippe modo quo nunc omnis feria prima nomen habet dominicae, et omnis feria septima nomen sabbati, ita tunc omnis feria sexta parasceve vocabatur, eo quod hac die praeparabantur ea quae ratione rigorosae requiei diei insequentis necessaria erant. Dicitur ergo apud Ioannem: *Erat autem parasceve paschae,* eodem intransitivo sensu quo nos dicimus, dominica paschae, feria secunda paschae, etc., videlicet: Erat feria sexta in solemnitate paschae.

licita in festis quae in sabbatis non licebant; quin imo, licitum fuisse in diebus festis reos morti addicere, expresse tradit Rabbi Akiba, apud Patrizzi (1); denique, si de opere servili sermo sit, constat, non Iudaeos sed Gentiles affixisse Christum cruci. Dicendum itaque est, coenam fuisse celebratam iuxta morem, ipso tempore quo a toto populo Iudaeorum manducabatur agnus, sacrificii Eucharistiae figura et typus (2). Hinc, ipso etiam paschatis die (in quo recolebatur transitus Israel de Aegypto, eiusque liberatio a captivitate), Christus per passionem et mortem suam de hoc mundo transivit ad Patrem, liberans humanum genus a diaboli servitute, eique aperiens viam vitae (3). « Quia enim, sicut « dicit apostolus, *mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit* « *propter iustificationem nostram,* transitus quidam de morte ad « vitam in illa passione Domini et resurrectione sacratus est. « Nam etiam vocabulum ipsum quod *pascha* dicitur, non grae- « cum sicut vulgo videri solet, sed hebraeum esse dicunt qui « linguam utramque noverunt. Neque enim a passione, quoniam « graece πάσχειν dicitur pati, sed ab eo quod transitur, ut dixi, « de morte ad vitam, hebraeo verbo res appellata est, in quo « eloquio pascha *transitus* dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt... « (Quod) evangelista exprimere voluisse intelligitur, cum cele- « braturo Domino pascha cum discipulis suis, ubi coenam eis « mysticam dedit: *Cum vidisset,* inquit, *Iesus quia venit eius hora* « *ut transiret de mundo ad Patrem.* Transitus ergo de hac vita « mortali in aliam vitam immortalem, (hoc est enim de morte ad « vitam), in passione et resurrectione Domini commendatur » (4).

Nunc autem considerandum est quod ad huius commenda-

(1) Patrizzi, de Evangeliis, Dissert. 50.

(2) S. Thom. 3, q. 73, a. 6.

(3) In veteri paschate celebrabatur transitus angeli exterminatoris Aegyptiorum et liberatoris Israel, qui fuit praeludium transitus de captivitate in libertatem per mare rubrum. Christus autem verus est angelus exterminator, qui transitu suo de hoc mundo ad Patrem exterminavit potentiam daemonum, et genus humanum liberavit, parans ei in rubro mari sanguinis sui transitum ad beatam aeternitatem.

(4) August. ep. 55 ad Ianuarium, n. 2.

tionem mysterii de luna ducitur similitudo. Nam quamdiu luna inter terram et solem posita, ipsi terrae manet invisibilis, symbolum quoddam exsistit status innocentiae, illius dico status in quo homo ab infimis aversus, perfecte ad Deum qui sol iustitiae est, convertebatur. Sed cum paulatim recedens a sole, tanto magis incipit terrae apparere, quanto magis in suo recessu progreditur, donec tandem plenissima nobis illuceat, figuram monstrat hominis labentis in peccatum, id est, a iustitia recedentis, seseque convertentis ad terrena. Hinc oportet ut in motu inverso quo denuo accedens ad solem, sese a terra magis ac magis abscondit, accipiatur symbolum hominis resurgentis a peccato, et de temporalibus transeuntis ad aeterna. Bene igitur passus est Christus, luna exsistente plenissima, id est luna decima quinta, quia stipendium peccati cuius poenam luebat, mors est. Resurrexit autem luna decima septima, cum in ipso sidere attenditur symbolica similitudo transitus de peccato in gratiam, de mortalitate ad immortalitatem, et de hoc mundo ad Patrem. « Attende, inquit Augustinus, epist. ad Ianuar. n. 8, quod in Proverbiis legitur: *Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur...* Ducuntur autem saepe ex rebus visilibus ad invisibilia congruae similitudines. Quis est ergo ille stultus qui tamquam luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens a sole iustitiae, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in externa convertit, et eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis. Sed cum redire coeperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, omnisque lux illa ingenii quae ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, et a terrenis quodammodo aufertur, ut magis magisque huic saeculo moriatur, et vita eius abscondatur cum Christo in Deo... Ac per hoc Spiritus Sanctus de visibilibus ad invisibilia, et de corporalibus ad spiritualia sacramenta similitudinem ducens, transitum illum de alia vita in aliam vitam, quod pascha nominatur, a quarta decima luna voluit observari, ut... propter

« ipsam conversionem ab exterioribus ad interiora, de luna si-
« militudo assumeretur... Non igitur nos de sole et luna, annuis
« menstruisve temporibus, actionum nostrarum eventa coniici-
« mus, sed ad rem sacrate significandam similitudines aptas re-
« ligiosissima devotione suscipimus, sicut de caetera creatura, de
« ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de pecoribus, de pi-
« scibus, de arboribus, de hominibus, ad sermonem quidem mul-
« tipliciter, ad celebrationem vero sacramentorum, iam christiana
« libertate, parcissime... ».

Nec tandem mysterio vacavit ipsa hebdomadae dies. Sexta enim feria crucifixus est Christus, ut se ostenderet ipsum Deum qui cum initio dignitatem humanae substantiae mirabiliter creando condidisset, mirabilius nunc redimendo reformabat. Unde Beda, serm. in fer. 3 Palmarum: « Quia ergo sexta die factus est
« homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Con-
« ditor ab opere suo requievit,... recte Salvator eadem sexta die
« crucifixus, humanae restaurationis implevit arcanum. Ideoque
« cum accepisset acetum, dixit: consummatum est, hoc est, sextae
« diei, quod pro mundi refectione suscepi, iam totum est opus
« expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis
« quae octava die ventura erat, exspectabat eventum ».

§ 2.

Locus etiam in quo passus est Salvator convenienter fuit electus, quia sicut omnia tempora sunt in manu Christi, ita et omnia loca. Et vere, Ierusalem erat locus a Deo designatus ad sacrificia sibi offerenda; quae quidem figuralia sacrificia figurabant Christi passionem quae est verum sacrificium, ut dicit S. Thomas a. 10 in corp. Expresse tamen notat apostolus, Heb. XIII-12, crucifixum fuisse Dominum, non intra muros, sed extra portam: « Pascha nostrum, ait Leo M. serm. 8 de pass. c. 5,
« immolatus est Christus; qui se novum et verum reconcilia-
« tionis sacrificium offerens Patri, non in templo cuius iam erat
« finita reverentia, nec intra septa civitatis ob meritum sui sce-
« leris diruendae, sed foris et extra castra crucifixus est, ut

« veterum victimarum cessante mysterio, *nova hostia novo impo-* « *neretur altari, et crux Christi non templi esset ara, sed mundi* ». Accedit quod locus Calvariae locus communis erat damnatorum. Decebat autem ut qui antiquae sententiae delebat chirographum sustinendo poenam caeteris constitutam, ibi subiret mortem ubi veris reis solebat inferri, iuxta illud Is. LIII-12: *Et cum sceleratis reputatus est.* Et eidem mysterio deserviebat circumstantia latronum in quibus novimus figuratos homines universos sive quos gratia Christi a peccato trahit ad iustitiam, sive quos ultima dies propter neglectum beneficium redemptionis iusto iudicio inveniet condemnandos.

Nunc post considerationem passionis secundum se, sequitur consideratio de causa eius efficiente.

THESIS L.

(Quaest. 47)

In causis efficientibus passionis Christi aliter et aliter numerantur tum Iudaei a diabolo moti, tum ipse Christus secundum quod homo, tum denique Pater, imo tota Trinitas.

Iudaeorum principes fuisse causam directam corporalis passionis et mortis Christi, manifeste constat ex narratione evangelii. Non tamen excluduntur Gentiles, puta Pilatus et milites, iuxta illud Luc. XVIII: *Tradetur Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum.* Sed quia Gentiles non fuerunt nisi instrumenta furoris Iudaeorum, operatio autem magis proprie principali agenti tribuitur quam instrumento, ideo ii sunt simpliciter dicendi Christi occisores, qui Pilatum coegerunt et dixerunt: *Sanguis eius super nos et super filios nostros!*

Insuper, cum causa efficiens indirecta dicatur ille qui non impedit cum posset impedire, manifestum etiam est ipsum Christum *tradidisse in mortem animam suam,* ut dicitur Is. LIII-12. Habebat enim ut homo potestatem cohibendi inimicos [1], imo

[1] Ioan. XVIII, 4-6.

repellendi mortem in sensu etiam composito confixionis in cruce. Et nos quidem morimur quasi morti subiecti ex necessitate vel naturae vel alicuius violentiae nobis illatae. Christus vero potestate mortuus est, quia quidquid in eo secundum naturam humanam erat naturale, totum hoc subiacebat humanae eius voluntati, uti suo loco ostensum est. Cum igitur vero quodam modo causa fuerit propriae suae passionis et mortis, ideo in art. 2 quaerit S. Thomas, ex quo motivo seipsum tradiderit. Respondet autem quod ex obedientia passus et mortuus est iuxta dicta superius, ubi etiam exposita est celebris de praecepto moriendi controversia. Qua in re sententia S. Thomae non constat, quia quaestionem nullibi ex professo tractat; unde afferuntur variae eius locutiones, modo uni, modo alteri opinioni faventes. Caeterum, etsi demonstraretur S. Doctorem agnovisse praeceptum proprie dictum, adhuc remanerent rationes superius assignatae quae videntur convincentes satis (1). Et iam fuit exclusa solutio quam proponit Suarez de Incarn. Disp. 37, Sect. 4, dicens quod Christus habebat praeter scientiam beatam, scientiam sive infusam sive acquisitam, cuius ratione, ait, liber fuit a necessitate quoad observationem praecepti, tametsi liber non esset ratione visionis. Nam revera ex coexsistentia scientiae inferioris solum sequitur quod fuisset sufficiens causa libertatis indifferentiae, nisi aliunde adfuisset causa necessitans et penitus ligans voluntatem: quae si semel potiatur summo bono, non potest amplius sive moraliter sive physice eligere quidquam quod cum iactura suae

(1) Vide supra, Thes. XXIX. — Et nota iterum, formalem obedientiae rationem in hoc consistere, quod quis se conformet voluntati superioris qua talis, sive praeceptiva illa sit, sive non. Nec valet si dicas, quod conformare voluntatem suam voluntati Dei, ad charitatem potius quam ad obedientiam pertinere videatur. Hic enim distinctione opus est. Nam charitas respicit amicum ut alterum se, et vult amico bonum sicut sibi, imo multo magis, si bonum diligentis non est nisi bonum participatum a dilecto. Nunc autem obedientia non respicit eum cui obedit ut alterum se, sed magis ut superiorem, et pro obiecto habet *honestatem submissionis* qua inferior sese in agendo determinat ex regula in voluntate superioris exsistente.

essentialis beatitudinis intelligit esse connexum. Et haec quidem circa doctrinam art. 2.

Sed cum in causis efficientibus passionis, praeter persecutores Christi et ipsum Christum hominem, intervenerit etiam divinitas, exponit S. Thomas in art. 3, quotuplici sensu Deus Pater auctor passionis Filii sui dicendus sit. Primo igitur fuit auctor passionis, quatenus ab aeterno decrevit ordinem illum in quo praevidit et Iudaeos Christum occisuros, et Christum sponte sua se oblaturum, permittendo quidem scelus, praeordinando autem Christi caritatem et obedientiam ad humani generis redemptionem. Secundo fuit auctor passionis, in quantum ipsi Christo inspiravit voluntatem moriendi pro nobis. Tertio demum, in quantum non cohibuit occidentes, sicut dicitur Ioan. XIX-11: *Non haberes potestatem in me ullam, nisi data tibi fuisset desuper.* Unde Christus in cruce pendens dicebat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Sed iam sequuntur duae quaestiones de effectu passionis Christi: prima de modo causandi, altera de ipso effectu secundum se.

THESIS LI.

(Quaest. 48).

Passio Christi causavit salutem nostram per modum satisfactionis, per modum meriti, per modum sacrificii, per modum redemptionis, ac demum per modum efficientiae.

Notum est, effectum salutis nostrae constanter attribui in Scripturis passioni crucis iuxta illud Matth. XX-28: « Filius ho- « minis venit dare animam suam redemptionem pro multis ». Quod tamen non ita est accipiendum, quasi caeterae Christi passiones atque actiones ad reparationem nostram nihil contulerint, aut ratione sui sufficere non potuissent. Sed quia Christi satisfactio et meritum esse non potuit nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis, ut postea dicetur: specialiter proponitur mors crucis ut causa nostrae redemptionis, quatenus per voluntatem Patris fuit principaliter deputata ad pretii solu-

tionem, dum caetera omnia ad hunc finem non destinabantur nisi in sua connexione cum cruento sacrificio per quod erant consummanda. Sciendum enim est, « quod ad emptionem duo « requiruntur: scilicet quantitas pretii, et deputatio eius ad ali- « quid emendum. Si enim aliquis det pretium non aequivalens « ad rem aliquam acquirendam, non dicitur esse simpliciter em- « ptio, sed partim emptio et partim donatio: puta si aliquis emat « librum qui valet viginti libras pro decem libris, partim emeret « librum, et partim sibi donaretur. Rursus, *si daret etiam maius « pretium et non deputaret ad emendum, non diceretur emere li- « brum.* Si ergo loquamur de redemptione humani generis quan- « tum ad quantitatem pretii, sic quaelibet passio Christi, etiam « sine morte, suffecisset ad redemptionem humani generis; pro- « pter infinitam dignitatem personae. *Si autem loquamur quantum « ad deputationem pretii, sic dicendum est quod non sunt deputatae « ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliae « passiones Christi absque morte,* et hoc triplici ratione. Primo « quidem ut pretium redemptionis non solum esset infinitum « valore, sed etiam esset eiusdem generis, ut scilicet nos de « morte per mortem redimeret. Secundo ut mors Christi non « solum esset pretium redemptionis, sed etiam exemplum virtu- « tis, ut videlicet homines non timerent pro veritate mori. Tertio « ut mors Christi esset etiam sacramentum salutis, dum nos vir- « tute mortis Christi morimur peccato, et carnalibus concupi- « scentiis, et proprio affectui... Et ideo humanum genus non est « redemptum per aliam passionem absque morte Christi » (1). Quare, omnia quae Christus in hoc mundo libere egit et passus est, per modum unius consideranda sunt: sic tamen ut mors crucis habeatur tamquam principale, sine quo caetera non ordinabantur ad solutionem nostri debiti, vel acquisitionem iustificationis nostrae. Bene ergo in ipsa crucis oblatione reponitur principium salutis humanae, et quotuplicis generis fuerit eius causalitas, iure inquiritur.

Dicitur autem quod passio causavit salutem nostram, pri-

(1) S. Thom. Quodl. 2, art. 2 in corp.

mo *per modum satisfactionis.* Est autem satisfactio de qua nunc loquimur, illatae iniuriae recompensatio secundum aequalitatem, dum scilicet ea offertur reparatio quae adaequet crimen laesae Dei maiestatis. Et satisfactionis quidem generaliter consideratae *directus effectus* est ablatio reitatis, et ideo passio Christi in quantum causans per modum satisfactionis, valuit directe ad remotionem offensae quam homines peccando incurrunt; indirecte vero, id est ut removens prohibens, ad restitutionem gratiae, secundum quod gratia consideratur ut principium beatitudinis in peccati poenam amissae (1).

Ast, haec ipsa restauratio gratiae in hominibus causam directam habere debuit, et non solum indirectam quae tantum removet impedimentum. Hinc secundo, passionis causalitas dicitur fuisse etiam *per modum meriti.* Meritum autem et merces ad idem referuntur. « Id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur « pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium « ipsius » (2). Intelligitur ergo in passione Christi valor quidam Deo exhibitus, pro cuius recompensatione coelestes gratiae thesauri fuerunt rursus humano generi aperti.

Porro ad eamdem causalitatem, sive satisfactoriam sive meritoriam, pertinent duo sequentes modi, scilicet *per modum sacrificii,* et *per modum redemptionis.* Nam cum dico *per modum sacrificii,* intendo quod passio per quam Christus satisfecit et meruit, fuit opus excellens virtutis religionis, id est verum ac proprium sacrificium. Et similiter cum dico *per modum redemptionis,* explico specialem quemdam respectum qui attendi debet in satisfactione crucis. Quia enim iuste ordinaverat Deus ut ra-

(1) Nota quod gratia sanctificans dupliciter consideratur. PRIMO, ut principium rectae habitudinis ad Deum, seu conversionis et debitae ordinationis ad finem ultimum, utique in praesenti ordine elevationis ad ordinem supernaturalem. Et hoc modo, privatio gratiae habet rationem habitualis a Deo aversionis, i. e. *culpae.* SECUNDO, ut principium beatitudinis nostrae, perfectionis animae nostrae, summi bene esse animae nostrae. Et hoc alio modo, privatio gratiae rationem habet, non culpae, sed *poenae:* poenae quidem damni, non re, sed tamen formalitate ab ipso culpae reatu distinctae. Et sic consideratur in praesenti.

(2) S. Thom. 1-2, Quaest. 114, a. 1.

tione peccati in tyrannicam diaboli servitutem incideremus, statim ac per Christi sanguinem restituimur in libertatem gloriae filiorum Dei, profecto redimimur, pretio quidem soluto, non diabolo cui nullum ius inerat, sed Deo, quo permittente et ordinante, humanum genus captivitatem incurrerat.

Verum in causalitate hactenus exposita nondum apparuit causalitas efficiens respectu gratiae hominibus restituendae. Ultimo igitur quaerit S. Thomas, utrum passio quae causavit per modum satisfactionis et meriti, aliquid etiam contulerit *per modum efficientiae.* Cui quaestioni respondet affirmative dicens: « Duplex est efficiens, principale et instrumentale. Efficiens qui« dem principale humanae salutis est Deus. Quia vero humanitas « Christi est divinitatis instrumentum, ideo ex consequenti, om« nes actiones et passiones Christi instrumentaliter operantur in « virtute divinitatis ad salutem humanam. Et secundum hoc, « passio Christi efficienter causat salutem humanam ». Non quod in ipso actu transeunte passionis adfuerit virtus quaedam instrumentalis effectiva gratiae in nobis, sed quia, patiente humanitate quae unita erat divinitati ut eius instrumentum ad nostrae salutis operationem, debitum fuit ut per ipsammet, puta per sacramenta a Christo pro nobis passo instituta et iugiter in eius nomine administranda, conferretur gratia in passione promerita. Et pro tanto passio dominica dicitur accepisse a divinitate unita, praeter valorem infinitum in genere meriti, virtutem etiam operatoriam in genere efficientiae.

Caeterum, cum S. Thomas art 6, ad 3um dicit, « quod passio « Christi secundum quod comparatur ad divinitatem eius, agit « per modum efficientiae, in quantum vero comparatur ad vo« luntatem animae Christi, agit per modum meriti; secundum « vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum « satisfactionis »: constat distributionem fieri sensu accommodo, non per membra se invicem excludentia. Nam in passione efficaci praecipue consideratur unio naturae patientis ad divinitatem, et in formali ratione meriti consideratur actionis honestas prout a creata voluntate est, et in formali ratione satisfactionis consideratur poenalitas quae in carne fuit maxime conspicua. Constat

tamen quod non est satisfactio nisi poena sit voluntarie suscepta, nec satisfactio condigna pro peccato nisi a divinitate unita valorem accipiat, et sic dicendum de aliis.

His igitur praemissis ad intelligentiam terminorum et totius status quaestionis, videndum est primo, quaenam rationes contra unumquemque ex assignatis causalitatis modis militare videantur.

Videretur autem dicendum quod passio Christi non causavit salutem nostram *per modum satisfactionis.* Sic enim pro nobis satisfecisset Christus. Sed nemo satisfacit pro altero, quia eiusdem est satisfacere cuius est peccare, sicut patet in aliis poenitentiae partibus quae sunt contritio et confessio. Insuper absonum est innocentem pati pro reo, quia poena non est nisi ad emendationem delinquentis.

Nec *per modum meriti,* quia testante apostolo ad Rom. III-24, iustificamur gratis per gratiam. Si autem Christus meruisset salutem nostram, iustificatio non esset gratia, sed merces. Praeterea meritum nullo modo potest esse posterius tempore, eo quod per meritum acquiritur, ut dicitur supra, Quaest. 19, a. 3, et iterum de Verit. Quaest. 29, a. 6. Sed gratia data est patribus antequam Christus pateretur. Non ergo passio causavit salutem antiquorum per modum meriti.

Rursus nec *per modum sacrificii,* quia in omni vero sacrificio oportet victimam mactari a sacerdote qui offert. In cruce autem Christus seipsum non mactavit, sed fuit occisus a crucifixoribus qui sacerdotes non erant, et non fecerunt sacrum sed purum sacrilegium.

Adhuc, nec *per modum redemptionis.* Tunc enim aliquis redimitur, quando extrahitur a potestate detinentis, pretio soluto. Sed detinebamur a diabolo cui Christus nullum pretium solvit aut solvere potuit. Ergo, etc.

Nec tandem *per modum efficientiae,* quia prorsus repugnat ut causa efficiens sit tempore posterior quam suus effectus: non ergo potuit passio Christi habere efficientiam respectu patrum antiquorum. Sed nec etiam respectu nostri, quia pariter impossibile est ut causa efficiens causet quando iam non est: passio

autem Christi fuit aliquid transiens et momentaneum. Nullo ergo modo causavit salutem hominum per modum efficientiae.

Sed contra est quod omnes modos assignatos Scripturae et Patres apertissime tradunt.

Primo docent Scripturae Christum fuisse a Patre missum in mundum ut portaret iniquitates humani generis (Is. LIII, per totum). Ut per sui immolationem destrueret chirographum decreti quod erat contrarium nobis (Coloss. II-14). Ut fieret agnus tollens peccatum mundi (Ioan. I-29). Ut pro peccato victima expiatoria offerretur, non quidem umbratilis et figurativa sicut hostiae V. T., sed vera et perfecta quam aliae omnes praefigurabant (Heb. IX, 11-15; X, 1-12). Denique in evangelio, Matth. XX-28, et Marc. X-45, ipse Christus dicit se venisse ut daret animam suam λύτρον pro multis [1]. Ergo passio Christi causavit salutem nostram per modum satisfactionis.

Secundo docent Scripturae homines fuisse redemptos pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi (1 Petr. I, 18-19); iustificatos in sanguine ipsius, (Rom. V-9); per eumdem sanguinem consecutos fiduciam in introitu sanctorum, (Heb. X-19), etc. Ergo effusio sanguinis Christi fuit valor cuius intuitu nobis restituitur gratia et aeterna beatitudo: quod est passionem eius causasse nostram salutem per modum meriti et redemptionis.

Tertio docent Scripturae mortem Christi fuisse oblationem, hostiam, sacrificium pro peccato, iis ipsis formulis adhibitis quibus sacrificia proprie dicta in V. T. significabantur (Eph. V-2; 2 Cor. V-21, etc.). Imo apostolus in tota continenter ad Hebraeos epistola ex professo explicat quomodo Christus, cum sit veri nominis sacerdos, et longe praestantior sacerdotibus Aaronicis, offerre debuit meliorem hostiam, id est seipsum, per proprii sanguinis effusionem (Heb. VIII-5; IX, 11-26; X, 10-12, etc.).

[1] Equidem modernistae dicunt quod uterque locus, tum apud Matthaeum tum apud Marcum, confictus fuit sub influxu theologiae Paulinae. Non secus ac narratio coenae, ubi apud synopticos legitur: *hic est sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et totidem sunt haereses, de quibus si vel umbram probationis quaeras, frustra quaeres: nihil et praeterea nihil.

Ergo passio Christi causavit nostram salutem per modum sacrificii ([1]).

Quod demum ratione superius declarata causaverit etiam per modum efficientiae, satis evidenter constat, quia iustificationis gratia ad nos non derivat nisi per sacramenta in re vel in voto, prout suo loco solet demonstrari. Hinc, non solum intuitu meritorum Christi confertur nobis gratia, sed etiam per ipsum Christum pro nobis passum confertur, hoc est, per ministros eius et per media ab eo instituta tamquam suae redemptionis applicativa ([2]). Et hanc passionis efficientiam significavit fluxus sanguinis et aquae ex aperto latere Salvatoris, ut docent Augustinus, tract. 120 in Ioan., Chrysostomus, hom. 85 in Ioan., Bonaventura, opusc. de ligno vitae, et alii Patres passim.

Ad 1um ergo dicendum quod contritio ex sua essentiali ratione est dolor de peccato *commisso,* quo homo retractat deordinationem suae voluntatis, et rectificat se, vel perfecte vel saltem initialiter, circa ultimum finem. Non ergo salvari potest ratio contritionis, nisi in eo ipso qui peccatum commisit. Similiter propria confessionis laus reponitur in hoc, quod ipse peccator reatum suum humiliter agnoscit, et cum salutari verecundia declarat suum delictum. Satisfactio autem generatim dicit quamdam restitutionem pro honore laeso ad iustitiae aequalitatem; porro restitutionem efficere potest, non solum ipse debitor, sed alius etiam qui loco eius se subrogat. Caeterum, cum satisfactio Christi praecesserit ut causa universalis, quae non excludit, sed magis exigit causas proximas et subordinatas, profecto non est consequens quod nihil remaneat peccatoribus agendum ad propriorum remissionem delictorum, ut infra dicetur, Quaest. 49.

([1]) Cf. Card. Franzelin, de Incarn. Thes. 48.

([2]) Sane vero, si de potentia absoluta loquamur, fieri potuisset ut Christus homo solum mereretur gratiam, Deus vero illam nobis per se dispensaret, secluso omni ministerio humanitatis assumptae. Sed hoc rectus ordo non ferebat, quia si humanitas est organum divinitatis, debuit etiam esse administra eorum quae merito comparavit. Ac per hoc, sicut a Christo pro nobis passo oritur meritum, ita ab eodem descendit dispensatio et effectio bonorum quae patiendo nobis promeritus est.

Ad id autem quod addebatur, poenalitatem scilicet non esse nisi ad emendationem delinquentis: in primis negandum est absolute assumptum, nam principalis finis poenae est redintegratio violati ordinis iustitiae, ut pulchre ostendit S. Thomas 1-2, Q. 87, a. 1. Insuper passio pro nobis a Christo tolerata, praescindendo etiam ab interna eius virtute, vim emendatoriam habuit quam maximam, dum summa peccati gravitas, summa item Dei sanctitas et iustitia, excellens demum animarum pretium ac dignitas ita fuerunt in ea manifestata, ut inde efficacissime moveamur ad aversandum peccatum et Deum redamandum, atque in spem firmissimam erigamur salutis consequendae.

Si autem sumatur argumentum ex eo quod semper iustitiae et honestati contrarium est, pro reo innocentem puniri, considerandum est quomodo non oporteat confundere poenam simpliciter cum poena satisfactoria. Cum enim sermo est de pura poena vindicativa quae *coactione* infligitur propter culpam, sic contra iustitiam est ut sit in eo qui nec culpam habet, nec culpae est particeps. Sed poena satisfactoria longe alius rationis est, utpote sponte ac libere suscepta in reparationem, et nihil sane prohibet quominus innocens violati ordinis iustitiae voluntarius reparator accedat. Quin imo, nedum repugnet sensui morali, maximum potius habet decus, ingentemque laudem, quod qui culpae particeps non fuit, pro iis qui culpam commiserunt respondeat, voluntate et amore unum cum eis effectus, ut ait S. Thomas 1-2, Q. 87, a. 7. Quia igitur in passione Christi non simplex ratio poenae, sed poenae satisfactoriae consideratur, constat nihil fuisse contrarium iustitiae in hoc quod ipse innocens poenam pro reis sustineret.

Ad 2um dicendum quod iustificatio est semper gratuita *respectu nostri,* tametsi fuerit pretio sauguinis Christi Salvatoris acquisita. Unde signanter dicit apostolus ad Rom. III-24: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu.* Sed nec obstat quod gratia data sit hominibus, etiam antequam Christus veniret et nos redimeret, quia non eadem est conditio meriti quo quis *sibi ipsi* meretur, et meriti quo *aliis* meretur. Nam meritum personale respicit iustitiam di-

stributivam per quam praemium datur secundum dignitatem in ipsa persona praemiata exsistentem. Et hoc modo « meritum est « causa praemii *secundum reductionem ad causam efficientem, in « quantum meritum facit dignum praemio, et per hoc ad prae- « mium disponit.* Id autem quod est causa per modum efficientis, « nullo modo potest esse posterius tempore, eo cuius est causa; « unde non potest esse quod aliquis mereatur id quod iam « habet » (1). Sed meritum Christi pro nobis, non distributivam, sed commutativam potius iustitiam respiciebat, in quantum non causavit inducendo dispositionem sive dignitatem ad praemium, sed pure et simpliciter per modum finis sive obiecti, ut *id cuius gratia* aliquid conceditur. Et hoc modo meritum potest esse tempore posterius suo effectu, maxime apud eum cui omnia futura praesentia sunt. « In iustitia commutativa contingit quandoque « quod praemium, vel id quod est loco praemii, praecedat me- « ritum, ut patet in emptione et venditione. Qui enim rem em- « ptam prius accipit quam pretium solvat, quodammodo prae- « mium ante meritum accipit » (2). Multo igitur magis, causalitas meritoria in Christo se extendere potuit ad eos etiam homines qui eius adventum praecesserunt.

Ad 3um dicendum quod *iuxta superius praemissa* (3), materialis mactatio non est necessario ponenda a sacerdote, sed satis est si per ipsum destructio victimae quodammodo consummetur et ordinetur ad significandum honorem debitum Deo, modo explicato. Nihil ergo ex hac parte deesse potuit in morte crucis, quominus verum esset sacrificium. Sed nec deerat institutio legitima, cum Christus fuerit a Patre ordinatus sacerdos ad se ipsum cruente offerendum, ut testimonia Scripturae satis superque evincunt.

Ad 4um dicendum quod redemptionis ratio non requiritur ut pretium solvatur ei qui captivum detinet. Sufficit enim ut sol-

(1) S. Thom. de Verit. q. 29, art. 6.
(2) S. Thom. in II, D. 27, a. 4. ad 2m.
(3) Supra, Thes. 22.

vatur ei ex cuius permissione et iusta ordinatione captivus incurrit servitutem ([1]).

([1]) Quantum ad rationem redemptionis quam ex industria obscurant modernistae, iterum atque iterum observa quod *redemptio* a captivitate diaboli idem prorsus est ac *satisfactio* pro peccato, et *meritum* pro gratia nobis restituenda, addito solum respectu ad conditionem servitutis in qua versabamur. Et huius redemptionis pretium diabolo utique solutum non fuit, qui nullum profecto ius habebat, sed meram dominationem de facto. Quando autem PP. dicunt quod Deus cum diabolo, non potentia seu violentia, sed iustitia egit in redemptionis opere: sensus non est quod diabolo compensatio aliqua aut fuerit appensa, aut debuerit appendi ad hoc ut salva esset iustitia in nostra liberatione. Quis enim sanae mentis compos tam enormia potuisset unquam imaginari? Et tamen ista sunt quae serio imputant Patribus usque ad Anselmum, i. e. per integrum primum millenarium aetatis christianae! Et congerunt testimonia ut hoc persuadeant!

Sed animadvertendum cum Bernardo contra sophismata Abelardi, epist. ad Innocentium II, n. 22, quod dominatio diaboli dupliciter considerari potest: vel ex parte ipsiusmet diaboli qui illam exercebat, vel ex parte Dei qui illam permiserat et in peccati poenam ordinaverat.

Si ex parte Dei consideretur illa in nos diaboli dominatio, sic erat iusta, et iustitia egit Deus in nostra liberatione, quia sicut iustum fuerat ut pro merito peccati seu consensus diabolo dati, ordinaret Deus ut in diaboli tyrannidem incideremus: sic iustum fuit ut pro satisfactione seu pretio a Christo persoluto, Deus destrueret chirographum captivitatis nostrae, nosque in pristinam restitueret libertatem. Si autem ex parte diaboli consideretur dominatio in nos exercita, sic erat iniusta, contra ius acquisita, ait Bernardus, nequiter usurpata. Et ideo, ne per somnium quidem de diaboli damno resarciendo, ut iusta esset redemptio, sermo esse potest. Adhuc tamen PP. dicunt, Deum cum diabolo, respectu ipsius diaboli, non tam potentia egisse, quam iustitia, *hoc sensu, quod in deturbatione diaboli a dominio quod de facto habebat, et quo privari utique poterat solo nutu potentiae, adhuc servatus est quidam iustae retributionis modus:* dum scilicet deturbatio haec fuit proportionata poena intemperantiae qua Christum qui nullo modo ei obligatus erat, persecutus est ad mortem, mortem autem crucis. Et in eodem sensu crux muscipula fuit in qua captus est diabolus, qui meruit omnium captivorum amittere servitutem, dum nihil sibi debentis, persecutus est libertatem, ut S. Leo ait, serm. 11 de passione Domini.

Itaque, si qui unquam Patres dixerunt Christum tradidisse vitam suam diabolo ad hoc ut redimeret nos, intellige: eodem modo quo legitur tradidisse illam Iudaeis, Ierem. XIII-7, permittendo se ab eis oc-

Ad 5um denique dicendum quod passio non causavit iustificationem antiquorum in V. T. exsistentium per modum efficientiae, sed per modum meriti tantum, ut ratio facta optime probat. Similiter non causat efficienter iustificationem eorum qui sunt in Novo Testamento, prout in sua transeunte actualitate considerata, sed in quantum oportuit ut media effectiva gratiae ab ipso Christo pro nobis passo descenderent, sicut dictum est initio propositionis in expositione terminorum.

Sed iam de quantitate seu perfectione redemptionis agendum est, ut sequitur.

THESIS LII.

(Quaest. 48 — Art. 2-4).

Christus ex rigore iustitiae satisfacere et mereri nequaquam potuit. Quo tamen non obstante, satisfactio eius ac redemptio fuit ex sua intrinseca dignitate, non solum aequivalens et condigna, verum etiam superabundans, imo infinita.

§ 1.

Nonnulli theologi in satisfactione et merito Christi ponunt *rigorem iustitiae,* qui profecto iustitiae rigor multum addit supra condignitatem et superabundantiam redemptionis. Cum enim iustitia consistat in quadam mutua obligatione unius ad alterum, non satis est ad iustitiae rigorem ut habeatur aequalitas inter meritum et mercedem, sive satisfactionem et offensam. Sed insuper requiritur ut qui meretur vel satisfacit, praecise in quantum huiusmodi, non sit sub dominio eius a quo meretur vel cui satisfacit, nec ab eo habeat virtutem operandi et applicationem ad agendum. Alias illud quod dat seu offert non est simpliciter

---

cidi. Caeterum in manus solius Patris commendavit spiritum suum, et quidquid in morte crucis fuit iustae recompensationis pro liberatione hominum, nonnisi absurde, impie, blasphematorie diceretur diabolo expensum. Puderet sane in talium refutatione immorari, nisi magno eruditionis apparatu, haec modernistae serio Patribus imputarent, et in nostro dogmate contineri contenderent.

et absolute *suum,* sed est potiori titulo *illius cui offertur,* et ideo non amplius intercedit perfecta illa aequalitas sive independentia, sine qua impossibile est ut acquiratur operanti ius strictum adversus eum in cuius obsequium operatur.

Hinc in merito quo aliquid meremur a Deo, non est nec esse potest *iustitia simpliciter,* cum omnia merita nostra sint ipsius Dei dona. Sed invenitur tantum *quidem deficiens iustitiae modus,* secundum quod actus nostri (quibus per gratiam Spiritus Sancti accrescit condignitas ad mercedem vitae aeternae), sunt *etiam,* ratione liberi arbitrii, in nostro dominio nostraque potestate, et ad Dei obsequium sub praemii repromissione ordinantur. « Sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est « actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel « laboris est actus iustitiae. Iustitia autem aequalitas quaedam « est, et ideo simpliciter est iustitia inter eos quorum est sim- « pliciter aequalitas; eorum vero quorum non est simpliciter « aequalitas, non est simpliciter iustitia, sed quidam iustitiae « modus potest esse... Et propter hoc, in his in quibus est sim- « pliciter iustum, est etiam simpliciter ratio meriti et mercedis; « in quibus autem est secundum quid iustum, et non simpliciter, « in his etiam non simpliciter est ratio meriti, sed secundum « quid... Manifestum est autem quod inter Deum et hominem est « maxima inaequalitas, et totum quod est hominis bonum, est a « Deo... Et ideo meritum hominis apud Deum esse non potest « nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis, ita sci- « licet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem « quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit, « sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus « et operationes, ad quod a Deo sunt ordinatae, differenter ta- « men, quia creatura rationalis se ipsam movet ad agendum per « liberum arbitrium; unde sua actio habet rationem meriti, quod « non est in aliis creaturis » (1). Quia igitur talis est conditio nostri meriti apud Deum, nunquam Deus ipse efficitur simpliciter debitor nobis; imo vero, non est debitor nisi sibi ipsi, in quantum

(1) S. Thom. 1-2, q. 114, a. 1.

debitum est ut sua ordinatio impleatur (1). Sed cum ista ordinatio sit de aliquo consequendo per modum retributionis pro liberis operibus praemio proportionatis, adhuc salvatur aliqualis iustitiae ratio, iuxta illud 2 Tim. IV-8: *Reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Constat tamen, haec et similia esse intelligenda secundum exigentiam subiectae materiae, ut scilicet eo modo accipiatur iustitia, quo intercedere potest Creatorem inter et creaturam.

Quae igitur cum ita sint, statim apparet easdem rationes applicari merito ac satisfactioni Christi, quia omnia opera humanitatis eius erant sub dominio divinitatis eodem titulo ac nostra. Nec refert quod persona satisfaciens fuerit persona divina; non enim fuit persona divina operans per naturam divinam, sed per naturam creatam. Porro, etsi unio divinae personae conferre potuerit operationibus humanitatis assumptae quemdam valorem infinitum, non tamen potuit eas subtrahere a dependentia quae essentialiter inest omni rei creatae respectu causae primae. Et re quidem vera, si iustitiae rigor intercessisset, Christus ut homo acquisivisset strictum ius adversus Deum. Sed hoc est impossibile, quia quidquid habetur a creatura est in potestate Dei et sub summo ac supremo dominio eius; ponere autem strictum ius quod potest perimi ab eo ipso erga quem habetur, est contradictorium in terminis.

Non ergo est admittendus rigor ille iustitiae quem quidam, verbo saltem tenus, introducunt (2); neque in hac linea quaerenda est differentia inter Christum et nos. Sed differentia est in duobus. Primo in hoc quod passiones et actiones Domini fuerunt a Patre ordinatae ad merendum et satisfaciendum pro omnibus hominibus quorum caput effectus est. Secundo in hoc quod valor operum ipsius compensavit ultra condignum omnes culpas quae unquam factae sunt vel fient, fuitque superabundans pretium gratiae nobis restitutae, prout nunc restat declarandum.

(1) Ibid. ad 3m.
(2) Cf. Franzelin, de Incarn. Thes. 47.

§ 2.

Videretur tamen dicendum quod satisfactio Christi non fuit aequivalens nec condigna. Cum enim peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habeat ex infinitate divinae maiestatis, condignitas satisfactionis Christi repetenda foret ex infinito valore eius. Sed hoc est impossibile, quia valoris infinitas esse non potuit nisi a divinitate unita, cum tamen oporteat satisfactionis pretium esse ab humanitate, ut iam dictum est supra [1], et obvia ratio ultro ostendit.

Praeterea, non datur infinitum infinito maius; sed peccati iniuria est infinita; non ergo dari potest infinita satisfactio, excedens peccati gravitatem. Et ideo si redemptio Christi fuit aequivalens et condigna, saltem non potuit esse ultra condignum.

Praeterea, dicit apostolus, Coloss. I-24: « Adimpleo ea quae « desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod « est Ecclesia ». Non ergo sufficientes fuerunt passiones Christi, quibus adhuc aliquid superest addendum, et sic, eadem sequitur conclusio ac prius.

Sed contra est id quod dicitur in decretali Clementis VI, Extravang. comm. de poenit. et remiss. c. 2: « Unigenitus Dei « Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere ma- « tris, in qua et ex qua nostrae mortalitatis substantiam divini- « tati suae in suppositi unitate ineffabili unione coniunxit, ut ha- « beret unde hominem lapsum redimeret, et pro eo satisfaceret « Deo Patri... Ipse namque factus nobis a Deo sapientia, iustitia, « sanctificatio et redemptio, non per sanguinem hircorum ac vi- « tulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, « aeterna redemptione inventa. Non enim corruptibilibus auro et « argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pre- « tioso sanguine nos redemit. Quem in ara crucis innocens im- « molatus, *non guttam sanguinis modicam quae tamen propter « unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suf-*

[1] In Quaest. 20, Thes. 32.

« *fecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse...* « Quantum ergo exinde ut nec supervacua, inanis, aut superflua « tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ec- « clesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, *ut* « *sic sit infinitus thesaurus hominibus,* quo qui usi sunt, Dei ami- « citiae participes sunt effecti ».

Et re quidem vera condignitatem satisfactionis Christi aperte demonstrant omnia Scripturae loca in quibus dicimus fuisse *empti, empti pretio magno* (1 Cor. VI-20; ibid. VII-23); *redempti pretioso sanguine agni immaculati Christi* (1 Petr. I-19) etc. Constat enim quod emptio in rei veritate non est, ubi pretium saltem aequivalens non datur.

Superabundantiam vero ipsius redemptionis significat apostolus per emphasim illam: *Pretio empti estis.* Cur enim hoc diceret, cum alioqui quidquid emitur, pretio ematur? Significat ergo magnum et inaestimabile pretium, cuius magnitudo, utpote excedens condigni mensuram, addit supra simplicem emptionis rationem. Et ad idem valet comparatio quam Rom. V, 15-21, inter Adam et Christum instituit apostolus, docens multo maiorem vim habere meritum Christi ad hoc ut gratia abundet in multos, quam habuerit delictum Adae ad hoc ut peccato inficiantur quicumque ab eo carnali generatione procedunt. Unde Chrysostomus, Homil. 10 in epist. ad Rom. dicit: « Quemad- « modum ergo si quis decem obolos debentem aliquem in car- « cerem coniiciat: nec ipsum solum, sed cum eo pariter coniu- « gem ipsius et filios ac servos, illius causa: tum alius veniens, « non decem tantum obolos numeret, sed innumera talenta auri « largiatur, ac vinctum istum in palatium introducat et in supremi « magistratus solium, participemque summi honoris et reliqui « splendoris faciat, non iam foenerator mentionem facere amplius « possit decem obolorum illorum: ita et in nobis factum est. Nam « *multo plura quam debebamus persolvit Christus, ac tanto plura* « *quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit* » [1].

Ratio demum theologica est, quia minima Christi passio

[1] Cf. Petav. de Inc. l. 13, c. 9.

potuisset sufficere, imo vero et ipsa debitum excessisset. Valor enim et aestimabilitas cuiuscumque obsequii ex dignitate suppositi operantis accipit mensuram, ut notum est apud omnes. Et hic nota quomodo aliter influat dignitas Dei offensi in peccati gravitatem, aliter vero dignitas personae operantis in moralem valorem actionum et passionum Verbi incarnati. Nam maiestas Dei offensi in peccati gravitatem non influit nisi media cognitione seu apprehensione offendentis. Et ideo peccatum est quidem in supremo ordine iniuriae ex hoc quod peccator absolute cognoscit Deum quem offendit, sed non contrahit gravitatem simpliciter infinitam, quia divinam maiestatem homo finite tantum et imperfecte apprehendit. At vero dignitas personae operantis per se ipsam dignificat operationes; unde consequens est quod minima etiam Christi reparatio fuisset pretii simpliciter infiniti, tam in ratione meriti quam in ratione satisfactionis. Et ex eodem principio adhuc consequitur quod si consideres opera Christi in sua entitate creata, sic dantur alia aliis absolute maiora et perfectiora. Sin autem illa consideres ut subsunt dignificationi ex divinitate unita derivatae, sic non fuit valor minor in uno quam in altero: imo nec fuit plus valoris *intensive* in omnibus simul, quam in singulis seorsum. Quia tamen ad rationem meriti non sufficit intrinsecus operis valor, sed praesupponere oportet ordinationem Dei deputantis opus ad mercedem, adhuc potuit Christus plus mereri per opera totius vitae quam per singula, atque aliquid per unum obtinere, quod non per aliud.

Ad 1um ergo dicendum quod valoris infinitas in satisfactione Christi provenit quidem *a divinitate unita,* sed est tamen *in ipsa actione humana* per modum simplicis resultantiae a dignitate personae, seu ex hoc solo quod divina hypostasis est hypostasis humanitatis operantis. Cum autem dicitur satisfactionis pretium debere esse ab humanitate, sensus est quod actio satisfactoria debet esse elicitive a natura humana tamquam a causa principali ([1]), non autem quod inveniri debent in natura humana

([1]) Cum dicit S. Thomas satisfactionem condignam pro peccato non potuisse esse nisi ab *instrumento* coniuncto divinitatis, lato sensu

omnia a quibus pendet operatio ipsa, sive quoad suam physicam entitatem, sive quoad moralem valorem. Alias repugnaret omnis ratio meriti et satisfactionis apud Deum, a quo semper habemus et naturalem operandi virtutem, et gratiam ad actus salutares, et motionem qua ad agendum applicamur. Proposita itaque difficultas optime ostendit, non esse hic quaerendum impossibilem rigorem iustitiae; nequaquam vero demonstrat non fuisse in ipsismet actibus liberis humanitatis Christi valorem eiusmodi, qui reparandae offensae comparatus inveniretur aequivalens, imo et in infinitum praeponderans.

Ad 2um dicendum quod peccati gravitas est *simpliciter finita,* tametsi sit inadaequabilis per obsequium purae creaturae, ut initio dictum est in Quaest. 1.

Ad 3um denique dicendum, quod in graeco ad litteram habetur: *Adimpleo in carne mea ea quae reliqua sunt passionum Christi,* (id est, quae posterius adhuc restant toleranda), *pro corpore eius quod est Ecclesia.* Non quod Christus non satis passus sit ad redemptionem nostram, ideoque supplemento martyrum opus habeat. Sed quia iuxta divinam ordinationem oportet ministros evangelii pati in dispensatione thesauri meritorum crucis, per conformitatem ad Christum qui tanta passus est in eius acquisitione. Quasi diceret apostolus: « Multis laboribus, « sudoribus et afflictionibus opus est ad colligendam Ecclesiam, « hominesque ad fidem vocandos, et ad salutem perducendos. « Huiusmodi passiones multas, easque gravissimas, sustinuit « Christus in hac vita et in carne sua mortali, (et hae solae in « ratione causae primariae et universalis nobis fuerunt salutares). « Verum multae adhuc restant tolerandae toto decursu saeculi, « donec tota Ecclesia collecta atque perfecta fuerit; tolerandae, « inquam, ab iis quibus evangelii praedicandi munus incumbit, « quae proinde et Christi passiones dicuntur, quia passiones « sunt ministrorum eius. Harum igitur passionum ego partem

---

sumit instrumentum. Nam operatio satisfactoria fuit ab humanitate ut a causa operante per propriam virtutem; infinitus autem satisfactionis valor resultabat ex infinita dignitate suppositi in quo erat humanitas.

« meam expleo, tamquam minister evangelii laborans pro salute « Ecclesiae » [1]. Sed hinc sponte adducimur ad declarandum qualiter praecesserit meritum Christi ut causa universalis, cuius virtus non provenit ad singulos nisi media applicatione. De qua re specialis in thesi sequenti instituitur disputatio.

THESIS LIII.

(Quaest. 49).

Passio Christi praecessit ut quaedam universalis causa remissionis peccatorum, quam necesse est singulis applicari ad propriorum peccatorum deletionem. Valet autem ad liberationem ab omni malo, perfectamque beatitudinem certo ordine consequendam, et quia ordo iste in hoc maxime consistit, ut per prius constituamur in via ad regnum coelorum, constat merita Christi non excludere merita et satisfactiones nostras, quae recte dicuntur niti meritis et satisfactionibus eius.

Causa universalis hic intelligitur causa ex qua possunt quaecumque peccata remitti, vel praeterita, vel praesentia, vel futura, quin tamen virtus eius, quantum est de se, immediate determinetur ad aliquod subiectum in particulari. Unde indiget per varia media applicari ad singulas personas, ut suum effectum in eis consequatur. Sicut si dicerem solem quamdam universalem causam illuminationis, quatenus continet in se virtutem illuminandi omnes et singulas partes terrae, quas omnes, quantum in se est, aeque indifferenter respicit; quo fit ut ad ipsum illuminationis effectum oporteat virtutem eius singulis applicari per convenientem earumdem partium approximationem et subiectionem ad ipsum.

§ 1.

Prima igitur propositionis assertio facile constat. Manifestum enim est, passionem crucis non fuisse a Deo Patre ordinatam ad hoc ut omnibus et singulis hominibus iustificationis gratia

[1] Estius in cap. 1 epistolae ad Colossenses.

ipso facto proveniret, sed *servato ordine debito,* quo unusquisque Christo pro nobis passo spiritualiter subiicitur et quodammodo coniungitur. Apertissime enim tradunt Scripturae, nos omnes, non obstante redemptione Christi, adhuc nasci in peccato, ac per hoc, necessarias esse certas conditiones ad remissionem peccatorum quam multi de facto non consequuntur. Huc etiam facit comparatio ab apostolo (Rom. V-14) instituta inter Christum et Adam qui fuit *forma futuri.* Nam ut dicitur l. 4 c. Gent. c. 55, « oportet universalem causam applicari ad unumquodque specia- « liter, ut effectum universalis causae participet. Effectus igitur « peccati primi parentis pervenit ad unumquemque *per carnis* « *originem.* Effectus autem mortis Christi pertingit ad unum- « quemque *per spiritualem regenerationem*, per quam homo Christo « quodammodo coniungitur et incorporatur, et ideo oportet quod « unusquisque quaerat regenerari per Christum, et alia susci- « pere in quibus virtus mortis Christi operatur ». Unde et Tridentinum, Sess. IV, cap. 3: « Sicut revera homines nisi ex se- « mine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum « ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam in- « iustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nun- « quam iustificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis « eius, gratia qua iusti fiunt, illis tribuatur ». Neque in hoc generali principio specialis nobis est cum protestantibus controversia, quandoquidem fatentur et ipsi, opus esse ut passio Christi singulis adhibeatur ad propriorum deletionem peccatorum. Sed inter ipsos et nos quaestio est tantum de mediis per quae redemptionis virtus applicatur; nam ipsi dicunt medium esse solam fidem, quod negant catholici. Quare tota ratio dissidii discutienda relinquitur in materia de iustificatione et sacramentis ([1]).

([1]) Nota iustificationem fieri duplici modo. Primo modo *per sacramentum in re susceptum,* et tunc non requiritur alia hominis dispositio praeter illam quae removet obicem, quia sacramentum ex virtute sanguinis Christi instrumentaliter operatur interiorem renovationem. Alio modo per sacramentum susceptum *solum in voto*, et tunc requiritur id quod est ex natura rei ultima ad sanctificationis formam dispositio, id est actus charitatis sive contritionis perfectae. Sed quia fides charitate

In iis autem quibus applicatur, passio Christi ad hoc valet, ut non solum a peccato et diaboli servitute, sed etiam ab omnibus peccati sequelis *certo ordine* liberentur. Certo, inquam, ordine: quia sicut Christus multas passiones sustinuit priusquam ad immortalitatis gloriam perveniret, sic debent fideles eius prius subiacere passionibus, quasi portantes in seipsis insignia crucis iuxta illud apostoli, Rom. VIII-17: *Si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Accedit quod non congruebat ordini a Deo instituto, ut effectus passionis Christi in nobis consisteret in quadam immutatione physica, sensuum experimento subiecta. Habemus enim formam fidei nostrae in fide Abrahae, qui « obe- « divit in locum exire quem accepturus erat in haereditatem, et « exiit nesciens quo iret ». Et ideo nequidem decuit ut regenerati per baptismi gratiam, a concupiscentia immunes evaderent, statimque redintegrarentur in perfecto illo dominio quod homo innocens habebat in inferiores vires. Hoc enim caderet sub experientia sensus, et sic meritum fidei multum imminueretur. Denique, quotiescumque aliquid reducitur de uno extremo in aliud extremum oppositum, oportet ut gradibus quibusdam procedatur. Conveniens igitur fuit ut statui peccati succederet status iustificationis in quo adhuc ingemiscimus gravati, donec ultimo perveniamus ad plenam libertatem gloriae filiorum Dei, per Dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.

§ 2.

Hactenus de modo quo ex virtute passionis Christi provenit ad homines prima iustificationis gratia. Quam iustificationem constat esse quoad nos omnino gratuitam, et ex solis meritis Redemptoris, sive in sacramento illam consequamur, sive extra

---

formata nonnisi per gratiam Salvatoris homini divinitus inspiratur, constat hominem utroque modo iustificari, media applicatione redemptionis quae est in Christo Iesu.

sacramentum. Verum postquam iustificatus est homo, operatur ipsemet ad merendum et satisfaciendum, gratia cooperante, et quaenam sit in hac parte redemptionis causalitas, paucis restat declarandum.

Considerandum igitur est quod ordo reparationis nostrae requirit ut per prius constituamur *in via* ad regnum coelorum. *Sic currite,* inquit, *ut comprehendatis.* Et quia quisquis constituitur in via ad terminum, ideo in via ponitur, ut per propriam operationem consequatur finem, necesse est ut sit locus propriis nostris meritis, quae non solum non excluduntur per merita crucis, sed magis eis innituntur tamquam suo principio ac fundamento: quatenus *ex meritis illis est, et gratia principium meriti, et bonorum nostrorum operum ordinatio ad mercedem vitae aeternae.* Porro, tantum abest quin per hoc derogetur vel minimum perfectioni redemptionis, ut inde potius eius fecunditas commendetur quam maxime. Quod egregie contra protestantes prosequitur Bellarminus, l. 5 de iustif. c. 5: « Argumentum, in-
« quit, quanto ab adversariis magis rhetorice, vel potius tragice
« amplificatur, tanto cum discutitur, inanius invenitur. Siquidem
« merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis
« nascuntur, et quidquid ipsa iustorum merita laudis habent, id
« totum redundat in laudem meritorum Christi. Ipse est enim
« vitis, nos palmites; et sicut palmes non potest ferre fructum
« nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo
« facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit ut diceret detrahi
« de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant:
« ita nemo nisi plane stultus dicere potest detrahi de gloria
« Christi, si servi eius per gratiam eius, per spiritum eius, per
« fidem et charitatem ab ipso inspiratam, bona opera faciant
« quae ita vere sint iusta, ut eis debeatur a iusto iudice corona
« iustitiae. At, inquiunt, si requiruntur merita hominum, non
« igitur sufficiebant merita Christi. Non ita est. Nam merita
« hominum non requiruntur propter insufficientiam meritorum
« Christi, sed propter maximam eorum efficaciam. Meruerunt
« enim Christi opera apud Deum, non solum ut salutem conse-
« queremur, sed etiam ut eam per merita propria consequere-

« mur. Sicut etiam, quod Deus sole utatur ad mundum illustran-
« dum, igne ad calefaciendum, aura et pluviis ad refrigerandum,
« non est in causa imbecillitas Dei, quasi non posset ipse per
« se absque sole, igne, aura, mundum illustrare, calefacere, re-
« frigerare, sed omnipotentia eius qua potuit non solum ista
« facere, sed etiam rebus creatis vim faciendi tribuere... Denique
« nos ipsi non minus salutem nostram totam atque integram
« Christo acceptam referimus cum illam meritis nostris acqui-
« rimus, quam si absque ullis meritis nostris illam acciperemus.
« Imo multo magis illi nunc nos debitores esse fatemur, quando-
« quidem *non solum per eius gratiam salvamur, sed etiam per*
« *eamdem nobilissimo modo, honorificentissimoque salvamur* ». Qui enim habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum; unde nobilius habetur beatitudo per meritum, quam sine merito.

Hinc rursus apparet, nihil derogari perfectioni redemptionis ex hoc quod per indulgentias, superabundantes etiam sanctorum satisfactiones vivis ac defunctis applicantur, ut eis prosint ad remissionem temporalis poenae peccati iam remissi quoad culpam. Ratio est quia et illae satisfactiones nituntur satisfactioni ac merito Christi, nec propter eiusdem insufficientiam adiunguntur thesauro quem commisit Deus per Beatum Petrum coeli clavigerum fidelibus salubriter dispensandum: sed *primo* ut commendetur excellentia satisfactionis crucis, quae in tantam fructuum abundantiam excrevit; *secundo* ut conveniens honor deferatur sanctis quos sibi associat Christus ad bonum aliorum procurandum; *tertio* ut ostendatur perfecta unitas corporis mystici, et quanta sit communio bonorum in ea Ierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum. Et similes rationes aliis similibus instantiis facile possunt adhiberi.

COROLLARIUM.

Pro omnibus hominibus mortuus est Christus, et ideo redemptio eius est universalis quoad sufficientiam, tametsi passionis fructus, nec ad omnes proveniat quoad efficaciam, nec etiam proveniat aequali modo ad eos ipsos qui re et actu participes eius efficiuntur.

Coincidit fere haec quaestio cum quaestione de voluntate Dei salvifica. Vult enim Deus salutem eorum omnium pro quibus mortuus est Christus, et vicissim pro iis omnibus mortuus est Christus, quorum salutem vult Deus. Sed in Deo generalis voluntas salutis omnium non est nisi voluntas sufficientiae mediorum. Unde generalitas redemptionis in hoc est, quod Christus sua passione instituit universalem causam liberationis nostrae, nemine excluso, providitque media applicationis quae *de se* possunt omnibus et singulis adhiberi, omnesque et singulos ad iustificationis gratiam perducere: nisi tamen obstet, vel libera hominum culpa sive renitentia, vel etiam (quod attinet ad parvulos), regularis cursus causarum naturalium, quemadmodum in materia de baptismo solet exponi. Ideo satis conciliatur redemptionis universalitas cum defectu efficaciae in multis, multoque magis cum diversissimis ipsius efficaciae gradibus et modis, ut per se constat.

Et redemptionem quidem non fuisse ad solos praedestinatos restrictam, est de fide definita ex condemnatione quintae propositionis Iansenii: « *Semipelagianum est dicere, Christum pro* « *omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fu-* « *disse.* Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa; et « intellecta eo sensu ut Christus pro salute duntaxat praedesti- « natorum mortuus sit, impia, blasphema..., et haeretica ». Nunc autem, Christum pro omnibus sine exceptione fuisse passum, sin minus definitum, at certe theologice est certissimum, propter Scripturae testimonia a quorum sensu obvio et naturali nulla est excogitabilis ratio recedendi. Nam, 2 Cor. V, 14-15, dicitur: *Si*

unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus. Et 1 Tim. II, 5-6 : *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et ibid. IV-11 : *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Maxime fidelium, inquit : tum quia ad eos iam provenit efficacia redemptionis saltem inchoative per fidei lumen, tum quia ratione characteris baptismalis habent ius participandi omnes divitias quas in Ecclesiam copiose contulit Christus.

Pro eadem veritate facit etiam missio apostolis data : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Si enim ad omnes indiscriminatim mittuntur ut redemptionis pretium ubique terrarum dispensent, ergo ad omnes etiam se extendit redemptio, et omnibus parata est medicina. Cuius rei *signum perenne* est catholicitas verae Ecclesiae, quae per totum orbem ex omnibus generibus et categoriis hominum congregatur. Ideo Augustinus pugnans contra Donatistas qui Ecclesiam veram in sola Mauritania consistere dicebant, confutare eos solet, ducto argumento ab effusione sanguinis Christi pro omnibus : « Ecce Christus « passus est, inquit [1], ecce mercator ostendit mercedem, ecce « pretium quod dedit, sanguis eius fusus est. In sacco ferebat « pretium nostrum : percussus est lancea, fusus est saccus, et « manavit pretium orbis terrarum. Quid mihi dicis, o haeretice ? « non est pretium orbis terrarum ? Africa sola redempta est ?... « Psalmum attendite, psalmum legite. Ecce Christus passus est, « sanguis eius fusus est : ecce redemptor noster, ecce pretium « nostrum. Quid emit dicatur mihi. Quid interrogas ? Codicem « portas, ibi habes unde emit, ibi quaere quid emit. Ecce ibi ha- « bes : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi « fines terrae.* Fines enim terrae commemorabuntur. Sed haere- « tici obliti sunt, et ideo audiunt omni anno. Putas ibi ponunt « aures quando lector ipsorum dicit : *Commemorabuntur et con- « vertentur ad Dominum universi fines terrae ?* Eia, forte unus « versus est ; aliunde cogitabas, cum fratre tuo fabulabaris quando

[1] Enarrat. in Psalm. XXI, habita in solemnitate passionis Domini.

« illud dixit; attende quia repetit, et surdos pulsat: *Et adora-*
« *bunt in conspectu eius universae patriae gentium.* Adhuc surdus
« est, non audit, pulsetur iterum: *Quoniam Domini est regnum,*
« *et ipse dominabitur gentium.* Tres istos versus tenete, fra-
« tres... » etc.

Nunc autem solent arguere ex relativa paucitáte eorum qui etiam post consummatam redemptionem ad Ecclesiam pertinent, quasi hoc nequaquam posset componi cum nostro dogmate de redemptionis universalitate. Sed considerandum est primo, sermonem esse de universalitate quoad sufficientiam, non autem quoad efficaciam. Considerandum est secundo, media salutis late diffundi etiam extra Ecclesiae fines, ut in aliis theologiae locis explicatur ([1]). Considerandum est denique, nos nihil scire posse de viis providentiae circa singulos homines in particulari, et ideo nullum praesto esse *in ordine factorum* sat firmum fundamentum ad quamcumque conclusionem in quamlibet partem. Unde exspectandus est iudicii dies in quo iustificabitur Deus in sermonibus suis, apparebitque qua ratione media proxime sufficientia ad consequendum redemptionis fructum nemini adulto unquam defuerunt, nisi propter neglectam gratiam remote saltem sufficientem.

QUAEST. L-LII.

DE CHRISTI MORTE, SEPULTURA, ET DESCENSU AD INFEROS

Deinde considerandum est de iis quae passionis consummationem consecuta sunt usque ad resurrectionem exclusive. Comprehenduntur autem una propositione ut sequitur.

([1]) Vide de Ecclesia, tom. 2, Thes. XVI, § 3.

THESIS LIV.

Christus est vere mortuus per animae separationem a corpore, manente interim unione disiunctarum partium ad suppositum Verbi. Fuit etiam sepultus, ad veritatem mortis magis comprobandam, et tribus diebus tribusque noctibus, secundum Scripturas permansit in sepulcro. Denique statim ac in cruce exspiravit, descendit ad inferos, et per praesentiam animae suae penetravit in limbum patrum, quos ipso instanti aeternae gloriae effecit participes.

§ I.

Christum esse mortuum, aperte in evangelio traditur. Imo ut de mortis veritate certissime constaret, plura fuerunt divinitus ordinata et disposita, praesertim vero apertura lateris, et consequens fluxus sanguinis et aquae, in quo, ut periti perhibent, indubium exstinctae vitae signum apparuit.

Humanitate autem destructa, divinitas nec ab anima nec a corpore mortuo fuit separata, sicut colligitur ex symbolo fidei, ubi de Filio Dei dicitur quod sepultus est et descendit ad inferos. Nisi enim tam corpus iacens in sepulcro, quam anima ad inferos descendens, permansissent ei copulata in unitate hypostasis vel personae, nequaquam ista ei vere attribuerentur (1). Ad

(1) Nec obstat quod communiter dicimus Titium sepeliri, etsi corpus quod terrae mandatur non sit actu corpus personae Titii, sed solum aliquando fuerit. Nam in puris hominibus, morte interveniente, suppositum destruitur, et non remanent nisi eius partes. Insuper cadaver remanens continuat ad sensum suppositum ipsum, cuius erat ratione materiae quaedam pars constitutiva. Et ideo, improprie quidem, sed tamen per naturalem synecdochen qua pars sumitur pro toto, dicimus Titium sepeliri. Sed in Christo nihil horum verificatur, quia Christo moriente, suppositum Filii Dei permanebat. Insuper humanitas et partes eius non fuerunt unquam quaedam suppositi constitutiva. Ideo, si in morte Christi non perdurasset unio hypostatica ad partes humanitatis destructae, nullum fuisset fundamentum tribuendi ipsi personae

rem Damascenus de fide orthod. l. 3, c. 27 : « Quamvis igitur « Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab « immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen a neutro, hoc « est, nec ab anima nec a corpore quoquo modo seiuncta est ; « neque propterea hypostasis una in duas divisa fuit. Siquidem « et corpus et anima simul ab initio in Verbi persona exsisten- « tiam habuerunt, ac licet in morte divulsa sint, utrumque tamen « eorum unam Verbi hypostasis semper habuit. Quamobrem « una eademque Verbi hypostasis, tum Verbi, tum animae, tum « corporis erat hypostasis ». Hinc aliquid in morte Christi considerari datur quod non contingit in caeteris, prout iam supra fuit declaratum. Permansit scilicet suppositum simpliciter idem, tametsi de hoc supposito per triduum mortis non potuerit dici quod esset homo, sed solum homo mortuus. Insuper, anima fuit eadem tam natura quam supposito ; corpus vero, utique supposito idem, fuit nihilominus specie seu natura diversum : pro quanto non habuit formam substantialem corporis vivi, sed aliam quae corpori mortuo propria est. « Corpus Christi mortuum et « vivum, inquit S. Thomas, Quaest. 50, a. 5, non fuit simpliciter « idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum vita sit aliquid « de essentia corporis viventis ; est enim praedicatum essentiale, « non accidentale. Unde consequens est quod corpus quod desi- « nit esse vivum, non totaliter idem remaneat. Si autem dicere- « tur quod corpus Christi mortuum totaliter idem remanserit, « sequeretur quod non esset corruptum, corruptione dico mor- « tis [1], quod est haeresis Gaianitarum ».

Filii Dei, etiam improprie et per synecdochen, tam sepulturam quam descensum ad inferos. Nam si amputato atque inhumato brachio, non potest etiam improprie dici homo inhumari, multo minus, separato corpore a persona Verbi, eoque inhumato, dici potuisset sepeliri Filius Dei. Et dico multo minus, quia brachium est pars integrans humanum suppositum, quod de humanitate vel partibus eius respectu personae Verbi, omnino non verificatur.

[1] Nota hic cum Damasceno, l. 3 de fide orth. c. 28. quod *corruptionis* nomen dupliciter sumitur. Significat enim humanas has passiones, famen, sitim, mortem, seu separationem animae a corpore, et

Nunc autem putant quidam insolubilem se invenire difficultatem in axiomate universaliter recepto: *Quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit.* Dicunt enim: Si in corpore Christi fuit forma substantialis quae cadaveri est propria, vel usque nunc manet in Christo, vel axioma fallit. At respondeo: Nego disiunctionem, et assigno tertium membrum: vel est sano modo intelligendum axioma seu effatum quo usi sunt antiqui theologi post Gregorium Nyssenum l. I cont. Eunom., praecise ad significandum qualiter in morte unio hypostatica non fuerit dissoluta. Quippe intelligi debet in sensu suorum auctorum, de eo quod a Verbo assumptum est *per se et ratione sui,* scilicet de humana natura et partibus eius constitutivis. Forma autem cadaveris non fuit in supposito Filii Dei quasi per se assumpta, sed per accidens et ratione alterius, id est ratione materiae ab anima separatae et eidem mox reuniendae, quae interim informis omnino manere non potuit. Insuper, non fuit in resurrectione forma illa proprie loquendo *dimissa,* sed naturaliter et necessario desiit sicut aliae omnes formae substantiales non spirituales, quotiescumque substantialis fit transformatio, puta viventis in mortuum, vel mortui in viventem. Si igitur talis fuit quae de potentia etiam absoluta non posset perseverare in rerum natura quando anima Christi denuo unita est corpori suo, utquid dimissum diceres id quod nequidem habuit unde retineretur?

§ 2.

Quoad sepulturam in primis dicendum est conveniens fuisse Christum sepeliri, tum ut comprobaretur veritas mortis, tum « ad « exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriun- « tur peccatis, qui scilicet absconduntur a conturbatione homi- « num », iuxta ea quae docet apostolus ad Coloss. III-3, et ad Rom. VI-4.

---

quaecumque talia. Significat etiam eiusmodi dissolutionem corporis in ea ex quibus compositum est elementa, quam nos *putrefactionem* solemus appellare. Primo modo corruptibile et corruptum fuit corpus Christi; sed secundo modo fuit ab iniuria mortis praeservatum immune, iuxta illud: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Insuper notandum quod Christo iam constituto extra statum viae, debuit sepultura ista esse omni modo honorifica ex parte divinitatis unitae, in cuius virtute corpus fuit praeservatum ab omni putredine: nam *providens* (David) *locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem* (1). Honorifica etiam ex parte hominum cum dives hucusque timidus, ipso momento quo pavor ad extremum usque venire debuisset, erigit animum et audacter petit a Pilato corpus. Adiungitur autem diviti Ioseph alius dives nominatus inter principes, (idem ipse qui dum miraculis coruscaret Christus, venerat ad eum nocte), et ambo sumptuose ac splendide exsequuntur sepulturam. « Ideo autem Salvator in aliena poni-
« tur sepultura, quia pro aliorum moriebatur salute; sepulcrum
« autem mortis est habitaculum. Per hoc etiam considerari po-
« test paupertatis abundantia pro nobis susceptae; nam qui do-
« mum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepul-
« cro reconditur, et nudus exsistens a Ioseph cooperitur. In novo
« autem ponitur monumento, ne post resurrectionem, caeteris
« corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur; potest
« autem et novum sepulcrum, Mariae virginalem uterum demon-
« strare. In monumento autem exciso in petra conditus est, ne
« si multis lapidibus aedificatum fuisset, tumuli fundamentis suf-
« fossis, ablatus furto diceretur. Unde et saxum magnum quod
« appositum fuit, ostendit quod non absque auxilio plurimorum
« sepulcrum potuisset reserari » (2).

Tandem observa quomodo verificata sit prophetia Christi: « Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus,
« ita erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus
« noctibus ». Qua in re non est accipiendus dies per oppositionem ad noctem, sed potius per modum unius, ut scilicet intelligatur spatium viginti quatuor horarum, *quod indifferenter comprehendit tam tempus diurnum quam tempus nocturnum.* Cum autem ex consueto atque usitato loquendi modo, a parte totum su-

(1) Act. II-31.
(2) S. Thom., hic a. 2, ad 4um.

matur, prima dies et prima nox computatur ab extrema parte sui, id est a vespera parasceves ad initium sabbati. Secundus dies est integer, cum viginti quatuor horis nocturnis pariter et diurnis. Tertia denique dies et tertia nox currit a primo initio Dominicae usque ad summum mane, quo tempore facta est resurrectio : ante diluculum scilicet, et cum adhuc tenebrae essent, ut aperte colligitur ex Ioan. XX-1.

§ 3.

Dum autem corpus sepulcro inferebatur, anima iam ad inferos descenderat, ut de fide certum est ex symbolo, cui consonat apostolus ad Eph. IV-9 : *Quod autem ascendit,* (captivam ducens captivitatem), *quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?* Descendit autem tamquam solus exsistens *inter mortuos liber,* non ut ibi poenam subiret, sed ut alios a poena absolveret, qui propter peccatum primi parentis illic detinebantur. Et per effectum quidem suae potentiae penetravit tum infernum damnatorum, eos de sua incredulitate et malitia confutando, tum infernum animarum purgantium, eis spem dando gloriae consequendae. Per praesentiam vero animae suae descendit ad solum limbum patrum, quos a beatitudine consequenda nihil retardabat praeter pretium redemptionis nondum actu persolutum ; statimque se ostendit eorum liberatorem, nondum educendo eos de loco inferni, sed in ipso inferno eos luce gloriae illustrando, iuxta illud quod in cruce pendens dixerat latroni : *Hodie mecum eris in paradiso.*

Caeterum, nec damnatos liberavit quorum poena irremediabilis est et aeterna, nec etiam purgatorium evacuavit, quia descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute passionis ipsius. Passio autem eius non habuit tunc maiorem vim quam habeat nunc. « Et ideo illi qui fuerunt tales quales nunc sunt « qui in purgatorio detinentur, non fuerunt a purgatorio libe- « rati per descensum Christi ad inferos. Si qui autem inventi « sunt tales quales etiam nunc virtute passionis Christi a pur- « gatorio liberantur, tales nihil prohibet per descensum Christi

« ad inferos esse liberatos » ([1]). Hinc etiam recte dicitur ipse Christus *momordisse* infernum, non absorbuisse, quia scilicet partem liberavit et partem reliquit: *Ero mors tua, o mors*, inquit Os. XIII-14, *morsus tuus ero, inferne!*

Denique credendum est animam Christi remansisse in inferis toto tempore quo corpus iacuit in sepulcro. Neque enim ad solum corpus pertinebat id quod dictum fuerat: *Erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Sed iam puro gaudio anima sanctissima fruebatur, ab omni dolore in perpetuum absoluta, quia ut dictum est supra, omnis passibilitas animae in Christo ex coniunctione cum passibili corpore oriebatur. Quin imo gaudio essentialis beatitudinis iam accesserat gaudium acquisitionis tot animarum, quas veluti primitias fructuum sanguinis sui in limbo invenerat, aperiens eis portas aeternales. Non tamen poterat esse consummata beatitudo donec fieret resurrectio. Videndum igitur superest qualiter verus Ionas exierit e ventre ceti, morte devicta. Dicit enim Damascenus l. 3 de fide orth. c. 27: « Accedit itaque mors, corporisque Dominici « escam avide deglutiens, *divinitatis hamo transfigitur;* atque de « gustato insonte ac vivifico corpore, ipsa interit, omnes quos « olim absorbuerat evomens ».

([1]) S. Thom., hic art. 8, in corp.

CAPUT QUARTUM

(Quaest. LIII-LIX).

DE EXALTATIONE CHRISTI POST HANC VITAM.

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exaltationem Christi. Et primo de resurrectione (**Quaest. 53-56**); secundo de ascensione (**Quaest. 57**); tertio de sessione ad dexteram Patris (**Quaest. 58**), quarto de iudiciaria potestate (**Quaest. 59**).

QUAEST. LIII-LIV.

DE GLORIOSA RESURRECTIONE CHRISTI.

Quatuor omnino quaestiones de Christi resurrectione habet S. Thomas, scilicet de resurrectione ipsa, de qualitate resurgentis, de manifestatione resurrectionis, demum de eius causalitate.

Circa resurrectionem ipsam docet necessarium fuisse multiplici ex capite Christum a mortuis resurgere, idque nec subito post mortem, nec longo post tempore. Si enim statim post mortem rediisset ad vitam, mortis veritas sufficienter comprobata non fuisset; si vero diu tardasset, signum superatae mortis in eo non resplenduisset. Convenienter ergo *tertia die* resurrexit secundum Scripturas. Resurrexit autem omnium primus ad vitam immortalem, nam alii quidem ante ipsum surrexerant vel ab ipso vel a prophetis suscitati, omnes tamen iterum morituri. Christus vero resurgens a mortuis *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur,* ac per hoc, conditionem moriendi primus evasit, mortalitatis iugo penitus excusso. Unde etiam vocatur ab apostolo, 1 Cor. XV-20, *primitiae dormientium,* quasi primitivus fructus e terra erumpens in spem futurae segetis electorum, ut bene ostendit Augustinus, serm. 361, n. 9 et seq. Neque in hoc difficultatem facere potest testimonium Matthaei narrantis quod moriente Christo, « petrae scissae sunt, et monumenta aperta « sunt, et *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt,*

« et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt « in sanctam civitatem, et apparuerunt multis ». Nam etsi dicendum videatur sanctos illos ad vitam immortalem resurrexisse, non sequitur eos resurrexisse ipso mortis Christi instanti, cum ad instans mortis Christi sola referatur monumentorum apertura, egressus vero de sepulcris expresse dicatur fuisse *post resurrectionem eius*. Si autem egressus, ergo et sanctorum illorum resurrectio, quia non est existimandum rediviva corpora toto triduo remansisse in tumulis. Tandem quod attinet ad efficientem resurrectionis causam, nemini dubium est quin fuerit divinitas, et pro tanto dicitur Christus fuisse a Deo suscitatus (1). Quia vero divinitas ad idem suppositum pertinebat ad quod pertinebant destructae humanitatis partes, dicendus etiam est suscitasse seipsum, et propria virtute surrexisse a mortuis. Non enim extraneo sicut caeteri, indigebat adiutorio, inter mortuos liber, nec ad vocem et imperium alterius revivixit, sed sola nox meruit scire tempus et horam in qua ab inferis victor ascendit.

Quoad qualitatem Christi resurgentis, dicendum quod habuit eas corporum beatorum dotes quae exponi solent in tractatu de novissimis. Factum est itaque corpus eius impassibile et immortale, non quidem sicut primi hominis, potens non mori, sed omnino non potens mori, sicut de nobis ipsis in futurum expectamus. Et quia ante mortem Christus fuit comprehensor propter beatitudinem animae, et viator propter corporis passibilitatem, consequens est ut post resurrectionem viator ultra non fuerit, sed solum comprehensor (2). Fuit etiam corpus Christi claritatis dote ornatum, fuit et spirituale quasi omnino spirituali animae subiectum, cuius scilicet omnis actio voluntati spiritus subdebatur: idque non amplius ex sola potentia miraculorum, sed connaturaliter ad ipsum modum unionis corporis cum anima. Controvertitur autem an tribuendum sit inditae potestati corporis gloriosi, vel potius speciali miraculo, quod Christus subito appareret, subito dispareret, et ianuis clausis intraret ad discipulos, ab eisque

(1) Act. II-24; X-40, etc.
(2) Comp. theol. cap. 237.

discederet. Hoc certe ultimum ex miraculo fuisse docet S. Thomas in IV, dist. 44; hic vero (1) quaestionem remittit inferius examinandam, in ea parte quam morte praeventus non absolvit. Et re quidem vera, proprius locus huius discussionis aliarumque similium est in tractatu de novissimis, ubi de futura resurrectione in communi, cum in hoc puncto eadem sit ratio de Christo ac de aliis.

Inquirit etiam S. Thomas in Quaest. 56 de causalitate resurrectionis dominicae respectu iustificationis et resurrectionis nostrae. Et constat quidem, nullam hic intervenisse causalitatem meritoriam, quia Christus extra statum merendi iam inveniebatur. Fuit igitur in primis causalitas exemplaris, testante apostolo qui dicit quod *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Praeterea, cum deposuit Christus similitudinem carnis peccati, id est mortalitatem, monstravit formam secundum quam, deposito peccato ipso, debemus nos in novitate innocentiae ambulare, et hac ratione dicitur Rom. IV-25, quod *resurrexit propter iustificationem nostram.* Fuit etiam in resurrectione dominica causalitas efficiens instrumentalis, de qua fere sentiendum est sicut de efficientia passionis (2), in quantum a mortuis resurgendo, convenienter constitutus est Christus principium efficiens resurrectionis nostrae per media suae redemptionis applicativa. Rectus enim ordo omnino exigebat ut summus minister nostrae glorificationis ipse prior consequeretur perfectionem quam in nos virtute divinitatis unitae influit, et hoc sensu verum est resurrectionem capitis se habere ut quamdam causam efficientem futurae resurrectionis membrorum.

Quae cum non videantur peculiarem continere difficultatem, restat ut de manifestatione resurrectionis, ubi praecipua cum incredulis reponitur controversia, specialiter disseramus. Hinc:

(1) Quaest. 54, art. 1, ad 1um.
(2) Supra, Thes. 51.

THESIS LV.

(Quaest. 55).

Convenienti ordine et sufficientissimis argumentis manifestata est mundo resurrectio Christi.

1. Videretur tamen dicendum quod de ordine manifestationis resurrectionis Christi nihil certo determinari possit. Narratio enim evangelica iis scatet antilogiis quas impossibile est ad concordiam reducere. Ex quo etiam maximum sumitur contra ipsam resurrectionis veritatem praeiudicium.

2. Praeterea Christus a Magdalena tangi non vult, ab aliis autem mulieribus attrectari se permittit quando tenuerunt pedes eius. Imo discipulis se ultro palpandum offert dicens: « Palpate « et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me vi- « detis habere ». Sed huius differentiae nulla rationabilis causa assignari potest. Non ergo convenienti modo facta est manifestatio resurrectionis Christi.

3. Praeterea, solis discipulis ostensus est Christus redivivus, nec aliud praesto est resurrectionis argumentum praeter testimonium amicorum. Non ergo sufficientia fuerunt signa mundo suppeditata; inimicis enim et occisoribus, quorum testificatio suspecta non fuisset, debuisset potissimum manifestari resurrectio.

4. Praeterea, non apparet quid causae fuerit cur angelus discipulos ire iubeat in Galilaeam ad videndum Christum, si Christus eisdem ipsa die in coenaculo decreverat sese ostendere.

5. Praeterea, ianuis clausis, subito venit ille quem dicuntur vidisse discipuli. Ergo ad summum concludere licet quod fuit phantasma.

6. Praeterea, non fuit agnitus Christus a discipulis euntibus in Emmaus, imo legitur quod oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Ergo saltem sequitur sensus ipsorum a naturali dispositione fuisse remotos, quod profecto hallucinationem sapit. Sed si isti duo hallucinati fuerunt, quidni et alii? Non igitur idonei adsunt resurrectionis testes.

7. Denique, vel a priori apparet quod factum resurrectionis historice constare non potuit: tum quia Christus redivivus iam non pertinebat ad ordinem praesentis vitae qui est ordo sensibilis experientiae, tum quia omne argumentum naturale facti supernaturalis est necessario mancum et deficiens, tum quia ingressus mortui in vitam immortalem subtrahitur observationi.

Sed contra est quod resurrectio fuit principale miraculum quo missio Christi in mundum confirmatur, iuxta illud Matth. XII, 39-40: *Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae.* Debuit ergo inconcussis constare argumentis.

Ad cuius veritatis expositionem praenoto quod praecipua materiae difficultas versatur circa concordantiam evangeliorum. Et difficultas ex hoc potissimum oritur, quod nullus evangelistarum pro scopo habuit completam eorum quae acciderunt conficere narrationem. Unde plures circumstantiae aut omittuntur omnino, aut vix ac ne vix quidem indicantur, et quod ab uno uberius explicatur, ab altero compendiose attingitur, ac viceversa. Quare non mirum est si quaedam primo aspectu contradictoria appareant. Quotidie enim experimur in similibus adiunctis, nos non posse plures narrationes unius eiusdemque facti satis conciliare, donec vel innotescat circumstantia aliqua cuius omissio totius erat causa antilogiae, vel determinentur certi modi loquendi qui ratione concisionis suae multiplici interpretationi ansam praebebant. At vero, nedum conciliatio sit in casu impossibilis, fidenter dico difficultatem ipsam verti in magnum veritatis argumentum, quia antilogiae apparentes demonstrant independentiam testium, et removent quamlibet fraudulentae conspirationis suspicionem. Insuper, accurata evangelistarum collatio ostendit quam naturaliter omnia procedant, et quam longe sint ab omni specie morbidae hallucinationis per credulos rationalistas assertae, praeter et contra omnem rationem. Solutio autem difficultatis repetitur ex tribus animadversionibus quas omnibus dicendis praemittere necesse est.

Prima est, quod gratis supponeretur unicam fuisse mulierum turmam de qua Matthaeus et Lucas. Imo vero ipse evangelista-

rum contextus exigit ut duae omnino turmae distinguantur. Una, quam commemorant Matthaeus (XXVIII-1), et Marcus (XVI-1), recensentes *Magdalenam, Mariam Iacobi, et Salome,* sive solae illae fuerint, sive ut forte probabilius est, exstiterint praecipuae inter caeteras. Altera, cuius meminit Lucas (XXIII-55). Nomina ipse reticet, tametsi ex historiae serie appareat ducem caeterarum fuisse illam *Joannam,* de qua idem ipse Lucas, tum VIII-3, tum praesertim infra, XXIV-10, ubi enumerat mulieres eo ordine quo ad apostolos venerant post apparitiones Christi et angelorum. Constabit autem ex dicendis, Ioannam cum sociabus reipsa secundo loco advenisse, scilicet post Magdalenam, et ante Mariam Iacobi. Et ratio evidens introductae distinctionis in eo est, quod Matthaeus et Marcus dicunt mulieres remansisse vespere parasceves sedentes contra sepulcrum, et *cum transisset sabbatum,* emisse aromata ut crastino mane venientes ungerent Iesum (1). At contra, mulieres apud Lucam non remanent sedentes contra sepulcrum, sed festinanter redeunt in urbem, et *ipso parasceves die* ante initium sabbati parant aromata: quo facto, sabbato silent secundum mandatum, et diluculo diei dominicae proficiscuntur ad monumentum (2).

Secunda animadversio est, quod narrata a Marco (XVI, 2-8), gratuito haberentur tamquam uno, ut sic dicam, tractu accidissent. Nam si quis bene ponderet locutionem evangelistae, videbit multa debuisse interponi a tempore primi itineris usque ad instans quo acciderunt ea quae narrantur vers. 5 et seq. Dicit enim Marcus: *Et valde mane, una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole.* Atqui, *valde mane,* et *orto iam sole,* duae horae sunt a se invicem satis distantes. Nam *valde mane* coincidit cum hora assignata a Ioanne (XX-1), *cum adhuc tenebrae essent,* scilicet nondum facto diluculo, et notabiliter ante ortum solem. Aliunde vero, prope civitatem erat locus ubi crucifixus fuerat Iesus; a praetorio namque ad Calvarium vix quadrantis iter computatur. Quare mulieres valde mane profectae

(1) Matth. XXVII-61; Marc. XVI-1.
(2) Luc. XXIII, 55-56.

ut ante lucem pium opus exsequerentur, non post ortum solem introissent in monumentum, nisi in intervallo quaedam accidissent quae omittit Marcus, (insinuat tamen vers. 9, ubi Magdalenam seiungit a sociabus), late autem prosequitur Ioannes (XX, 1-18). Hinc intelligi datur, primam illam mulierum catervam fuisse prius impeditam ab accessu ad sepulcrum, ad quod non rediit nisi post ortum solis, sed sine Magdalena quae in eodem intervallo sese separaverat a caeteris, et prima omnium viderat Christum redivivum, quemadmodum concorditer tradunt Marcus et Ioannes. Dicendum ergo quod per modum unius accipit *breviator Marcus* (1) iter mulierum a prima profectione usque ad ingressum monumenti, omittens intermedias circumstantias, nec monens expresse abfuisse Magdalenam quando *introeuntes viderunt iuvenem coopertum stola candida, et obstupuerunt.* Quippe absentia Magdalenae non impediebat quin eadem ac prius turma esset, quae moraliter identica sibi ipsi semper permansit.

Tertia demum animadversio sit, quod gratuito etiam supponeretur, narrata a Matthaeo (XXVIII, 1-10) sese mutuo, continuis atque indisruptis temporum intervallis excepisse. Imo vero contextus requirit ut distinguantur tempora tria a se invicem distantia. Primum est *vespere sabbati*, quod ideo dicitur illucescere in prima sabbati, quia ad occasum solis expirabat feriatus dies (2). Secundum est tempus resurrectionis, quod utique ipso teste Matthaeo, non fuit nisi incepto die tertio a morte Christi, atque ideo, pluribus horis post vespere sabbati de quo in vers. 1. Tertium denique est tempus ingressus mulierum in monumentum et apparitionis angeli, quod etsi a Matthaeo non determinetur, determinatur tamen apud Marcum, ut paulo supra dictum est.

His praemissis, omnia facile ad concordiam revocantur. Ordo enim eventuum est huiusmodi:

In primis iter Magdalenae ad sepulcrum vespere sabbati ut *videret* illud (Matth. XXVIII-1). Tum appositio custodiae et signatio lapidis eodem sabbati vespere (Matt. XXVII, 62-66).

(1) August. de cons. evangelistarum.
(2) Cf. Luc. XXIII-54.

Postremo resurrectio Christi circa horam secundam vel tertiam post mediam noctem. Item terrae motus et descensus angeli a quo in fugam vertuntur custodes, ut liber mulieribus pateret accessus (Matth. XXVIII, 2-4).

Iam sequuntur ea quae Marcus narrat. Valde mane Maria Magdalene, Maria Iacobi, et Salome veniunt ad momumentum; et cum de custodia circa noctis initium apposita nihil scirent, dicebant ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Sed ecce respicientes viderunt revolutum lapidem, erat quippe magnus valde. Scilicet a longe viderunt, ut apparet ex ratione quam affert evangelista; nec obstat quod adhuc tenebrae essent, cum luna fere plena tunc terris illuceret. Porro non absurde diceretur, causam quae mulieres impedivit ab ingressu monumenti, fuisse in eo ipso quod lapidem revolutum viderunt. Quanto enim terrore perculsas eas existimabimus ad huiusmodi aspectum, cum omne insidiarum genus suspicari possent, seseque praesidio destitutas viderent tempore noctis, extra urbem, post tremendos eventus dierum praecedentium! Optime ergo hic interponuntur ea quae narrat Ioannes (XX, 1-18). Magdalena enim caeteris intrepidior suadet sociabus ut domum redeant, vel certe in tutum locum se conferant, donec ipsa necessarias compleat inquisitiones. Recedunt itaque Maria Iacobi et Salome, et si quae aliae cum eis erant. Magdalena vero sola monumentum explorat, currit ad Petrum et Ioannem, redit ad sepulcrum. Abeuntibus duobus apostolis, manet plorans ad ostium, se inclinat ut iterum iterumque introspiciat, videt angelos, et paulo post ipsum Dominum, a quo illico mittitur ut primum afferat desolato gregi resurrectionis nuntium. *Venit ergo Maria Magdalena annuntians discipulis, quia vidi Dominum et haec dixit mihi.*

Interim inceperat illucescere dies, et altera mulierum turma *valde diluculo* appropinquabat ad monumentum cum iis quae paraverant aromatibus (Luc. XXIV, 1-9). Ipsae autem non vident nisi duos angelos stantes in veste fulgenti, et ab iis pariter mittuntur ad undecim.

Sed dum Magdalena occupabatur in persuadendo discipulis dominicae resurrectionis veritatem, reditum eius frustra expecta-

bant Maria Iacobi et Salome. Tandem videntes ortum iam solem, timore aliqualiter deposito, statuunt pergere usque ad sepulcrum in quo introeunt. Tunc ergo accidunt ea quae habentur apud Matthaeum (XXVIII, 5-10) et Marcum (XVI, 5-8); speciatim vero secunda Christi apparitio, dum essent mulieres in via ut irent ad discipulos. Porro Lucas (XXIV-10) enumerans resurrectionis praecones ipso ordine quo aliae post alias supervenerant, ait: *Erat autem Maria Magdalene, et Ioanna, et Maria Iacobi, et caeterae quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.*

Quia vero decreverat Christus non manifestare se *communitati* discipulorum nisi praeconcepta fide resurrectionis suae, ut hoc modo inculcaret fidem esse sperandarum substantiam rerum, per quam scilicet pervenitur ad visionem gloriae: ideo, cum mulieres aut nihil aut parum proficerent, alios sibi debuit eligere testes, tam in ordine praecipuorum apostolorum, quam in ordine sequentis gradus discipulorum: Petrum quidem inter apostolos (1), illos vero duos qui ipsa die ibant in Emmaus, inter discipulos inferiores (2). Denique, postquam Petrus praeludens muneri suo, fratres suos plerosque in fide confirmasset, (dicebant enim, *quia surrexit Dominus vere et apparuit Simoni*), novumque robur testimonio Petri accessisset ex testificatione duorum qui ab Emmaus festinanter redierant, ecce tandem accidit circa mediam noctem quinta et ultima primae diei apparitio, ad congregatos in coenaculo apostolos (3).

In his igitur habes sufficientia solutionis elementa, ad conciliationem evangelistaram quod attinet, nam apparitiones sequentium dierum usque ad ascensionem, specialem non faciunt difficultatem. Vides etiam resurrectionem inimicis simul et amicis fuisse notificatam, aliter tamen et aliter. Inimicis quidem, per terrae motum, revolutionem lapidis, et descensum angeli, quo

(1) Luc. XXIV-34; 1 Cor. XV, 5.
(2) Luc. XXIV, 13-35; Marc. XVI, 12-13.
(3) Marc. XVI-14; Luc. XXIV, 36-43; Ioan. XX, 19-23.

apparente, facti sunt custodes velut mortui. Amicis vero, per ipsius Christi redivivi apparitiones, primo ad mulieres, deinde ad quosdam discipulos privatim, ultimo ad omnes communiter. Atque hinc concludo convenientissimo ordine et sufficientissimis argumentis manifestatam esse resurrectionem Christi, sicut ex responsionibus ad obiecta evidentius apparebit.

Ad 1um ergo patet responsio ex dictis. Quod enim modo dicantur interfuisse angeli duo, modo unus tantum; quod modo stantes describantur, modo sedentes; modo super lapidem, modo in interioribus sepulcri, non ad eamdem circumstantiam, sed ad diversas referendum est. — Item intelligitur qua ratione sola Magdalena omnium prima viderit Christum ad ostium monumenti, tametsi fuerit initio associata Mariae Iacobi et Salome, quibus nonnisi post notabile temporis intervallum, dum in urbem regrederentur, occurrit et apparuit Iesus. — Adhuc difficultatem non facit quod dicatur Petrus nunc cucurrisse cum Ioanne ad monumentum in quod et introivit (1), nunc autem venisse solus, et non introivisse, sed procubuisse et vidisse linteamina sola posita (2). Bis enim venit Petrus ad sepulcrum: primum monitus a Magdalena dicente sublatum fuisse corpus, postmodum vero quando iam non de ablatione corporis, sed de resurrectione et apparitionibus angelorum agebatur. Prius cucurrerat exploraturus an verum esset quod dicebat Magdalena, sepulcrum scilicet esse vacuum; postea concurrit mutato statu quaestionis, si forte videret et ipse angelos in sepulcro, sicut se vidisse mulieres testabantur. Nec improbabiliter senties Christum apparuisse Petro, quando Petrus secunda vice solus recedebat, *secum mirans quod factum fuerat.* Quae omnia nedum sint inter se pugnantia, attestantur potius divinissimam agendi rationem Christi cum amicis suis. Ipse enim est de quo scriptum est: *Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet.* In tanta autem consternatione discipulorum funesta fuisset apparitio omnino improvisa. Quare, ut suaviter et per gradus

(1) Ioan. XX, 6-7.
(2) Luc. XXIV-12.

quosdam reducerentur ab extremis moeroris ad oppositum insperati gaudii extremum, intercedere debuerunt omnes memoratae circumstantiae, quas si rationalistae vertant in hallucinationis argumentum, dolendum est de tanta caecitate, sed supervacanea videtur omnis disputatio.

Nec tandem oportet nos esse sollicitos de eo quod discipuli Emmaus, quando veniunt ad undecim, inveniunt eos, teste Luca, dicentes *quia surrexit Dominus vere et apparuit Simoni*, cum tamen Marcus dicat: *Post haec, duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam, et illi euntes nuntiaverunt caeteris, nec illis crediderunt.* Haec enim contraria non sunt, quia etsi plerique crediderint, quidam tamen non crediderunt, sicut de Thoma Ioannes narrat. Et quia in tota narratione sua intendit evangelista monstrare quam parum credulos in his omnibus sese ostenderint discipuli, ideo nunc solos eos commemorat quorum obstinatio plus nobis ad fidem profuit, ut Gregorius dicit, quem fides caeterorum.

Ad 2um dicendum, quod Christus in manifestatione resurrectionis suae duo voluit inculcare, corpus videlicet suum esse eiusdem naturae et alterius gloriae. Hoc est, ostendere intendebat se vere quidem resurrexisse, sed resurrexisse ad vitam novam ac plane coelestem, in qua non haberet cum viatoribus eas relationes quas habuerat prius (1). Divisit autem inter mulieres nuntias resurrectionis, sicut divisit inter evangelistas, ut nempe Magdalena esset sublimiorum praeco, caeterae vero humiliorum. Magdalena ergo mittebatur ut annuntiaret caelestem resurgentis gloriam in qua erat ascensurus ad Patrem, et ideo a contactu dominici corporis prohibetur. *Noli me tangere,* inquit, quasi adhuc terrae incola exsisterem, nam etsi nondum ascenderim ad Patrem meum, tamen in eo statu sum et in ea gloria in qua ad ipsum mox ascendo, hocque nuntia fratribus meis apostolis. E contra, aliae mulieres destinabantur ut testes solidae realitatis redivivi corporis; propterea ad tactum corporalem fuerunt admissae, cum testante Matthaeo, *tenuerunt pedes eius.*

(1) Cf. S. Thom. hic, art. 3.

Hinc etiam, ut in omnibus servaret Ioannes assumptam ab initio aquilae faciem, solus describit apparitionem et dicta Christi ad Magdalenam, dum caeteri tres occupantur circa apparitiones alias, nam ipsi « tamquam cum homine Domino in terra ambulant », ut Augustinus dicit Tract. 36 in Ioan.

Ad 3um dicendum quod licet solis apostolis et discipulis ostensus sit Christus, ipsi tamen inimici ordinati sunt in irrefragabiles resurrectionis testes, per quos apostolicum testimonium *invicte* confirmaretur. Habebant enim Iudaei corpus Christi ad vesperam parasceves in sua potestate. Neque hoc tantum, sed memores quod *seductor ille dixerat, post tres dies resurgam,* sepulcrum custodibus munierant, omnesque adhibuerant cautiones ut elapso tertio die, debitis probationibus factis. superstitio Nazareni palam convicta in perpetuum aboleretur. Ipsorum ergo est respondere universo orbi de modo quo initio diei tertiae corpus disparuit, et suppeditare documenta ex quibus poterit contradictorie examinari alterius partis depositio. Porro Iudaeorum depositio est: *Discipuli Christi nocte venerunt, et furati sunt eum dormientibus custodibus.* Unicam hanc fuisse explicationem a Iudaeis unquam adhibitam, constat in primis ex diserta asseveratione Matthaei qui paucis post annis, medios inter Iudaeos, et pro Iudaeis specialiter scribens, nunquam eiusmodi assertionem emisisset nisi mera fuisset et notoria veritas: *Et divulgatum est,* inquit, *verbum istud apud Iudaeos usque in hodiernum diem.* Imo vero, nihil aliud hodiedum in Thalmud, caeterisque libris rabbinicis, circa resurrectionem Iesu invenitur, nisi illud ipsum quod in suo evangelio Matthaeus consignavit. Idem etiam constat ex impugnatione antiquissimorum religionis christianae adversariorum (puta Celsi, Porphyrii, Iuliani), necnon et ex apologiis Patrum caeterorumque scriptorum ecclesiasticorum, qui unice versantur in refutanda calumnia de furato a discipulis corpore Christi. Constat denique tertio, quia si quid aliud in medium prolatum fuisset, profecto in re tantae celebritatis per monumenta historiae ad nos usque pervenisset; praesertim quia multi Iudaei cosmopolitae propter paschatis festum ex variis et longinquis regionibus Hierosolymam convenerant tempore quo

Christus passus et mortuus est, et iterum propter festum pentecostes, tempore quo incepit apostolica praedicatio (1); unde reduces in propria, famam eventuum in toto Oriente, necnon et in occidentalibus partibus romani imperii *statim* divulgarunt. Si ergo nullibi apparet vel levissimum vestigium alius explicationis, praeter illam quae in evangelio consignatur, signum evidens est nullam aliam fuisse apostolico testimonio oppositam.

Concordant itaque depositiones apostolorum et Iudaeorum, *primo* in hoc, quod Iesus vere et realiter est mortuus (2); *secundo* in hoc, quod corpus eius sepultum est, signato ostio sepulcri et appositis a Synedrio custodibus; *tertio* in hoc, quod ipsum corpus disparuit intra intervallum temporis quod currit ab hora qua custodes fuerant appositi, ad horam qua iidem e sepulcro consternati discesserunt. Discordant vero in hoc, quod Iudaei dicunt, *furatum fuisse corpus, dormientibus custodibus.* Apostoli vero, *resurrexisse Christum, quem viderunt, palparunt, contrectaverunt, cum quo et manducaverunt.* Iam, duae istae assertiones aequivalent duabus contradictoriis, quarum una est necessario vera, altera necessario falsa. Non enim datur medium possible, quandoquidem si assignabile fuisset, utique ab iis qui dispositionis locorum totiusque seriei eventuum optime conscii erant, et quorum maxime intererat imposturam comprimere, fuisset propositum (3). Et ideo de veritate resurrectionis convinci potest mundus non solum ex depositione apostolorum per se considerata, sed etiam ex contradictoria ponderatione explica-

(1) Act. II, 9-11.

(2) Dicit tamen Strauss, Christum de cruce depositum in lethargia fuisse, et postea odore aromatum ad vitam rediisse!

(3) Omnes scilicet explicationes quae post saecula decem et octo primo proponuntur, nullam in antiquorum testimoniis radicem habentes, eo loco haberi debent, quo ponere oportet assertiones e sola auctorum suorum imaginatione ac cerebro procedentes. Agitur enim de facto cuius illi soli receptibiles aestimatores exsistunt, qui eventibus interfuerunt, praesertim cum aestimatio facti nullatenus dependeat ex scientificis quibusdam cognitionibus, et novellarum suppositionum nullum omnino sit fundamentum praeter absurda illa principia de quibus supra, ubi de miraculis Christi.

tionis a parte adversa subministratae. Quae si absurda, fabulosa, et in aestimatione ipsorum inventorum manifeste inanis inveniantur, nova, eaque distincta, circa facti veritatem habetur demonstratio. Non ergo, ut obiectio supponit, in solo testimonio amicorum nititur notificatio resurrectionis Christi.

Sed insuper, omnino negandum est testificationem apostolicam per se sumptam quolibet insufficientiae vitio laborasse. Nisi enim absoluta fuisset testimonii integritas, non maximam publicitatis lucem ad inaugurandam suam praedicationem quaesivissent apostoli; non ipsam urbem in qua acciderant universa, elapsis vix quinquaginta diebus post mortem Iesu, non solemne festum ad quod convenerant advenae Iudaei ex omni regione quae sub coelo est; non omnes denique circumstantias locorum et adiunctorum elegissent, convincendae imposturae maxime idoneas. Qua enim fronte et supra humanum aeneo pectore eos praeditos dicere oportebit, ut tanta auctoritate, tanta energia, tanta specie sinceritatis super tecta Ierusalem resurrectionem publicassent, in facie eorum qui morti addixerant Iesum, prope locum ubi fuerat sepultum corpus, ultro provocantes severissimas inquisitiones de ipsius corporis disparitione, principesque Iudaeorum audacter accusantes his et similibus verbis: *Hunc definito consilio et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis... Quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem Sanctum et Iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interfecistis.* Qua praesertim audacia invocasset Petrus permanentiam sepulchri David ut demonstraret, non de ipso David intelligenda esse verba Psalmi decimi quinti, dicens: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus, et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset... providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus.* Quomodo demum, si testificationi apostolicae rationabiliter contradici potuisset, siluisset Synedrium in cuius manu erat potestas? Quomodo appositae

essent ipso die animae circiter tria millia, de numero eorum qui consenserant consiliis impiorum: *His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite... Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, et appositae sunt in die illo animae circiter tria millia* (1).

Tandem nota id quod dicit S. Thomas, a. 1 huius quaestionis in corpore. « Ea quae pertinent ad futuram gloriam, communem « hominum cognitionem excedunt. Et ideo huiusmodi ab ho- « mine non cognoscuntur nisi divinitus revelata. Quia igitur « Christus resurrexit gloriosa resurrectione, ideo eius resur- « rectio *non omni populo* manifestata est, sed quibusdam quo- « rum testimonio deferretur in aliorum notitiam ». Rationalistarum igitur exigentia tota procedit ex sensu carnali, solumque ostendit et probat quousque assurgere possit humana cogitatio. Sed ut alias dictum est ubi de miraculo transfigurationis, Christus bene omnia fecit: bene, id est ordinate, et ideo publice passus est quia patiebatur ut viator, sed non publice resurrexit quia resurgebat comprehensor. Accedit demum quod scopus Christi nec fuit, nec esse debuit, omnes homines infallibiliter convincendi, sed dandi talia resurrectionis suae signa, quae nemo posset rationabiliter reiicere.

Ad 4um dicendum quod apparitio quae in Galilaea promittitur, celeberrima omnium fuit, utpote consecrata per definitivam missionem apostolorum in orbem universum, et ingenti adstantium numero illustris. Illa enim sine dubio extitit in qua visus est Christus plus quam quingentis fratribus simul, iuxta testimonium Pauli I Cor. XV-6. Nulla ergo contradictio in eo est quod statim ab initio constitutus sit locus celebrioris apparitionis quo omnes convenirent, interim vero iis qui Hierosolymis aderant, et maxime summis apostolis sese manifestaverit Christus.

Ad 5um dicendum quod corpus etiam gloriosum naturaliter est impenetrabile, et non habet ex potestate sibi indita ut clausis ianuis vel introeat vel egrediatur. Necessitas enim distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis di-

(1) Cf. Act. II-V, per totum.

mensivae, quam dos subtilitatis a corpore glorioso non aufert. Sed id quod est secundum leges naturae impossibile, potest fieri operatione virtutis divinae, cum nulla in casu inveniatur repugnantia aut contradictio, ut suo loco ostenditur ([1]). Obiectio igitur rationalistae iterum procedit ex absurdis principiis circa impossibilitatem miraculi, de quibus in superioribus iam satis.

Nec dicant possibilius fuisse quod decepti sint sensus discipulorum, quam quod palpabile et solidum corpus penetraverit obstacula. In casu enim hoc omnino negandum est. Nam quacumque suppositione facta, naturae ordo et cursus fuit immutatus. Non enim habet naturae cursus ut tot homines, vel seorsum vel simul, ita decipiantur ut palpare credant quod non palpant, et videre quod non vident. Et etiamsi contra omnem evidentiam hallucinationis ratio haberetur, constat hallucinationem ex causis morbidis et mere subiectivis ortum habere, quae non sunt eaedem in multis. Nunc autem naturae ordo non immutatur ad deceptionem. Falsum igitur est possibilius fuisse discipulos decipi, quam Christum ianuis clausis advenisse.

Ad 6um dicendum quod nullo modo sequitur oculos discipulorum Emmaus fuisse a sua naturali dispositione remotos. Nam omnia quae leguntur in evangelio optime explicantur, tum quidem ex hoc quod Christus sub *habitu peregrino* apparuit ([2]), tum etiam ex hoc quod duo discipuli firmiter credebant Christum esse inter mortuos, et nihil minus quam eius adventum exspectabant. Quare ipsa propriorum animorum dispositione tenebantur ne eum sub peregrini specie agnoscerent, sicut alias in similibus frequenter contingere solet. Vana igitur est adversariorum instantia. Imo potius obiectio ipsos confodit, quia hallucinatio est semper circa ea obiecta quibus phantasia hallucinati vehementer praeoccupatur: ideo si hallucinatio fuisset, potius in eo fuisset quod Christum primo non agnoverant, quam in eo quod postea agnoverunt. Demum animadverte, *minime ad hallucinationem esse praedispositum robustum illud piscatorum genus ad*

([1]) S. Thom. in IV, D. 44, q. 2, solut. 3.
([2]) Luc. XXIV-18.

quod pertinebant apostoli. Mulierculas mihi afferres nervis laborantes, vel etiam viros hypnotismo, magnetismo, spiritismo. caeterisque daemoniorum doctrinis ac praestigiis operam dantes, sane transmitterem. Sed, dii immortales! morbidam huiusmodi affectionem gratis attribuere iis iuvenibus qui sub dio viventes, duris laboribus marini negotii ab infantia assueti erant, idque non uni in particulari tantum, sed omnibus simul, et *positivissimos* homines pro mera necessitate causae praeiudicatae, in somniantes idealistas transformare, hoc concessos ipsi etiam impudentiae limites undequaque transcendit. Itaque, sive numerum sive qualitatem sive alias omnes circumstantias testium consideres, videbis hypothesim hallucinationis meram esse insaniam, quae absolutam rationum penuriam ex parte adversariorum attestatur.

Ad 7um denique dicendum quod nulla ex allatis rationibus valet. Equidem Christus redivivus non pertinebat amplius ad ordinem praesentis vitae. Ex quo utique consequitur quod non debebat sicut prius inter mortales versari, et rebus eorum interesse, et secundum communis conditionis leges, communes quoque cum incolis huius mundi servare relationes. Idque ultro concedimus iuxta superius praemissa in responsione ad 3um; imo hinc sumimus idoneam ad plura argumenta solutionem. At non sequitur quod ordinem sensibilis experientiae transcendebat, quando ponebantur conditiones ex parte obiecti corporei semper requisitae, ut sub sensuum nostrorum apprehensione cadere possit. Et ideo aiebat: *Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere* (1). Quod autem dicitur de insufficientia argumenti naturalis in ordine ad factum supernaturale, nullam revera difficultatem habet, dummodo animadvertas quod gloriosa Christi resurrectio supernaturalis dicitur et est quantum ad causam, non vero quantum ad speciem corporis redivivi. Et si redivivum corpus naturam corporis humani utique non exuerat, ergo adhuc poterat naturaliter tangi, facta convenienti applicatione ad sensum tactus, naturaliter videri, suppo-

(1) Luc. XXIV-39.

sita actione in sensum visus, atque ita porro [1]. Tandem, ad rem omnino non est id quod additur de ingressu mortui in vitam immortalem, quia ad historicitatem facti resurrectionis non requiritur ut immortalis vita Christi resurgentis, reduplicative qua immortalis, fuerit observationi subiecta. Sed satis est ut eum qui prius fuerat mortuus, redivivum experti sint apostoli, et de vera eius vita posthuma testes tam receptibiles existant, ac si de quovis sensibili facto secundo naturales causas contingente ageretur.

QUAEST. LVII-LIX.

DE CHRISTI ASCENSIONE, SESSIONE AD DEXTERAM PATRIS, ET IUDICIARIA POTESTATE.

I.

(Quaest. 57).

De Christi ascensione pauca explicanda occurrunt. Nonnulla invenies art. 4 circa proprietates loci, antiquorum physicorum placitis conformia, quae omnino a parte ponenda esse videntur. Profecto ad caelos corporeos ascendebat Christus, de quibus tamen non oportet nos in particulari disserere, cum sufficientia desint documenta. Hoc unum scimus, caelos illos suo splendore esse corporibus gloriosis appropriatos, et Christum in ascensione sua ultimum accidentalis gloriae complementum accepisse.

[1] Cf. S. Thom. Suppl. Q. 85, a. 3. — Mera igitur aequivocatio est in eo quod dicunt, omne argumentum naturale facti supernaturalis esse necessario mancum et deficiens. Et distinctione opus est, videlicet: omne argumentum quod sumeretur e naturalibus causis ad probandam supernaturalis effectus exsistentiam, est deficiens, imo nullum, *conc.* Omne argumentum sumptum e naturali experimento, *subdist.* Si eatenus factum est supernaturale, quatenus naturalem sensuum experientiam transcendens, iterum *conc.* Si eatenus, quatenus causam habet quae esse non potest in viribus naturae, adhuc tamen est per se ordinis externi et sensibilis, *neg.*

Quapropter, cum Filius Dei in tantum dictus sit *de caelis descendisse,* in quantum terrestrem naturam assumpsit: dum haec natura a terrestri conditione eximitur, et accipit plenitudinem caelestis illius gloriae quae humanitati Verbi debebatur, idem ipse Dei Filius metaphorice dicitur *eo reverti unde descenderat.*

Ergo *reversio* figurate accipienda est, *ascensio* autem litteraliter et proprie. Nec dicas quod iuxta verissimas universalis gravitationis leges, nulla caeli pars assignari potest tamquam sursum exsistens vel deorsum; praesertim cum abiicienda sit sententia veterum imaginantium terram esse in centro universi, et iam de antipodis nulla sit sane ratio dubitandi, etc., etc. In his enim aliisque huiusmodi, nihil prorsus commune est cum fide qua Christum in caelos credimus *ascendisse.* Nam per ascensionem nihil aliud intelligimus quam motum localem quo contra leges gravitatis terrestris exivit Christus e spatio terrestris atmospherae, ivitque in locum sui regni caelestis. Qui etsi nec absolute nec respectu nostrae planetae sursum sit aut deorsum, tamen in universali modo loquendi dicitur esse sursum, pro quanto omnis pars firmamenti dum se offert conspectibus nostris supra nos sita et apparet et est. Caeterum ascensio ista non fuit in Christo ex potestate miraculorum, sed tum ex imparticipata virtute divinitatis, tum ex virtute participata corporis gloriosi quod ita animae moventi subiicitur, ut vis eius locomotiva praevaleat cuicumque influxui materialis gravitatis.

Ultimo considera ascensionem Christi fuisse causam nostrae salutis. Quod dupliciter explicari potest. — Primo ex parte nostra, quia subtractio corporalis praesentiae Salvatoris nobis utilis fuit, tum propter augmentum fidei quae est de non visis, tum ad spei sublevationem iuxta illud Ioan. XIV-3: *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis;* tum denique ad erigendum charitatis affectum in caelestia, dicente apostolo ad Coloss. III-1: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* — Ex parte etiam ipsius Christi, quia viam nobis praeparavit ascendendi in caelum, iter pandens ante nos: in cuius signum, *ascen-*

dens in altum captivam duxit captivitatem, id est, animas sanctorum quas de inferno eduxerat, secum traduxit in caelum. Accedit quod in veteri Testamento pontifex intrabat sanctuarium ut assisteret Deo pro populo: ita et Christus *introivit in ipsum caelum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,* dum ipsa repraesentatio sui ex natura humana, quaedam est pro nobis efficax interpellatio: ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur pro quibus Filius Dei humanitatem assumpsit. Denique in caelorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde mittit divina dona hominibus, secundum illud Eph. IV-10: *Ascendit super omnes caelos ut impleret omnia:* impleret, inquam, donis suis, ut habetur in Glossa. Ita fere S. Thomas art. 1 ad 3um, et art 1 in corp. Sequitur quaestio de sessione ad dexteram Patris.

II.

(Quaest. 58).

Locutio qua dicitur Christus *sedere ad dexteram Patris,* est evidenter metaphorica, et siquidem intelligeretur de aequalitate cum Patre in gloria deitatis, et in beatitudine infinita, et in iudiciaria ac regali potestate: sic non competeret ei nisi in quantum Deus est a Patre aeternaliter procedens. Nunc autem cum sessio a dextris Dei, tum in evangelio tum in symbolo proponatur ut terminus ascensionis in qua Christi hominis consummata est exaltatio, constat locutionem hanc alio sensu esse hic accipiendam.

Significat ergo iuxta superius praemissa, excellentem illam participationem omnium bonorum divinorum supra cunctas creaturas, de qua exultat Christus in Psalm. XV-11, dicens: *Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.* Significat etiam summum illum honorem quo omnes debent honorificare Filium cum natura assumpta, sicut honorificant Patrem. Unde Damascenus de fide orth. l. 4, c. 2: « Quocirca per *paternae dexterae* vocabulum « significamus divinitatis honorem et gloriam, in qua cum Dei

« Filius tamquam Deus Patrique consubstantialis ante saecula « esset, ad extremum caro factus corporeo quoque modo consi- « det, in eamdem nimirum gloriam ascita ipsius carne. Una enim « eademque cum sua carne, adoratione ab omnibus creatis re- « bus colitur ».

Nec tandem quaerendum est cur Marcus dicat Dominum Iesum *sedere* a dextris Dei, Stephanus vero in agone suo *stantem* eum perspexerit; nam ratio satis obvia est, cum in sessione quies, in habitu autem stantis succursus pugnantibus praestitus significetur. Recte ergo describitur sedens, maxime in facie inimicorum quorum in summa securitate vanos irridet conatus. Sed suis militibus pro se certantibus usque ad mortem, in medio gloriae suae stans ostenditur, quasi dux certaminis, addens animos ad victoriam. Per hoc ergo intelligi datur quod quanto minus movetur fremitu meditantium inania, tanto magis suorum laboribus adest, potens eis per gratiam suam auxiliari.

III.

(Quaest. 59).

Sessioni ad dexteram Patris adiungitur in symbolo exercitium iudiciariae potestatis quae Christo homini competit, auctoritate derivata a divinitate ipsius. Se extendit haec potestas ad ipsos angelos; principaliter tamen respicit homines et res humanas omnes, ut declarat S. Thomas art. 4 huius quaestionis.

Fuit autem maxime conveniens ut Pater daret Filio potestatem *iudicium facere, quia filius hominis est.* Primo quidem quia conveniens est ut iudicem videant qui iudicandi sunt; videre autem in sua natura Deum apud quem residet iudicis auctoritas, est ipsum praemium quod per iudicium redditur. Oportuit igitur ut Deus iudex non in natura propria, sed in natura assumpta videretur ab omnibus pariter iudicandis, tam bonis quam malis; si enim mali viderent Deum in sua divinitate, iam praemium reportarent quo se reddiderunt indignos. Secundo eadem convenientia probatur, quia aequum est ut qui aliquibus aliqua bona acquisivit, eadem ipsis dispenset; dispensatio autem bonorum in

multos requirit iudicium, ut unusquisque secundum suum gradum accipiat. Recte ergo Christus qui in natura humana mysteria humanae salutis implevit, in eadem constituitur iudex super homines quos salvavit. Accedit tandem quod summa iudicandi auctoritas fuit iustum praemium humiliationis qua passus est ab homine iudice iudicari. Ita fere S. Thomas, Comp. theol. c. 241.

Et iudicium quidem iam nunc agitur statim post uniuscuiusque mortem. Manet tamen et aliud in consummatione temporum publice celebrandum, quando sancti plenam accipient mercedem operum suorum, et Christus in regia gloria coram mundo universo apparebit. Ideo novissimus ille dies dicitur Tit. II-13, *adventus gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.* Dicitur etiam 2 Cor. III-13, et alibi saepissime, *dies Domini.* Cum enim in Scripturis dies alicuius ille sit in quo quis apparet in maximo suo posse, distinguitur dies hominis et dies Domini, secundum quod homini ad tempus praevalere permittitur, donec appareat Dominus Iesus Christus solus potens et solus altissimus. Iterum novissimus dies, Matth. XIX-28, dicitur *regeneratio,* quia tunc habebitur omnium instauratio et veluti novus natalis universi, dum a fundamentis qui antea vigebat ordo immutabitur. Dicitur etiam *tempus messis* (1), *aestas* (2), *consummatio saeculi* (3) quia sicut in tempore messis et calente aestate, omnes fruges ad maturitatem perducuntur, ita in die Domini omnia opera hominum sic erunt ad maturitatem perducta, ut de illis plenum tandem iudicium secundum omnes respectus et habitudines ferendum sit. Considerandum enim id quod ex S. Thoma docet Suarez, de Incarn., Tom. 2, D. 53, sect. 1, dicens : « Opera « hominum quodammodo manent post mortem eorum, vel in alio- « rum existimatione et fama, vel in effectibus suis qui varii et « multiplices esse solent. Ergo licet Deus iudicet actiones unius- « cuisque hominis in morte eius, oportet nihilominus ut de eis

(1) Matth. XIII-30.
(2) Marc. XIII-28.
(3) Matth. XXVI-3.

« faciat publicum et universale iudicium in quo constet tam de « ipsis actionibus, quam de omnibus effectibus earum, et nocu- « mentis ac fructibus qui ad alios ex eis redundarunt.... Primo « ad accidentarium praemium vel poenam, ut iniqui omnium « actionum suarum fructus intuentes magis confundantur, boni « vero e contrario de bonis fructibus gaudeant. Secundo et ma- « xime, quia effectus ostendunt malitiam vel bonitatem operum « unde orti sunt. Ut ergo illis omnibus propositis et ponderatis, « evidentius pateat aequitas divini iudicii, valde congruum fuit, « post consummatas ac finitas omnes actiones humanas huius « vitae omnesque effectus earum, fieri universale iudicium in quo « omnia exactissime perpendentur ». Vides igitur quam recte iudicii dies appellatus sit tempus messis et aestatis. Dicitur tandem Luc. XXI-28, *redemptio nostra,* quia quamvis multis futurus sit in poenam et damnationem, primario tamen erit ad bonorum gloriam et definitivam ab omni malo liberationem. Tunc ergo vel maxime adimplebitur in Christo figura Melchisedech, *primum quidem qui interpretatur rex iustitiae, deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis,* et ideo rex pacis in toto mundo quia rex iustitiae, unumquemque constituens loco debito ordine immobili. Neque enim in illo die, ut verbis utar Augustini, serm. 353, n. 3, quisquam eius regno subtrahetur, cuius aeterna lege in distributione dandi atque reddendi, et meritis praemiorum atque poenarum, et iustissima ordinatione creaturae cunctae coercebuntur.

Et hactenus quidem de his quae Deus incarnatus egit et passus est. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Amen.

EXPLICIT THEOLOGICA TRACTATIO
DE VERBO INCARNATO

PARS TERTIA

DE CREDIBILITATE MYSTERII INCARNATIONIS

PARS TERTIA

DE CREDIBILITATE MYSTERII INCARNATIONIS.

Huius tertiae partis obiectum est demonstratio credibilitatis ipsius fundamentalis articuli ex quo tamquam fide credito processit theologica scientia de Verbo incarnato. Non enim ratione demonstratum est aut demonstrari potuit quod Unigenitus Dei Filius, ipse verus Deus, propter nos homines descendit de caelis factus homo. Sed assumpta est haec veritas ex iis quae in variis fidei regulis continentur, ut praesupposito huiusmodi fundamento, procederetur ad scientificam expositionem convenientiae, quidditatis, et consequentiarum revelati nobis mysterii. Nunc ergo quaeritur de fundamento ipso, an scilicet *rationabiliter* fide divina credatur hunc hominem Iesum Christum esse verum Deum, id est, an de vera eius divinitate habeatur evidentia quam vocant *credibilitatis*. Ad huius autem quaestionis solutionem duo praestanda sunt. Demonstrandum enim est primo, Christum in libris N. T., et maxime quidem in evangelio (cuius *sola nunc historica auctoritas* consideratur), de se ipso testimonium dedisse tamquam de vero Deo homine facto. Secundo demonstrandum est attestationem hanc iis signis sigillari, quae non potuerunt procedere nisi a prima Veritate, cui toto corde credendum esse ipsa naturalis ratio manifestissime dictat.

Et prima demonstratio continetur in thesi sequenti, quae

eatenus etiam haberi debet ut complementum tractatus de incarnatione, quatenus ostendit aspectum *historicum* in Christo esse in plena conformitate cum aspectu *theologico*, quem modernistae reducunt ad nescio quam evolutionem ideae subiectivae in conscientia christiana.

THESIS LVI.

Christus in terris degens, verum se esse Deum disertis ac perspicuis testimoniis asseruit. Imo in hac asseveratione fastigium est et culmen totius revelationis qua semetipsum mundo manifestavit.

Testimonia, ut dictum est, sumenda sunt ex documento historico vitae et conversationis Iesu Christi apud nos, quod in evangeliis noscitur esse repositum.

Porro circa evangelia praevia quaedam observatio facienda est. Sciendum scilicet rationalistas videre oppositionem quam maximam, eamque irreductibilem, Ioannem inter et caeteros tres. « Ioannes ponit in ore Christi sermones, quorum stylus, tonus, « ratio, et doctrinae, nihil commune habent cum sermonibus qui « a synopticis referuntur. Sub hoc respectu talis ac tanta est « differentia, ut necesse sit ex toto seligere. Si loquebatur Iesus « ut vult Matthaeus, non potuit loqui ut vult Ioannes. Inter duas « auctoritates nullus criticus haesitavit aut haesitabit unquam » (1). Praeiverat Iulianus apostata, cuius fragmentum exstans apud Cyrillum Alexandrinum, l. 10 cont. Iul., est eiusmodi: « Tam « infortunati estis, ut ne manseritis quidem in iis quae vobis ab « apostolis sunt tradita... Iesum quippe illum neque Matthaeus

(1) Renan, Vie de Jésus, introd., pag. XXIX : « Jean met dans la « bouche de Jésus des discours, dont le ton, le style, les allures, les « doctrines n'ont rien de commun avec les *logia* rapportés par les sy- « noptiques. Sous ce rapport la différence est telle, qu'il faut faire son « choix d'une manière tranchée. Si Jésus parlait comme le veut Mat- « thieu, il n'a pu parler comme le veut Jean. Entre les deux autorités « aucun critique n'a hésité ni n'hésitera ».

« Deum dicere ausus est, neque Lucas, neque Marcus, *sed bonus* « *ille Ioannes,* cum sensisset magnam multitudinem in plerisque « urbibus Graecis et Italicis iam tum eo morbo captam esse, « primus id prodere ausus est ». Videndum igitur est an notatae differentiae id prodant quod rationalistis placet, valorem historicum quarto evangelio denegantibus, an aliunde potius suam explicationem habeant. Solutio autem maxime pendebit a consideratione diversarum circumstantiarum in quibus evangelia fuerunt scripta atque in lucem edita.

Et tria quidem priora sub nomine *synopticorum* veniunt. Ratio appellationis, quia fundum habent communem, et eumdem veluti prospectum vitae Christi Domini exhibent: ita scilicet, ut tabella synoptica construi possit, ponendo in conspectu ea quae Matthaeus, ea quae Marcus, ea quae Lucas narrant. Habent, inquam, fundum communem, primaevum evangelium orale, sive catechesim apostolicam primi ab ascensione Domini tricennii. Id certe Lucas diserte testatur in suo prooemio, I-2. « De Marco « quoque vox traditionis est, quod discipulus et interpres Petri, « iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fra- « tribus, breve scripsit evangelium » (1). Sed et Matthaeum, priusquam e Iudaea discederet, suae caeterorumque coapostolorum praedicationis commentarium fidelibus palaestinis reliquisse, late tradit Eusebius, Hist. Eccl. l. 2, c. 24. Quamquam nihil sane prohibeat quominus, non obstante communitate fundi, singulus quisque suas proprias narrationes habeat, propriumque modum, pro speciali scopo quem sibi praefixerat. Nam evangelium Matthaei eo maxime tendit, ut ostendantur Iudaeis adimpletae promissiones quae Abrahae factae fuerant, et posteris eius. Faciem habet *hominis,* iuxta Apocalypsis visionem, eo quod benedictum semen mulieris seu filium hominis per excellentiam, ex genere David oriundum, venisse annuntiat. Marcus, cuius narratio a voce clamantis in deserto usque ad sessionem a dextris Dei protenditur, scripsit pro Romanis dominatoribus terrae. Eminet

(1) Hieron. de viris illustr. c. 8. — Vide etiam Eusebium Hist. eccl. l. 2, c. 15.

stylo maxime succincto et nervoso, eoque tendit ut vis, robur, et potentia Christi declaretur. Faciem habet *leonis,* iuxta eamdem visionem Apocalypsis. Evangelium Lucae, forma et venustate sermonis absolutissimum, destinatum fuit Graecis sive gentilibus quorum Paulus fuit specialis apostolus. Ostendit Christum salvatorem cunctarum gentium, habetque faciem *bovis,* i. e. victimae ad sacrificium universalis redemptionis. Sed illud praecipue quoad tria synoptica animadvertendum, quod edita sunt ante Hierosolymae excidium, imo ante annum aerae nostrae circiter sexagesimum quartum. Certe evangelium Lucae prius venit in lucem quam liber Actuum, (Act. I-1), et liber Actuum, vivo adhuc Paulo procul dubio scriptus est, cum in eo a cap. 13 acta Pauli singulariter et exclusive describantur, et non producatur narratio ultra biennium Romae commorantis apostoli in prima eius captivitate, (Act. XXVII-30). Ergo ante expletum biennium, quod fere coincidit cum anno Neronis nono, aerae vulgaris 63, prodierat in lucem Lucae evangelium; prodierant a fortiori alia duo, quae omnium consensu anteriora sunt. Et de synopticis quidem, haec annotasse sufficiat.

Nunc de quarto evangelio dicendum in primis, unanime esse totius antiquitatis testificationem, iis quoque consonam quae libri contextus prae se fert, (XXI-20-24), quod auctorem habet Ioannem apostolum, testem oculatum vitae Christi Domini, testem auricularem praedicationis eius. De qua re vide omnino Eusebium l. 3, c. 24. Equidem locus est Papiae in quo videretur asseri exsistentia alicuius Ioannis presbyteri distincti a Ioanne apostolo, (apud Euseb. l. 3, c. 39). Sed quidquid sit de distinctione sat dubia inter unum et alterum Ioannem, notetur diligenter quod nemo e veteribus suspicatus est unquam, paternitatem evangelii alicui alii quam apostolo esse adscribendam. Et nequidem Eusebius qui primus omnium de alio Ioanne quaestionem movit, et timide ait eum fuisse fortasse apocalypsis auctorem; de evangelio vero asserit indubitanter quod pleno omnium consensu, Ioannis apostoli est. Si qua ergo in argumentis modernistarum apparentia veritatis, tota se tenet ex parte solius criterii interni, pro quanto scilicet, quartum evangelium alius

indolis se prodit ac caetera tria. Sed praeterquam quod eiusmodi argumentum nusquam praevalere posset contra positivum historiae testimonium, quod in praesenti proprius est demonstrationis locus, dico differentias notatas inter Ioannem et synopticos perquam naturaliter explicari, si ad sequentia attendamus.

Et prima quidem observatio sit, quod Ioannes ultimus omnium scripsit, sicut constans est veterum asseveratio, criterio etiam interno plene confirmata. Siquidem quartum evangelium sese ubique implicite refert ad synopticos, quos notissimos supponit, et sub omnium oculis positos; ac propterea ex industria omittit ea quae in tribus aliis consignata iam fuerant, nonnisi praetermissa ab eis Christi gesta narrare in proposito habens (1).

Secunda observatio est, quod Ioannes non solum scripsit ultimus, verum etiam longo post tempore scripsit, id est, quadraginta circiter annis ab editis synopticis, cum eversa iam Hierosolyma, funditusque destructo regno iudaico, mutatae erant circumstantiae omnes in quibus prodierat primaeva catechesis apostolica, ut inde valde verosimilis accipiatur ratio cur plura quae synoptici omiserant, utique non parvi momenti, solus Ioannes postea litteris commendaverit (2).

(1) Certe Ioannes sic incipit: *In principio erat Verbum..., et Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Sed quomodo, ubi, unde carnem sibi copulavit? An forte somniat Verbum carnem factum sic de coelo descendisse? Absit. Non ignorat auctor quarti evangelii matrem Iesu, de qua ter mentionem facit, quamque iuxta crucem stantem commemorat. Cur ergo, ne verbum quidem, ne allusio vel longinqua ad modum et circumstantias historicas descensus Verbi incarnati, sicut inaudita rei singularitas prorsus requirere videbatur? Sed sese refert ad ea omnia quae ex Matthaeo et Luca omnes acceperant. — Simili modo, Ioan. VI-68, sermo est ex abrupto de *duodecim,* de quibus nulla antea mentio. Et qui sunt hi duodecim? Sed notum supponit ex synopticis collegium apostolorum, quorum electionem, nomina et numerum illi referunt. — Adhuc, celebris illa promissio panis vitae magnum aenigma continebat, quod in ultima demum coena suam habuit enodationem: de qua tamen Ioannes nihil, sed soli synoptici.

(2) Exemplum est de resurrectione Lazari. Quaerunt qui tandem fieri potuerit ut apud synopticos nulla relatio sit de celeberrimo hoc miraculo, si vere historicum fuit, imo, ut Ioannes tradit, totius coniu-

Tertia observatio erit, quod scripsit Ioannes quando iam inter christianos inceperant haereses surgere, Cerinthi scilicet et aliorum, ut refert Hieronymus de viris illustr. c. 9. Unde facile explicatur quare consulto elegerit in praedicatione Christi eos sermones, in quibus contra scribas hierosolymitanos de sua aeterna origine disputaverat; itemque in eius gestis, ea quae fecerat miracula cum explicito fine demonstrandi suam cum Patre consubstantialitatem. Frustra ergo dicunt, quartum evangelium sese prodere tamquam thesim, cuius enuntiatio est in exordio, et demonstratio in corpore libri, nescio quot enormia congerentes, ut artificialitatem suadeant, indolem vero historici commentarii dissimulent. Nam his interim omissis, quis nesciat duo esse genera thesium: alias a priori, alias a posteriori, quae non modo non excludunt historiam, sed in ea potius suum fundamentum habent? Et sic ultro fatebimur selecta potissimum a Ioanne in vita, dictis, et actis Iesu Christi, quaecumque magis idonea visa sunt ad demonstrationem fidei contra certas illas haereses ad quas alludit in epilogo evangelii, (XX-31), et quas diserte memorat in sua ad Parthos epistola, (II-18 et IV-3).

Quarta adhuc observatio: quod Ioannes scripsit ad fideles qui iam erant domestici fidei, et in christianis mysteriis praeedocti. Non mirum igitur est si sublimiora et intimiora attigit in Christo, secus ac primitiva illa catechesis apud synopticos servata, quae faciliora, ut circumstantiae ferebant, debuit proponere. Unde, de divinis processionibus, de relationibus aeternis, aliisque ad profundum Trinitatis pertinentibus ea refert, quae

---

rationis Synedrii contra Christum proxima causa seu occasio. Porro nihil adhuc sequeretur, etiamsi nos rationem praetermissionis assignare non possemus. Nunc autem valde verosimile est, ut ipse quoque annotavit Rosenmuller ad Matth. XXVI-51, rationem esse repetendam ex differentiis temporum. Quia tempore quo catechesis apostolica primaevam habebat formam quam retinuit apud synopticos, suadebat prudentia ut de Lazaro sileretur, quem Iudaei cogitaverant interficere, eo quod multi propter illum abibant et credebant in Iesum (Ioan. XII, 10-11). Eadem quoque ratio erit cur reticet Lucas, XXII-47, nomen eius qui amputavit Malcho auriculam, et non ita Ioannes, XVIII-10.

apud alios desunt. Et dum alii externa tradunt sacramentorum constitutiva, utputa baptismi et eucharistiae, ipse circa intimos eorum effectus occupatur, sicut in colloquio cum Nicodemo, et in sermone de pane vitae.

Ultimo demum animadvertes quod historicitas quarti evangelii nequaquam requirit ut in eo sermones Domini sub eadem semper verborum materialitate contineantur, in qua prolati sunt. Sed bene stat quod modo suo proprio sensum et argumenta, eaque non in extenso, sed compendiose Ioannes retulerit: ita ut diversitas styli comparative ad *logia* synopticorum, difficultatem veram minime facessere possit.

Ex his igitur, aliisque similibus considerationibus omnino explicantur notatae differentiae, quae longe sunt ab omni specie contrarietatis. Nihilo tamen minus, ut exigentiis adversariorum quantumvis omni fundamento destitutis morem geramus, seorsum proponentur testificationes quas de sua divinitate dat Christus apud Ioannem, seorsum vero illae quae inveniuntur apud tres synopticos. Integram autem demonstrationem ad certa capita reducemus, trahendo primo argumentum ex hoc quod Christus se asseruit Filium Dei.

§ 1.

Filius proprie dicitur ille qui ab alio processit tamquam a consubstantiali principio in similitudinem naturae, communicatam habens eam quae in patre est essentiam, vel specie vel numero eamdem. Sicut ergo filius hominis est homo, ita et filius Dei Deus est, si tamen filius dicatur sensu adaequato et proprio, et non tantum analogico vel participato. Ratio restrictionis evidens est, quia et in humanis nomen filii non uno sumitur modo, sed ubicumque aliqua occurrit analogia, sive ad generationem naturalem ex qua relatio filii innascitur, sive ad ea quae hanc relationem consequuntur, ibi etiam non absurde quaedam ponitur filiatio. Nam filius apud nos dici potest quisquis ab altero instruitur secundum spiritum, quasi quadam spirituali parturitione ab eo procedens: *Filioli mei,* inquit apostolus, *quos iterum par-*

turio donec formetur Christus in vobis. Item filii nomen suscipit is qui suggestione seu influxu ab aliis accepto, similis eis efficitur moribus, sensu, cogitatione, principiis: qua ratione in evangelio commemorantur *filii huius saeculi, filii diaboli, filii gehennae,* etc. Item, si quis ab aliquo assumatur in ius haereditatis quod naturali ordine consequitur nativitatem, non genere quidem, sed adoptione filius appellatur. Nec operae pretium est ad singula exempla descendere, quoniam res omnino in aperto est. Sed et sine tergiversatione conceditur, filiationem ad Deum obnoxiam esse eidem multiplicitati acceptionum cui obnoxia est in humanis. Unde tandem non ex appellatione filii mere materialiter considerata sumendum est nunc argumentum, sed ex ratione et modo prorsus singulari quo de Iesu Christo haec filiatio praedicatur.

1. **Quod nomen Filii Dei, singulariter, absolute, et sine addito in Evangelio a Christo assumptum, est ex sese certissima divinitatis eius affirmatio.**

Si diligentius revolvas libros tam Veteris quam Novi Testamenti, videbis filiationem divinam sensu analogico et participato hominibus attribui, vel ratione professionis, vel ratione officii, vel ratione moralis perfectionis, vel demum ratione gratuitae assumptionis in communionem bonorum et beatitudinis Dei. — Primo occurrit mentio filiorum Dei, Genes. VI-2: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae,* etc. Quo in loco filiae hominum sunt mulieres e progenie Cain; filii vero Dei sunt Sethitae apud quos hactenus conservatus fuerat verus Dei cultus [1]. Et sane, cum ad filios pertineat colere et revereri patrem, non male illi qui professione saltem verae religionis ab aliis distinguuntur, sub filiorum Dei appellatione veniunt. Unde etiam Ps. XXVIII-1, invitantur Israelitae ad frequentationem sacrificiorum in tabernaculo foederis, his verbis: *Afferte Domino filii Dei, filios arietum, afferte Domino gloriam et honorem.* Et Esth. XVI-16, vocat Assuerus Iudaeos iustis legibus et sanctae religioni servientes, *filios altissimi et maximi semperque viventis*

[1] Cf. Genes. VI-26.

Dei. — Secundo dicti sunt aliqui filii Dei ratione auctoritatis participatae a Deo, eo quod filiorum est participare auctoritatem patris supra famulos. Recte ergo de iudicibus Israel populum iudicantibus, sed sua potestate abutentibus, intelliguntur ista Psalmi LXXXI: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?... Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini,* etc. — Tertio apud Iob, nomine filiorum Dei recensentur angeli boni, per oppositionem ad Satan qui in veritate non stetit, sed contra Deum divisus, e domo Dei eiectus est. *Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* — Quarto, in evangelio Christus hortatur nos ut simus filii Dei moribus et imitatione, benefaciendo etiam inimicis nostris: *Ut sitis filii Patris vestri qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* — Quinto ibidem filios Dei vocat eos qui digni habebuntur saeculo venturo in gloriosa resurrectione a mortuis, ac per hoc, in Dei et beatitudinis eius consortium assumentur: *Aequales angelis sunt,* inquit Luc. XX, 35-36, *et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Sed et alias frequentissime annuntiatur filiatio illa propria Novi Testamenti quae iam est in praesenti per gratiam, per iustificationem ex fide (Rom. IV, 1-2), per acceptionem spiritus adoptionis (Rom. VIII, 15-16; Galat. IV, 6-7), per fidem quae est in Christo Iesu (Galat. III-26), per semen Dei quo a filiis diaboli secernimur (1 Ioan. III, 9-10), etc. Uno demum verbo, aut filii Dei dicuntur aliqui comparative ad alios, ita ut ex ipsa oppositione ratio appellationis innotescat, aut si absoluta appellatio est, semper coniungitur conveniens explicatio. Ex quo iam apparere potest quid sentiendum foret de hoc nomine *Filii Dei,* si forte singulariter, absolute, et sine addito, tamquam proprium ac personale nomen alicui attribueretur.

Sane vero, quisquis filius alicuius per naturam non exsistens, ipsius filium nihilominus se affirmat, determinare habet qua ratione, quave de causa filiationem hanc sibi vindicet. Et multo evidentius urget ista necessitas si asserta filiatio in controversiam veniat, si de ea in iudicio solemni attestatio quaeratur, si

eousque res processerint ut nulli aequivocationi locus amplius esse possit. Alioquin, in his praesertim circumstantiis filium se affirmare, nulla declaratione adiuncta, idem est ac asserere filiationem cuius ea sola ratio sit, quam sponte sua filii nomen importat, id est filiationem propriam et naturalem.

Atqui de Christo narrant evangelistae quomodo vocatus in iudicium capitale, adiuratus sit a summo pontifice Synagogae, assidente universo synedrio, hoc modo: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* At ille respondit: *Tu dixisti.* Ita referunt Matthaeus, Marcus, et Lucas. Sed et apud Ioannem dicunt Iudaei ad Pilatum: *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Denique, testante Matthaeo, dum penderet Christus in cruce, praetereuntes principes sacerdotum irridebant clamantes: *Dixit enim, quia Filius Dei sum.* Haec de iudicio Christi, et de causa condemnationis eius. — Quibus consona sunt ea quae tam ante quam post passionem, sive apud Ioannem sive apud synopticos invariabiliter traduntur. Apud Ioannem quidem, in locis innumeris: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (III-16). *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (V-28). *Tu credis in Filium Dei?.... Qui loquitur tecum, ipse est* (IX, 35-37), etc. Apud synopticos vero, ubi Christus magno encomio laudat et coelitus inspiratam dicit confessionem Petri: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. XVI, 16-17). Item, ubi complacens sibi in humilibus et parvulis quibus revelata sunt secreta caelestia, dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matth. XI-27; Luc. X-22). Item, in illa parabola in qua ostendit omnes prophetas Dei servos a Iudaeis occisos, postremo se filium a Patre missum eadem sorte a malefidis donandum, (Matth. XXI, 33 et seq.). Item post passionem, quando apostolos in totum mundum mittit dicens: *Euntes docete... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (1). — Atque hisce ipsius Christi de seipso attestatio-

(1) Praecipua consideratione digna est haec formula baptismi apud Matthaeum, quoniam evidentissime in ea asseritur Filius, ut qui in ex-

nibus adiungitur apud synopticos vox de coelis audita, primum quidem in ripa Iordanis: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui* (Matth. III-17, Marc. I-11, Luc. III-22); postea in monte transfigurationis: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* (Luc. IX-35, Matth. XVII-5, Marc. IX 6). Sed et in omnibus evangeliis, coram Iesu Christo sub absoluta appellatione Filii Dei curvatur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum. Nam angelus ad Virginem apud Lucam ait: *Filius Altissimi vocabitur*, et iterum: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, (Luc. I, 32-35). Apud Matthaeum, Marcum, et Lucam, conterriti daemones clamant: *Quid nobis et tibi, Iesu Filii Dei* (Matth. VIII-29, Marc. V-7, Luc. VIII-28). Protestatur Ioannes Baptista: *Quia hic est Filius Dei.* Confitetur Nathanael: *Tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Adorat caecus natus, interrogatus an crederet in Filium Dei: *Credo, Domine, et procidens adoravit eum.* Exclamant ii qui in navicula erant, videntes quomodo ventis imperasset et mari: *Vere Filius Dei es.* Et centurio post prodigia in morte visa: *Quia vere Filius Dei erat iste.*

Iam ergo indubitanter efficitur, Iesum Christum sub singulari appellatione Filii Dei fuisse mundo manifestatum, idque sine aliqua conditione seu explicatione diminuente, imo vero cum exclusione illiusmet, attentis omnibus circumstantiis et adiunctis

---

cellentia auctoritatis omnimode cum Patre communicat. Dignus quoque textus alius, Matth. XI-27. Quid est enim, quod *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare?* quid, inquam, nisi quod Filius est in eodem cognoscibilitatis gradu ac Pater, adeoque eiusdem ontologicae excellentiae seu naturae? lucem sicut Pater inhabitans inaccessibilem, quem in sua natura propria nemo hominum vidit, sed nec videre potest? Haec fatentur modernistae, qui idcirco ad solitum effugium recurrunt, negando textuum historicitatem. Prioris quidem (Matth. XXVIII-19), quia verba sunt Christi a mortuis redivivi, qui non est historicus et realis Christus, sed Christus mysticus, cuius realitas tota est in conscientia credentium. Posterioris vero (Matth. XI-27), quia textus incipit his verbis: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec*, etc., quae essent imitatio orationis Iesu filii Sirach, Eccli. LI-1, cum tamen verosimile non sit, Christum voluisse imitari Ecclesiasticum!

hactenus declaratis. Sed nunc multum crescit argumentum si consideretur quo sensu nomen Filii Dei fuerit intellectum ab iis quibus praedicavit Christus, quove modo communis omnium intelligentia omnibus modis ab eo confirmata.

2. Quod appellatio Filii Dei fuit ab iis inter quos Christus vixit, in sensu verae et propriae divinitatis constanter intellecta.

In primis falso quis existimaret, nomen *fili Dei* fuisse tunc temporis in usu ad designandum Messiam qualis a vulgo exspectabatur, sub sola ratione liberatoris, seu restitutoris regni Israel collapsi, ut multis ostendit Franzelin, de Incarn. Thes. 3. Haec enim appellatio nusquam occurrit in ore turbarum, aut cuiusquam eorum quos sola docuerat traditio popularis, sed quoties in evangelio sermo est de Messia *secundum communem opinionem,* nominatur filius David, vel propheta venturus, vel rex Israel, vel salvator mundi, vel Messias aut Christus sine addito (1). Et sane in die palmarum Messiam turbae acclamabant dicentes: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini* (Matth. XXI-9); *benedictum quod venit regnum patris nostri David* (Marc.

(1) Nota bene quod praesens argumentum intendit destruere id quod aiunt Sociniani tam veteres quam moderni: nomen filii Dei nihil aliud importasse apud coaetaneos Christi, quam quod commune praeiudicium huius temporis de Messia ferebat. Declarandum igitur assumit, abfuisse revera hanc appellationem a nominibus Messiae secundum vulgarem opinionem. Caeterum, si sermo esset de Messia prout obiective in Scripturis V. T. proponitur, vel etiam prout erat in fide illuminata eorum paucorum quos oraculorum arcana non latebant: sic dubium non est quin nomen filii Dei tantumdem valeret, quantum nudum Messiae nomen. Sed hoc ideo praecise est, quia Scriptura vetus non proponit Messiam ut temporalem liberatorem, imo neque ut simplicem salvatorem spiritualem, verum etiam ut Deum verum de Deo vero. Sic in psalmo 109, ubi nativitas eius aeterna, ante luciferum in splendoribus sanctorum celebratur. Sic in Isaia, ubi appellatur Emmanuel, admirabilis, Deus fortis. Sic in Zacharia, ubi Messias confixus in cruce est ipse Iehovah effundens super domum David spiritum gratiae et precum. Sic in Malachia, ubi idem est Iehovah mittens angelum seu praecursorem ante faciem suam, et Messias ante cuius faciem praecursor mittitur.

XI-10); *benedictus qui venit rex in nomine Domini* (Luc. XIX-38); *hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel* (Ioan. XII-12). In die etiam multiplicationis panum haec vox erat multitudinis: *Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum* (Ioan. VI-14). Et in festo scenopegiae dicebant multi de populo: *Hic est vere propheta;* alii, *Hic est Christus* (Ioan. VII-40). Samaritana quoque referens id quod vulgo credebatur, ait: *Scio quia Messias venit.* Et caecus natus post miraculosam sanationem, suum benefactorem ultro prophetam fatetur, de Filio autem Dei adhuc nihil scit. Accedit vel maxime confessio Petri, Matth. XVI-16. Quis enim crederet Petrum, confitendo Filium Dei vivi, nihil expressisse praeter id quod tot alii iuxta vulgarem de Messia existimationem in persona Iesu agnoverant, et fuisse ridicula prorsus emphasi laudatum, ut qui ultra humanum intendisset oculos, pervenissetque ad cognitionem altissimi mysterii cui revelando non caro nec sanguis sufficeret, sed solus Pater? Sed est aliquid adhuc fortius. Nam, Matth. XXII-41, ad hanc interrogationem: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* scribae et pharisaei nihil aliud respondent nisi: *David.* Et cum eis affertur auctoritas Psalmi 109, ex qua apparet aliquid excellentius de Messia esse sentiendum, cum sit dominus ipsius David: non habent quid respondeant, et suas de Messia ideas cum hac auctoritate conciliare nesciunt.

Elucet etiam distinctio inter nomina *Christi* et *Filii Dei* in communi intelligentia populi Iudaeorum ex ratione processus apud Pilatum, quem hic breviter referre iuvabit. Nimirum, post sententiam mortis in suo concilio edictam, Iudaei statuerant rem deferre ad Romanum procuratorem. In quo quidem non adeo solliciti fuerant legalitatis secundum quam eis non licebat interficere quemquam, cum scirent Romanos in causis religionis facile relaxare de rigore iuris, imo vero licentiam expresse a Pilato datam iudicandi secundum propriam legem, mox essent recusaturi. Unde, ut alibi iam dictum est, vera ratio et causa fuit, quia in lege Moysis pro crimine blasphemiae statuta erat lapidatio quae odio eorum non erat satis. Volebant enim Christo infamem mortem crucis, solo iure et more Romano inflictam iis

qui Romana civitate carebant. Quapropter in accusatione ad praesidem delata, de blasphemia et appellatione Filii Dei mentio fieri non debuit. Sed, inquiunt, *hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari,* **et dicentem se Christum regem esse.** Quippe hic erat aspectus politicus, quo solo moveri poterat politicus magistratus. Interrogat ergo Pilatus Iesum, et statim ac intellexit nihil Caesari esse timendum a rege cuius regnum non esset de hoc mundo: *Ego,* inquit, *nullam invenio in eo causam.* Non acquiescunt Iudaei, et urgent dicentes: *Commovet populum, incipiens a Galilaea usque hunc.* Erat enim Galilaea tunc temporis fomes rebellionis contra Romanam dominationem (1), et hac de causa, paucis ante mensibus, Pilatus ipse integram Galilaeorum turmam occidi iusserat in templo Ierusalem (2), inimicitiasque Herodis sub cuius potestate erant, inde sibi promeruerat. At praeses intelligens inanitatem delationis, non mutat priorem de Christo opinionem, sed medium evadendi quaerit, et putat se ibi invenisse solutionem ubi implicari putabatur. Nam optimam occasionem nactus, non solum expediendi se a iudicio iniusto, verum etiam reconciliandi se cum tetrarcha, iubet Iesum remitti ad Herodem qui et ipse propter paschatis festum Hierosolymis erat his diebus. Res equidem accidit Herodi gratissima, sed nulla negotii conclusio. Et ideo congregatis mox principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, statum quaestionis exponebat Pilatus dicens: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei.* Videt nihilominus periculosissimum fore, si in tanta commotione animorum offenderet Iudaeos, praesertim iura Caesaris specie tenus adserentes. Quare iterum ad subterfugia descendit, occasionem arripiens ex consuetudine dimittendi unum vinctum in paschate, quemcumque populus petiisset. Ve-

(1) Act. V-37.

(2) « Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de « Galilaeis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum » Luc. XIII-1.

rumtamen neque sic intentum obtinet finem, nam invalescebant dicentes: *Non hunc, sed Barabbam.* Succedit flagellatio qua sperabat praeses invidiae persequentium fieri satis. Non enim ipse persequendo flagellavit, sed Iudaeorum furori satisfacere volens, ut vel sic mitescerent et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent. At frustra, nam cum vidissent eum pontifices et ministri portantem coronam spineam et purpureum vestimentum, instantius clamabant: *Crucifige, crucifige eum.* Pilatus vero: *Accipite eum vos et crucifigite, ego enim non invenio in eo causam.* Sed iam intelligunt Iudaei se habere praesidem in sua potestate, et rem eousque processisse ut infallibiliter obtemperaturus sit omni eorum voluntati. Ideo tandem totam de integro causam exponunt, utque palam fieret in eamdem concurrere condemnationis sententiam, et legem Caesaream propter assumptam dignitatem regiam quae Messiae propria erat, et legem Iudaicae religionis propter impiam et blasphematoriam divinae filiationis usurpationem: *Nos,* aiunt, *legem habemus, et secundum legem debet mori,* **quia Filium Dei se fecit**. Iam age. Appellationem *Christi regis* et *Filii Dei* non fuisse eamdem in communi intelligentia, sed hanc secundam multum addidisse supra primam, apparet primo ex distinctione accusationis, et ex progressu quo Iudaei ab una delatione veniunt in aliam. Apparet secundo ex terrore quo, nova hac revelatione accepta, concussus est Pilatus; nam, inquit evangelista, *cum audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Ideo ingreditur praetorium iterum, et dicit ad Iesum: *Unde es tu?* An de coelo, an de terra? Esne homo, esne Deus? Perspexerat enim quid distaret inter dicere se Christum regem, et facere se Filium Dei. Nec difficile erit invenire timoris ingravescentis causam. Nam omnia ea quorum testis hactenus exstiterat, tam ex parte victimae quam ex parte persequentium, communes atque ordinarias proportiones omnino excedere ei videbantur. Insuper superstitiosum hominem mox monuerat uxor de somnio terribili, et ecce sententia mortis petebatur adversus eum qui cum Filium Dei se fecisset, forte non erat mentitus, id de se asserendo! Quapropter, *exinde* (magis) *quaerebat Pilatus dimittere eum,* quoadusque tandem vinceret respectus Caesaris: *Si hunc dimittis,*

non es amicus Caesaris... non habemus regem nisi Caesarem. Quibus auditis, tradidit illum ut crucifigeretur. Ex his igitur palam fit, nomen Filii Dei fuisse ab omnibus pariter acceptum in sensu longe diverso ab eo quem prae se ferebat nomen Christi vel Messiae in opinione communi; imo vero tantum distasse unum ab alio, quantum a terra caeli exaltantur. Et quid tandem putas hoc nomen addidisse? Quid nisi veram ac proprie dictam divinitatem? Nam sane, quamcumque divinitatis creatam participationem assignaveris, eam Iudaei a suo Messia alienam non existimabant. Sed nunc conclusio magis firmanda est ex consideratione iudicii coram Caipha et toto sacerdotum consessu celebrati.

Narrant synoptici quomodo interrogatione facta: *Si tu es Christus Filius Dei,* ad responsionem affirmativam: *tu dixisti,* princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: *blasphemavit,* caeterique conclamaverunt: *reus est mortis.* Confer nunc legem in cuius virtute huiusmodi sententia pronuntiatur. Continetur in Levitico (XXXIV-16): « Qui blasphemaverit nomen Domini, « morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive « ille civis sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen « Domini, morte moriatur ». Atqui falso se dicere Dei filium secundum quamdam creatam divinitatis participationem, quantumvis excellentem, mendacium quidem est atque impostura; blasphemia autem sive convicium irrogatum Deo, nulla verisimilitudine dici potest. Per hoc enim nihil negatur de Deo quod ei conveniat, nihil de eo asseritur quod ei non conveniat, in quo blasphemiae ratio stat et summa malitia. E contra, arrogare sibi respectu Dei propriam ac naturalem filiationem (secundum quod Filius Dei, Deus est, eo pacto quo filius hominis, homo est), nihil est aliud quam arrogare sibi ipsam divinitatem, ac per consequens facere Deum creaturam. Haec igitur maxima blasphemia est pro qua, utpote iuridice tandem cognita, reus mortis ab omni concilio declaratur Christus. Illa, inquam, ipsa quae ei in decursu suae praedicationis fuerat toties exprobrata, puta apud Lucam, V-21: *Coeperunt cogitare scribae et pharisaei dicentes, quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Et apud Matthaeum IX-2: *Dixit paralitico: confide,*

fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat. Et apud Ioannem, V-18: *Quaerebant eum Iudaei interficere, quia patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Et ibid. X-33: *De bono opere non lapidamus te,* **sed de blasphemia, quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.**

Manet ergo demonstratum quod nomen Filii Dei fuit ab iis inter quos Christus vixit, in sensu verae divinitatis indubitanter intellectum. Nunc autem solum superest videndum an isti in sua interpretatione erraverint, vel ei quem perdere intendebant, gratuitam imposuerint calumniam.

3. Quod sensus qui communiter nomini Filii Dei attribuebatur, fuit constanter et omnibus modis a Christo confirmatus.

Certe, cum in controversia de violatione sabbati accusatores suos refellebat, non modo ex qualitate operum quae sub lege sabbati non cadebant (Luc. XIII-15, XIV-5), verum etiam, altius repetendo principium, ex conditione operantis qui lege illa non teneretur, utpote *dominus exsisiens etiam sabbati* (Matth. XII-8, Marc. II-28), nonne evidens praebebat fundamentum imputationi cui alludit apostolus cum dicit: *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo?* Quis enim est dominus legis nisi ipse legislator, et quis legis sabbati auctor nisi Deus? Non ergo errabant Iudaei intelligendo filiationem divinam quam sibi Christus attribuebat, in sensu filiationis propriae et naturalis.

Adhuc, cum in eadem de sabbato controversia aiebat: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (Ioan. V-17), quaenam esse poterat, quaeso, consequentia, nisi intenderet unam atque eamdem esse Patris et Filii operationem, aut certe operationem in Filio, non secus ac in Patre, nulli legi esse obnoxiam? Utroque autem modo causa dabatur adversariis concludendi: ergo patrem suum dicit Deum, aequalem se faciens Deo. Atqui nedum ligitimae huic conclusioni attenuationem quaereret Christus, amplificabat eam magis, asseverans se operari omnia quae Pater operatur, se vivificare quos vult sicut Pater suscitat mortuos et vivificat (Ioan. V-21). Et quia revelatio pluralitatis personarum

in Deo non debebat esse sine adiuncta revelatione processionum seu originum quae sunt secundum operationes naturae intellectualis, (ne quis scilicet in divinis cogitaret materialem generationem et multiplicationem individuorum, aliaque eiusmodi absurda): ideo suam attestans filiationem, concomitanter etiam explicabat modum processionis a Patre, ducta analogia ex sensibilibus quae apud nos sunt similitudinibus. Huc spectat visio illa ac demonstratio de qua aiebat: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit. Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quae ipse facit.* Cum enim apud nos ratio facturae operis, mediante visu et demonstratione communicari soleat ab uno artifice in alium, inde sumebat exemplum ut in lingua nostra, et veluti balbutiendo cum balbutientibus (quippe humanitus ad homines loquebatur de ineffabilibus sacramentis), significaret se eatenus cuncta operari, quatenus aeterna processione secundum actum intellectus, communicatam a Patre habet rationem effectionis operum, sive artem, vim, et actionem creatricem quae est cum divina natura omnino idem ([1]).

Adhuc, urgentibus Iudaeis in hunc modum: *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam,* respondebat: *Loquor vobis, et non creditis... Sed vos non creditis quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.* Quo in loco manus Patris est omnipotentia Patris, cui nulla praevalet creata potestas. Et haec omnipotentia Patris in Christo pariter est, quia est illud maius omnibus quod aeterna generatione Filio dedit Pater. Unde consequitur quod oves ad vitam aeternam praedestinatae, utpote in manu Christi repositae, infallibiliter salvabuntur et non peribunt in aeternum. In his igitur satis evidens continetur divinitatis assertio.

Sed ne quis cavilletur in diversitate lectionum (nam qui-

([1]) De his cf. tractatum de Trinitate, ubi de processionibus divinis.

dam codices loco lectionis vulgatae: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est,* habent: *Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est*), considerationem nunc restringe ad ultima verba in quibus potissima vis reponitur, et quae per se sola rem conficiunt. *Ego et Pater,* inquit, *unum sumus.* Quid sibi vult istud *unum?* Sane vero, vel unum simpliciter, unitate scilicet consubstantialitatis; vel unum secundum quid, unitate quae habetur inter principem et ministrum, inter amantem et amatum, inter participantem et eum a quo participat, aut si qua alia unitas est eiusmodi. Atqui impossibile omnino est hanc posteriorem unitatem intelligere. Nam in primis, quamcumque accidentalem unitatem assignaveris, profecto non sufficiet ad salvandam vim huius verbi, *unum sumus,* absolute et sine addito prolati. Quis enim Dei minister, quis Dei amator, quis Dei sacerdos, organum, aut vicarius, ita desipuit unquam ut dicere auderet: ego et Deus unum sumus? Ait quidem apostolus: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* Sed valde diversa sunt istud *ego,* et istud *qui adhaeret Domino,* cum hic importetur accidentalis conditio personae, illic vero persona simpliciter. Valde etiam differunt, *unum sumus,* et *unus spiritus est,* cum unus spiritus idem sit ac unum cum addito, unum nempe spiritu, affectu, et mutua illa inhaesione qua amans est in amato et amatum in amante. Dicit iterum apostolus: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit.* Sed numquid forte seipsum dicet esse unum cum Domino? Imo vero, inquit, *ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; qui autem plantat et qui rigat unum sunt,* id est, in eodem gradu sunt, scilicet in gradu ministrorum, et ita quidem ut ipsi non debeant attendi, sed solus Deus cui ministrant. Dicit etiam Christus in ultima oratione sua ad Patrem pro discipulis: *Ut sint unum sicut et nos unum sumus... Ut omnes unum sint sicut tu in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Sed numquid in ipsa unitate Patris et Filii sunt et discipuli? Absit, nam Patris et Filii unitas solum proponitur ut exemplar unitatis Ecclesiae, eodem scilicet pacto quo perfectio

Patris proponitur ut exemplar perfectionis nostrae, cum dicitur a Christo: *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Quid plura? Nonne homo qualiscumque eiusmodi sententiam enuntians: ego et Deus unum sumus, indubitanter haberetur ab omnibus ceu dementia captus? dementia, inquam, vel physica quae causam habet physicam laesionem cerebri, vel morali quae est summa mentis hebetudo?

Verum, esto quod insolita prorsus atque abnormi phraseologia, asserta cum Patre unitas aliquid aliud significare potuisset quam naturae unitatem. Id saltem certissimum, Iudaeos verba Christi de facto accepisse in sensu obvio et naturali, imo sustulisse lapides ut lapidarent eum, *quia tu,* inquiunt, *homo cum sis, facis teipsum Deum.* Quid ergo oportuisset eum respondere si in modo intelligendi assertionem suam, decepti fuissent adversarii? Erratis, debuisset ipse dicere, in sensu non genuino sumentes verba mea. Non enim intendebam id quod ad litteram sonant, et non est cur de blasphemia me accusetis quasi me fecissem aequalem Deo; nam etsi purus homo sim, tamen Dei legatus et minister exsisto, etc., etc. Haec sane et alia eiusmodi oportuisset ipsum regerere, eo vel magis quod si error erat, erroris causa fuisset ipsemet, propter talem ac tantum abusum sermonis humani. Nunc autem, quid responderit diligenter attende. *Nonne,* inquit, *scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est,* id est, si illos homines dixit deos, quibus ex adventitio fuit dignitas a qua appellati sunt dii, quamque eis contulit sermo Dei ad eos factus: *quem Pater sanctificavit,* id est hostiam fecit seu agnum tollentem peccatum mundi ([1]), aptando ei corpus in quo

([1]) Eodem sensu quo infra. Ioan. XVII-19: *Pro eis ego sanctifico meipsum,* id est, hostiam me offero. Eodem etiam sensu quo dicitur, 2 Cor. V-21: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* id est, Deus Pater Filium suum qui sine peccato erat, hostiam pro peccato fecit. Alludit ergo Christus ad testimonium Ioannis Baptistae: *Ecce agnus Dei,* etc., et suam effectionem in victimam, sanctificationem vocat, more usitato in Scriptura: *Sanctifica mihi,* inquit Exod. XIII-2, *omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel,* et alibi pluries. Recole dicta superius, ubi de legalibus circa puerum Iesum servatis, Q. 37.

posset offerri loco holocautomatum hircorum et taurorum quae non placuerunt [1]: hunc, inquam, cui ex adventitio est, non forma Dei, sed forma hominis quam tunc accepit quando eum Pater *misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Ubi vides oppositionem inter eos ad quos sermo Dei factus est, et eum quem Pater sanctificavit atque in mundum misit. Isti erant homines facti aliquo modo dii; hic e converso, est Deus factus homo. Isti fuerant effecti id unde dii appellantur; hic vero nequaquam effectus est id unde dicitur Filius Dei, sed id unde adversarii sumunt causam accusandi dicentes: *tu homo cum sis.* Est igitur ibi argumentum ad hominem, a maiori ad minus, hoc modo: Si humana natura quae propria et nativa fuit natura eorum quos alloquitur Scriptura, non obstitit quominus illi sine blasphemia dicerentur dii: quanto minus humanitas quae mihi in forma Dei praeexsistenti fuit unita, cum factus sum hostia pro peccato et missus in mundum, in causa esse poterit cur blasphemiae sim reus, dicendo me Filium Dei? Hinc tandem concludit dicens rem esse diiudicandam ex miraculosis signis atque operibus quibus sua attestatio sigillatur: *Si non facio,* ait, *opera Patris mei, nolite credere mihi; Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.*

Adhuc, cum Matth. XXII, Pharisaei consilium ineunt ut caperent eum in sermone, et mittunt primo Herodianos percontantes an liceret dare tributum Caesari, tum Sadducaeos interrogantes de resurrectione mortuorum, ultimo legis doctorem tentantem et dicentem: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* intentio subdola satis perspicua est. « Sad-« ducaeis confusis, inquit Chrysostomus, Hom. 72 in Matth. « pharisaei rursus aggrediuntur, cumque quiescere oporteret, « decertare voluerunt, et legis peritiam profitentem praemit-« tunt, non discere, sed tentare cupientes, ac ita interrogant:

[1] « Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, « *corpus autem aptasti mihi.* Holocautomata pro peccato non tibi pla-« cuerunt. Tunc dixi, ecce venio. etc. ». Psalm. XXXIX 7, apud Paulum ad Heb. X-5.

« *Quodnam primum mandatum in lege sit.* Nam cum primum « illud sit: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos « coram me,* putantes causas sibi allaturum ad mandatum hoc « corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum se faciebat, hoc « modo interrogant ». Quid igitur Christus? Primo directe respondet ad interrogationem scribae. Imo non tantum exponit primum ac maius mandatum, sed et totam legem moralem breviter complectitur, omnia praecepta recapitulando in una dilectione Dei, et sui, et proximi. Hanc sublimitatem non potest non mirari scriba ille: *Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius praeter eum, et ut diligatur ex toto corde..., et diligere proximum tamquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis.* Ait ergo illi Iesus: *Non longe es a regno Dei* (1). Quo facto, iam convertit se ad pharisaeos qui scribam miserant, ut responderet secretae intentioni quae causam dederat artificiosae interrogationi. Intenderant enim, si se Dei Filium diceret, accusare ipsum quasi ea asserentem ex quibus sequeretur non esse unum Deum quem Decalogi lex iubet adorare. Interrogat itaque eos et Christus circa legem in qua se peritos profitebantur. *Quid,* inquit, *vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Et statim apparet subintellecta conclusio: Ergo ex ipsa Scriptura vestra Christus non modo filius David, sed et Deus Dei filius est. Ergo primum ac magnum mandatum de uno Deo colendo non solvitur si me Deum et Dei Filium assero. Ergo concidit de integro tota argumentationis fabrica in qua confidebatis, ut me traduceretis tamquam eversorem fundamentorum legis et destructorem decalogi. Sic profecto obstruebatur os cogitantium inania, et ad nihilum reducebantur conatus inimicorum, nam *nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interro-*

(1) Marc. XII, 32-34.

gare. Sed quanta vis in hac tacita illatione, et quam valida confirmatio genuini sensus in quo sibi filiationem divinam vindicabat Christus!

Demum attende quid declaret apud tres synopticos, quando adiuratus est a summo sacerdote ut diceret si esset Filius Dei: *Tu dixisti,* inquit. *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli.* Quid sibi vult istud *verumtamen?* Hoc est, tu dixisti quia Filius Dei sum ego, quamvis id nunc supra fidem esse videatur, cum forma vestris conspectibus obiecta non sit nisi forma hominis qui et iudicatur a vobis. Verumtamen, hominem nunc a vobis iudicatum amodo videbitis sedentem a dextris Dei, venientemque iudicare mundum, et tunc, etiam inviti agnoscetis eum qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit et fuit habitu inventus ut homo. Haec sane categorica attestatio est quae omni ambiguitati tollebat locum, ratione praesertim habita illius sessionis a dextris Dei per quam consortium in honore supremo, soli vero Deo debito, procul dubio significatur. « Non « enim loci instar esse Patris dexteram affirmamus. Qui enim « fieri possit ut qui circumscriptionis est expers, loco definitam « dexteram habeat? Dextera enim et sinistra iis demum con- « veniunt quae loco circumscribuntur. Quocirca per paternae « dexterae vocabulum significamus divinitatis honorem et glo- « riam » (1). Et re quidem vera, tam usu biblico quam recepto apud omnes loquendi modo, creaturae quantumvis praecellenti competit ut sit divinitatis sedes, thronus, templum, aut si quid aliud eiusmodi. Consedere autem ad dexteram, nonnisi ei convenire potest qui cum Deo Patre eadem adoratione adoratur, et in sede maiestatis pari latria conglorificatur. Nomine igitur Filii Dei certo certius venit proprius ac naturalis Dei Filius cui supremus impenditur honor; honorem dico latriae qua in eius hypostasi et ipsa coadoratur humanitas, uti supra suo loco dictum est. Et ad omnem dubitationem adhuc magis removendam praesto sunt ea quae acta sunt in causa Stephani. Nam cum Act. VII-52,

(1) Damasc., de fide orth., l. 4, c. 2.

Stephanus adductus in concilium, sermonem suum concludebat dicens: « Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? « Et occiderunt eos qui praenuntiabant *de adventu Iusti*, (id est « Messiae), *cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis* »: seniores et scribae dissecabantur quidem cordibus suis, et stridebant dentibus in eum; nondum tamen velut blasphemiae reum ipsum condemnabant. At vero, statim ut (vers. 55) dixit Stephanus: « Ecce video caelos apertos, *et Filium hominis stantem a dextris* « *Dei* »: continuo continuerunt aures suas, et impetum fecerunt in eum, infligentes poenam in Lege statutam contra eum qui blasphemaverit nomen Domini, quia his ultimis verbis divinitatem Iesu expresse fuerat confessus.

Omnibus ergo modis efficitur, Christum asserendo se Filium Dei, verum se Deum attestatum fuisse.

§ 2.

Ea quae dicta sunt hactenus, amplius confirmari possunt ex locis quam plurimis ubi Iesus Christus vel signate vel exercite sibi vindicat incommunicabilia divinitatis attributa, idque indifferenter apud Ioannem et apud synopticos.

Ut ab evangelio Ioannis exordiar, statim in ipso limine adest testimonium praecursoris toties ratihabitum et laudatum a Christo. In quo quidem haec inter alia leguntur: *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est* (id est, antepositus est mihi), *quia prior me erat.* Et infra: *Qui desursum venit... qui de caelo venit super omnes est.* Quibus verbis testatur aliam inesse Christo naturam praeter illam quae oculis carnis apparebat; naturam scilicet in qua illic praeexsistebat, unde in terras venisse asseritur, et ratione cuius dici potuit Ioanne antiquior, cum ut homo, iunior noscatur exstitisse ([1]). His porro gemina sunt quae Christus ipse proprio ore saepius attestatur dicens:

([1]) De testimonio Ioannis haec Augustinus, Tract. 4 in Ioan. n. 11: « *Post me venit*, quia posterius natus est. *Ante me factus est*, quia prae- « latus est mihi. *Prior me erat*, quia in principio erat Verbum, et Ver- « bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ».

Qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo. Et rursus: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* (1). Et rursus: *Exivi a Patre et veni in mundum.* Et iterum: *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Porro, quaenam sit illa caelestis natura in qua erat antequam mundus exsisteret, superfluum est inquirere, cum res per seipsam sit in aperto. — Si tamen disertam affirmationem desideres, attende celeberrimam illam ad pharisaeos responsionem: *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; vidit et gravisus est. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen, amen* dico vobis, *antequam Abraham fieret, ego sum.* Non dicit, factus sum. Non dicit, eram, quemadmodum requiri videbatur ex oppositione ad priorem propositionis partem. Sed *sum,* inquit. Sum antequam fieret Abraham, sum quando fiebat, sicut sum ipso tempore quo loquor ad vos. Quippe, in duratione mea non est nisi nunc immobile quod ad quaslibet successivae ac temporaneae durationis partes secundum ordinem praesentis ad praesens indifferenter comparatur. Ibi ergo proprie dicta significatur aeternitas. — Considera iterum notissimum illud dictum quod totam incarnationis rationem et mirabilem oeconomiam comprehendit: *Ego sum via, et veritas, et vita.* Utique via secundum humanitatem assumptam, veritas et vita secundum divinitatem, ut in una eademque persona haberetur, et quo perveniendum sit, et qua eundum sit. Quaeris quo perveniendum sit? Ad eum *qui est.* Ad eum qui non habet participatam veritatem et vitam, sed purus essendi actus exsistens, totius veritatis et vitae abyssus fontalis est. Et

(1) Secundum metaphoram intelligi debet ista *reversio* ubi erat prius, sicut etiam secundum metaphoram accipitur *descensus* de caelis. Filius enim Dei dicitur descendisse de caelis, pro quanto incepit esse in natura terrestri, terrestribus conditionibus alligata quoad corpus. Et simili modo dicitur ascendere ubi erat prius, pro quanto ipse in natura assumpta a terrestri conditione penitus eximitur, et accipit plenitudinem illius gloriae coelestis quae debebatur vero Unigenito Patris, homini facto.

ideo, « quidam suspirans amator in psalmis ait: *Unam petii a* « *Domino hanc requiram.* Et quaeris quid petat?... Ardet enim « amore, et multum suspirat, et aestuat, et anhelat. Videamus « quid petat... *Ut contempler*, inquit, *delectationem Domini* » (1). Sed quia ad illam stabilitatem nostram ubi quod est est, non habebamus qua iremus, venit inde ad quem ire volebamus, et cum esset ipse terminus in natura sempiterna, factus est via in humanitate assumpta, in qua et suppeditat medium perveniendi, et tam infallibiliter dirigit in eundo, quam impossibile est ut qui sequitur viam, non veniat ad terminum quem via contingit. Iterum ergo de unione divinitatis cum humanitate in eadem persona Iesu Christi, clara et aperta testificatio est. — Adhuc, paulo infra, obiectum se aeternae beatitudinis sanctis repromissae contestans dicit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.* Atqui vita aeterna secundum Scripturas, in nullo alio reponitur quam in visione Dei. Rursus igitur Deum se affirmat. Nec difficultatem facessere potest, quod Patrem nominet solum Deum verum. Nam sensus non est quod solus Pater sit verus Deus, sed quod Pater est solus verus Deus, ut patet ex graeco ubi vox μόνον non afficit terminum personalem σε, sed terminum essentialem Θεὸν, hoc modo: Ινα γινῶσκουσίν σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησουν Χριστόν. Vere autem non est nisi unus verus Deus. Sed iste unus verus Deus est Trinitas, adeoque et Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul et singillatim unusquisque eorum, etsi soleat divinitas speciali modo *appropriari* Patri propter rationem principii in divinis.

Praeterea, in eodem Ioannis evangelio gravissimis verbis attestatur Iesus se esse eum, cuius auctoritati innititur fides ad aeternam vitam necessaria, in quem etiam sicut in Deum oportet reponere spem, qui cum Patre demum pari amoris affectu est super omnia diligendus. Et primo quidem, ubique fidem in seipsum exigit Iesus Christus: quod vel solum, ad testificationem

(1) Augustinus, Tract. 3 in Ioan. n. 20.

divinitatis iam videretur satis. Nam etsi mittantur Dei ministri atque apostoli ut ad fidei obsequium reducant hominum mentes, nusquam tamen dicti sunt aut dici poterunt ii esse *in quos* credere oportet ad consecutionem aeternae vitae. Et ratio est in aperto, quia non creditur nisi in eum ad quem fidei motus terminatur, in eum in quem credendo itur, in eum denique cui plena et absoluta praestatur mentis obedientia. Talis autem non est nisi Veritas prima, Deus. Sane vero de Ioanne scriptum est: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum,* δὶ αὐτοῦ, hoc est, per ministerium eius. Similiter, Act. XIX-4: *Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens ut crederent,* non in se, sed *in eum qui venturus esset post ipsum.* At Christus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum,* πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, *non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei,* ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ονομα του μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Et iterum: *Qui credit in me, non morietur in aeternum.* Et rursus: *Tu credis in Filium Dei?* et alibi saepe. Sed et in sermone habito post coenam, iubet discipulos erigere animum propter auxilium quod ipse eis repromittit: *Non turbetur cor vestram,* inquit, *creditis in Deum, et in me credite... Non turbetur cor vestrum neque formidet; audistis quia ego dixi vobis, vado et venio ad vos.* Atqui virtus auxiliatrix cui christiana spes innititur, non est nisi virtus divina, quam sibi aperte vindicat Iesus Christus, cum ait consequens esse ut quisquis in Deum credit et sperat, in se pariter credere debeat ac confidere. Denique ibidem ait: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ubi iterum, dilectio qua quis diligit Christum, aequiparatur in omnibus dilectioni qua diligendus est Pater. Et cum ad utrumque aequaliter terminetur, sic etiam ab utroque simul praemium habet ac recompensationem: inhabitationem dico et mansionem utriusque, intus in anima diligentis, per gratiam.

Quod si nunc ad synopticos considerationem convertas, videbis ubique eumdem Deum qui apud Ioannem se revelat. Nonne ait Iesus Christus apud Matthaeum et Marcum, pueros innocentes, ex hoc quod innocentes exsistunt et aeternae vitae participes, esse ipso facto vel actu vel habitu credentes in se? *Qui autem scandalizaverit,* inquit, Matth. XVIII-6, *unum de pusillis istis qui in me credunt,* ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμέ. Et Marc. IX-41: *Unum ex his pusillis credentibus in me.* Nonne etiam exigit pro se amorem super patrem, super matrem, super animam propriam, ac per hoc, super omnia omnino quae in mundo cara esse possunt? *Qui amat patrem aut matrem,* inquit Matth. X-37, *plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et Luc. XIV-26: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Itaque, sicut se exhibet veritatem primam in quam oportet credere, ita et summum bonum cui necesse est amore appretiative summo inhaerere (1). Item apud synopticos legem fert tamquam Deus: *Audistis,* inquit Matth. V, *quia dictum est antiquis: non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio... Audistis quia dictum est antiquis: non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo,* etc. Quibus verbi perficit decalogi intellectum, corrigendo falsas pharisaeorum interpretationes. Et in hac nova promulgatione legis naturalis, quae pari gradu ince-

(1) Nec contra hoc valet responsio ad iuvenem, Matth. XIX-17: *Quid me interrogas? Unus est bonus, Deus.* Nam ut doceret nullam creaturam esse bonam in comparatione Dei, qui solus est per essentiam bonus, respondet ad interpellationem secundum mentem interpellantis: Quid me bonum dicis, quem ut purum hominem habes? « Quia, inquit « Chrysostomus, Hom. 63 in Matth. n. 1, illum ut simplicem hominem « habebat, et ut doctorem Iudaicum, ideo ut homo ipsum alloquitur. « Nam saepe secundum multorum opinionem respondet. Cum igitur ait « *nemo bonus,* non hoc dicit ut se bonum non esse significet, absit. « Non enim dicit: Quid me dicis bonum? non sum bonus; sed nemo « bonus, id est, nullus hominum ».

dit cum ea quae facta est in Sinai, propriam suae personae auctoritatem interponit, etiam quoad actus mere internos, puta interiorem iram, interiorem concupiscentiae motum, aliaque eiusmodi de quibus nullus humanus legislator praecipere habet, nullus humanus iudex cognoscere. Item, auctoritatem remittendi peccata eo modo exercet qui soli vero Deo incarnato competere potest: *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Ut autem sciatis,* ait Luc. V-24, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: tibi dico, surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Rursus, supremum se iudicem et remuneratorem omnium hominum affirmat (Matth. XXV, 31-46). Angelos quoque, quos omnis Scriptura tam Veteris quam Novi Testamenti soli Deo assistere et ministrare docet, suos esse dicit: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis... Mittet angelos suos cum tuba et voce magna* (Matth. XVI-27, XXIV-31; Marc. XIII-27). Thronum denique sive sedem maiestatis in regno caelorum sibi vindicat, (Matth. XIX-28, XXIV-31), cum tamen thronus non sit nisi eius penes quem est summa imperii, et prima atque imparticipata potestas ([1]). Quae et alia si quis bene consideret, evidenter ei apparebit differentiam quam rationalistae vident inter Christum Ioannis et Christum synopticorum, sicut ipsi dicunt, eodem loco reponendam esse quo reponendae sunt caeterae eorumdem assertiones, omni fundamento, ut saepe iam vidimus, destitutae.

Hactenus de testificationibus quas ipse Iesus Christus apud nos degens de sua divinitate dedit. Sequuntur iam testimonia apostolorum eius.

([1]) Nec iterum opponi potest responsio ad filios Zebedaei, Matth. XX-23: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Solum enim dicit non esse suum, id est, non esse suae humanae voluntatis, dare primas sedes in regno coelorum, praesertim ex illo carnali affectu quem ambitione abrepti duo fratres in eo supponebant. Additque id dependere ab electione Patris, cui more suo appropriat ea quae divinitatis sunt, quando loquitur ut homo.

§ 3.

Et a principe apostolorum aequum sane est incipere, praesertim quia modernistae ex Petro praecise argumentum sumunt, ratione sermonis quem habuit ad populum in ipso actu inaugurandi apostolicam praedicationem, Act. II, 14-39.

Dicunt scilicet, quod in hoc primo sermone, sicut etiam in aliis proxime consequentibus per decem priora capita libri Actuum, invenire est quae et qualis impressio fuerit quam in animis suorum discipulorum de se reliquerat Iesus: impressio primitiva, nondum deflorata, nondum adulterata, sed adhuc germana, genuina, nulloque peregrino influxu modificata. Atqui priores illi Petri sermones sunt de Iesu, nec plus nec minus tamquam de viro approbato a Deo, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, qui fuit crucifixus per iudicium Pontii Pilati, quique tertia die suscitatus, factus est a Deo Christus et Dominus. De Iesu autem qui se asseruisset verum ac consubstantialem Dei filium; imo qui pro tunc, etiam post efformatam convictionem de suscitatione a mortuis, pro Deo habitus esset a communitate apostolica, nullum indicium, nullum argumentum, nulla significatio. Quam longe absumus, inquiunt, ab affirmatione Pauli: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo!* Quam longe ab auctore epistolae ad Hebraeos: *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius!* Quam longe a prologo quarti evangelii: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum!* Et inde triumphant, inde confirmant evolutionis systema, inde deducunt distinctionem inter realem Christum historiae et mysticum Christum fidei, et non distinctionem modo, verum etiam oppositionem tantam, quanta esse potest inter solidam veritatem et mythum in humana phantasia procreatum.

Verum omnia in argumentatione posita, longe longeque a vero abhorrent. Illud praesertim enorme, quod collocant in maiore tamquam totius constructionis fundamentum: nimirum, debere inveniri in primis Petri sermonibus plenam atque adaequatam

professionem fidei seu convictionis apostolicae circa Christi personam. Imo vero, diceret quispiam vel solo sensu communi ductus, in prima praedicatione, *praecise quia prima,* non solum esse non debuit, sed debuit omnino non esse. Cogita adiuncta et circumstantias, tum temporis, tum loci, tum personarum: vix elapsis quinquaginta diebus a crucifixione, in media urbe Ierusalem, coram multitudine illa confusa quam describit historia Actuum! Quis, quaeso, non sentiet, oeconomia et discretione maxima opus fuisse in tam subitanea publicatione legis christianae, post recentissimam et fere hesternam catastrophen crucis? Si ergo ex distantia observata inter praedicationis exordia quinquagesimo a passione die, et scripta directa ad fideles in christianismo iam fundatos, eruere volunt proportionalem evolutionem factam in ipsa fide apostolorum: dolendum quidem de tanta obcaecatione, sed supervacanea est omnis confutatio. Tam absurdum enim est, ac absurdum esset quaerere in sermone Pauli ad iudices areopagi, plenitudinem doctrinae inventae in epistolis ad Romanos, ad Corinthios, ad Philippenses, etc.

Proinde, etiamsi esset verum quod dicunt, divinitatem Iesu fuisse in ea circumstantia sub silentio penitus praetermissam, nihil profecto sequeretur. At vero addendum nunc est, neque hoc esse simpliciter concedendum: quamquam non ita explicita affirmatio sit, sed obumbrata potius et tecta, sicut circumstantiae ferebant, sub auctoritate antiquae prophetiae. Annuntiat enim Petrus resurrectionem illius quem definito consilio et praescientia Dei traditum Iudaeorum principes interemerant, tum deinde ascensionem in caelum et sessionem ad dexteram Patris attestatur dicens: *Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in caelum. Dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Atqui, uti paulo ante declaravimus, sedere ad dexteram Dei, nullius purae creaturae est, quia nulla pura creatura particeps esse potest supremi honoris qui Deo defertur in throno maiestatis. Ergo, et ex natura rei, et ex communi omnium intellectu, annuntiare sedentem ad dexteram Pa-

tris, idem est ac affirmare humanam naturam in Christo esse divinae hypostasis, quae cum sua carne una adoratione ab omnibus rebus creatis colenda est atque reverenda ([1]). Cum autem concludit Petrus dicens : *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem crucifixistis,* sensus non est quod Iesus in sua resurrectione atque ascensione factus sit Dominus et Christus, cum antea non esset. Sed est sensus quod in resurrectione et ascensione factus est habens in actu quidquid pertinet ad dignitatem Domini et Christi, iuxta illud evangelii : « Nonne oportuit pati Christum et ita « intrare in gloriam suam ([2]) ».

([1]) Ex hoc quod in Psalmo XLIV, Ecclesia dicitur adstare a dextris Christi, non solum non infirmatur praesens demonstratio, sed confirmatur etiam magis. Ubique enim adstare vel sedere a dextris importat consortium in honore. Nunc autem in Christo est duplex excellentia, et propterea duplex honor ei deferri potest, ut dictum est in Quaest. 25, ubi *de adoratione Christi.* Quia ergo Ecclesia triumphans participat honorem qui Christo debetur propter creatam excellentiam, eo pacto quo sponsa cum sponso consortium honoris habet, recte dicitur a dextris eius adstare. At Christus ipse exhibetur sedens a dextris Dei, ac per hoc, communicans in honore qui debetur soli Deo. Quod non esset si in eo, praeter creatam excellentiam, non daretur etiam increata excellentia divinitatis.

([2]) Integram solutionem argumenti modernistarum accipere est ex Cyrillo Alexandrino, *adversus nolentes confiteri S. Virginem esse Deiparam*, n. 20 : « Huic demum obiectioni ipse beatus Petrus his fere ver« bis mihi videtur occurrere : Ne me ita locutum putetis, quasi unus de « vobis sit homo Christus. Haud id equidem dico, sed rem miram et « insperatam prudente sermone revelo. Quaenam vero haec est ? Spi« ritus descendentis fragore audito. Iudaeorum populus ad nos accur« rit. Ego idoneum piscandi homines tempus nactus, neque tamen va« lens manifesto directoque sermone Christum Deum praedicare, quia « illi paulo ante hunc crucifixerant, molestumque illis huiusmodi nego« tium accidisset, celo sermonis hamum, sicuti fit obiecta piscibus esca, « sub horum humilitate verborum. et Iesum Nazarenum nomino atque « crucifixum, et quod Deus ipsum e mortuis suscitaverit ; atque ita non « sine velamine ingero, nec sine arte quadam theologicam ipsius noti« tiam. Etenim Davidis verba in mentem ipsis revoco, quoniam viri il« lius potius oracula sine suspicione admittebant : quo facto, iisque ad

Rursus, Act. III, 12-16, cum ad portam templi sanatus fuisset claudus, ex utero matris, videns Petrus populum ad se concurrentem, de resurrectione Christi novum testimonium reddit: *Vos autem sanctum et iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.* Atqui auctor vitae quis unquam dictus est, nisi verus Deus? Oportet igitur ex testificatione Petri, ut in Domino Iesu Christo utraque conveniat substantia: divina scilicet, ratione cuius auctor vitae appellatur, et humana in qua occisus est atque suscitatus. Adhuc, Act. IV, 5-12, cum Annas princeps sacerdotum et Ioannes et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali, in suum concilium vocavissent apostolos ut de suis gestis rationem redderent, dixit Petrus ad eos: *Principes populi et seniores,... notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.* In nomine, inquit, hoc est, in potestate atque auctoritate eius factum est miraculum quod implevit populum stupore et exstasi. Atqui iterum, solus Deus est in cuius potestate atque auctoritate miracula fiunt. — Caeterum, primam Petri confessionem in ipso evangelio legimus. Ultimam vero in epistola quam loco testamenti ad fideles misit, iam morti proximus et certus quod velox esset depositio tabernaculi sui: « *Simon Petrus, servus et apostolus Iesu Christi, iis qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri et Salvatoris Iesu Christi,* τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Et consonat doxologia per quam epistola terminatur: *Crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria, et nunc, et in diem aeternitatis. Amen.*

Paulus quoque, in singulis fere epistolis suis de divinitate Iesu Christi expressum et categoricum ponit testimonium. Nam, Rom. IX-5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est su-*

« compunctionem conversis, manifestius deinde Deum ipsum demonstro « per huius baptismi in eius nomine conferendi indictionem, docens si- « mul vi huius fieri peccatorum remissionem ».

per omnia Deus benedictus in saecula. Et ad Philipp. II, 6-7 : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Et ad Colos. I, 16-17 : *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Et ad Tit. II-13 : *Exspectantes beatam spem, et adventum magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi,* τοῦ μεγαλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Et ad Heb. I. docet Christum portare omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum facere, sedere ad dexteram maiestatis in excelsis, eum esse cuius est thronus divinitatis, qui in principio terram fundavit, qui caelos creavit, cuius proprium attributum est immutabilis aeternitas, opposita mutabilitati omnis creaturae : « Ipsi peribunt, tu autem permanebis. Et « velut amictum mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse « es, et anni tui non deficient ».

Ioannes in epistola sui evangelii dedicatoria quam misit ad ecclesias instar praefationis ad lectorem, exorditur dicendo se annuntiare *Verbum vitae* carnem factum, seu *Vitam aeternam quae erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Concludit autem his verbis : *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna,* οὗτός ἐστιν ὁ αλήθινος Θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος (1). *Filioli custodite vos a simulacris. Amen.* — Et in Apocalypsi quae est evangelium Iesu Christi suscitati a mortuis, sedentisque ad Patris dexteram in gloria caelesti, proponit Agnum summo cultu latriae simul cum Patre ab omni creatura adoratum et conglorificatum : *Et omnem creaturam quae in caelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno et Agno, benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum.*

Iacobus demum epistolam ad duodecim tribus dispersionis missam sic inscribit : *Iacobus Dei et Domini Iesu Christi servus,*

(1) Pronomen *hic* οὗτός, non potest referri nisi ad *Filium*, tum quia *Filius* est nomen quod proxime praecedit, tum quia si demonstratio referretur ad *verum Deum* de quo prius, sensus esset : verus Deus est verus Deus, quod plane absonum est.

Θεου καὶ πυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος. In quo solum superest notandum quod nomina Deus et Dominus, non duas ibi distinctas personas designant, sed unam eamdemque, quemadmodum evidentius apparet in simili formula, Tit. II-13, et 2 Petr. I-1, adhibita. Evidentius, inquam, apparet propter articulum communem utrique substantivo, του Θεοῦ καὶ σωτηρος. Nam si duae personae essent, ut bene observavit Cardinalis Franzelin, repetitio articuli fuisset necessaria, hoc modo: τοῦ Θεοῦ καὶ του σωτῆρος. Nunc autem idem est Deus et Dominus apud Iacobum, ac Deus et Salvator apud Petrum et Paulum, quia secundum Scripturas Iesus Christus salvavit homines, acquirendo et redimendo eos pretio sanguinis sui. Unde fit ut non solum peculiari ratione ac titulo dominus noster soleat appellari, verum etiam ex eodem recipiat *Domini* nomen, a quo nomen *Salvatoris*.

Indubium itaque sit, Iesum Christum tam per se quam per apostolos suos seipsum mundo manifestasse ut verum Deum hominem factum. In quo quidem, credibilitatem incarnationis iam pene demonstratam dicere quis posset. Si enim Iesus Christus non in veritate est quod se esse asseruit, unum de duobus consequitur: Vel incredibili et inaudita per omnia retro saecula hallucinatione captus fuit, vel omnibus impostoribus qui phrenesi superbiae et audacia mendacii eminuerunt, longe peior atque exsecrabilior dicendum est. Sed cuinam, quaeso, qui vel cursim legerit evangelium, oculosque intenderit in eum cuius splendida figura ibi refulget, utraque haec consequentia monstruosa ac penitus eliminanda non apparebit? Sane vero, nec ipsi rationalistae eousque unquam procedere ausi sunt. Ideo omnia movent ut divinitatem Christo a posteris adsertam, non ab ipso Christo sibi vindicatam persuadeant. Si igitur ex documentis certissimis, id est ex toto tenore historiae referentis modum *quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus,* haec eorum positio refellitur, iam causa cadunt, et ipsismet fatentibus, credibilis evadit Verbi incarnatio. Verum non his contenti sumus. Oportet nunc ad signa divinitus edita animum convertere, et primo quidem ad signum illud quod omnia saecula suo splendore adimplet, quod est signum prophetiae.

THESIS LVII.

Attestationes supradictas evidenter credibiles faciunt in primis prophetiae messianicae, quae ab antiquissimis temporibus multifariam multisque modis editae, in ipsa persona Iesu Christi mirabiliter sunt adimpletae.

Nomine prophetiae nunc intelligimus praescientiam et praedictionem futuri contingentis, quod cum in causis creatis praeexsistentibus determinatum non sit, nullum esse quoad nos habet, et ex consequenti nullam cognoscibilitatem, sed ei soli notum esse potest cui nihil est praeteritum, nihil futurum, eo quod eius aeternitas tota simul exsistens ambit totum tempus ([1]). Quare omnibus consentientibus, signum prophetiae est evidens signum divinitatis; nec aliud quidquam praeter communem hominum sensum exprimebat Isaias, cum idola Gentium irridens aiebat: *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* Hinc, si forte pervulgata fuissent ab antiquissimis temporibus certa oracula de aliquo salvatore seu duce salutis a Deo in mundum mittendo, quae postea adveniente tempore praenuntiato, in una determinata persona ad amussim noscerentur adimpleta, et quidem quoad tot et tales contingentes circumstantias, ut palam fieret praedicationes ipsas, nec casui, nec naturalibus hominum coniecturis, sed certissimae praescientiae esse necessario adscribendas: profecto in his rerum adiunctis de veritate divinae

([1]) « Futura in seipsis a nullo cognosci possunt nisi a Deo. Cuius « ratio est quia futura prout futura sunt, nondum habent esse in seipsis. « Esse autem et verum convertuntur. Unde cum omnis cognitio sit ali« cuius veri, impossibile est quod aliqua cognitio respiciens futura in « ratione futuri, cognoscat ea in seipsis Cum autem praesens, praete« ritum, et futurum sint differentiae temporis temporalem ordinem de« signantes, omne quod qualitercumque est in tempore comparatur ad « futura sub ratione futuri. Et ideo impossibile est quod aliqua cogni« tio subiacens ordini temporis. cognoscat futura in seipsis » S. Thom. de Malo, Quaest. 16, a. 7.

missionis non esset ambigendi locus, adeoque talis personae asseverationes, utpote authentico Primae Veritatis sigillo munitae, pro infallibili verbo Dei indubitanter essent habendae. Atqui non ficta haec hypothesis est, sed factum illustre quod circa personam Iesu Christi considerandum se offert, prout nunc declarare ac demonstrare intendimus ex solis historiae monumentis, communibus exegesis principiis, et caeteris criteriis quae naturali rationi usui esse possunt (1).

Praesupponere oportet oracula V. T. in medium afferenda, vere esse illorum auctorum aut certe antiquorum temporum quibus adscribuntur. Nec gratuita sane suppositio est, sed quae tribus potissimum firmatur inconcussis argumentis. Primum desumitur ex testimonio totius populi Iudaici, nominis christiani hostis infensissimi, qui nunc per gentes orbemque universum dispersus, non solum testatur se a maioribus suis suas scripturas accepisse longe ante suae cladis initium, verum etiam ex patriis annalibus et immemorabili traditione tempora assignat et auctores, a Moyse usque ad Malachiam prophetarum ultimum. Unde Augustinus, Enarrat. in Ps. 56, n. 9: « Quando volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. « Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas christiani com« posuimus..., hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae « quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt: omnes « ipsas litteras habent Iudaei. In quali ergo opprobrio sunt Iu« daei? Codicem portat Iudaeus, unde credat Christianus. Li« brarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos « codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant ». Secunda ratio hinc accipitur, quod Ptolemaeus Philadelphus rex Aegypti, accitis undique Iudaeorum peritissimis, 250 circiter annis ante Christum natum, sacros Hebraeorum libros in graecum transferri curavit. Eo autem tempore prophetae iam desierant, et ideo nullum est vaticinium messianicum quod versione tunc

(1) Nunc omnino abstrahendum ab inspiratione Scripturae, ab auctoritate Patrum et Ecclesiae, quia in praeambulis fidei versamur, in quibus si quis ex fidei regulis argumenta depromeret, vitiosa foret ineptaque ratiocinatio.

condita *septuaginta interpretum* non contineatur. Novum igitur exinde argumentum pro indubitata oraculorum praecessione, necnon et validissimum contra arbitrarias neotericorum interpretationes praesidium parabatur. Quid enim adversarios iuvabit si ope accentuum massoreticorum qui recentis inventionis sunt, conentur celebriora vaticinia corrumpere, quasi in aequivocatione posita, et tam unius quam alterius significationis susceptiva? Poteruntne versionem graecam de medio tollere? aut dicere septuaginta interpretes ex industria fecisse pro causa nostra? Denique, pro casu fortuito, eodemque magis stupendo quam foret ipsa prophetia, divinassent isti ea quae mirabiliter in Iesu Christo postea completa sunt? Non ergo sine expresso divinae providentiae consilio factum est ut longe ante eventum ponerentur oracula messianica in idiomate Gentium celeberrimo, quod etiam usque nunc classicum permansit. Accedit tandem criterium intrinsecum, sicut indicabitur infra quoad libros Novi Testamenti. Prophetici enim libri historiam profanam undequaque compenetrant, et singularum epocharum in quibus prodierunt, certissima servant vestigia [1].

Hoc itaque praesupposito fundamento, ostendendum nunc est talem esse ac tantam praedictionum concordantiam cum iis quae in adventu, vita, passione, et morte Iesu Christi contigerunt, ut nullum alium praeter Deum qui omnibus simul temporibus in sua aeternitate praesentialiter adest, ipsa oracula potuerint habere auctorem. Porro, ut in argumento evolvendo certus ordo servetur, successionem prophetiae distinguemus in periodos tres. **Prima** erit ab initio mundi usque ad David. **Secunda** a David usque ad transmigrationem Babylonis. **Tertia** ab initio captivitatis Babylonicae usque ad reaedificationem templi, quo tempore postremi omnium prophetaverunt Aggaeus, Zacharias, et Malachias.

[1] Cf. Le Hir, Etudes bibliques, Tom. I, Les prophètes d'Israël, art. 3. Authenticité et intégrité des prophéties d'Isaïe.

§ I.

Prima prophetiae periodus.

Exordimur ab oraculo Geneseos (III-15), in quo iuxta superius praemissa, futurum annuntiatur mulieris semen quod noxii capitis elationem sua virtute conteret, diaboli opera dissolvet, et de eo plenum reportabit triumphum per finalem ac definitivam portarum inferi eversionem. Haec est *prima in libris propheticis Messiae delineatio, et quasi rudimentalis figura cui per insequentes aetates, alia atque alia superinducentur lineamenta et notae.* — Absolute loquendo non requiritur ut de individualitate huius promissi seminis iam constet, quia etiamsi adhuc maneret indeterminatum ex sola contextus inspectione an dictum semen pro collectione aliqua accipiendum sit, an potius pro uno salvatore individuo, facilis esset ex sequentibus vaticiniis dubii resolutio, ut mox apparebit. Verum fidenter dico non deesse rationes quae iam aliquo modo suadeant, unum singularem virum fuisse principaliter designatum. Et sane, futurum illud semen mulieris non est integrum genus humanum, seu ipsa Evae posteritas in quantum huiusmodi. Opponitur enim semini serpentis quod etiam hominibus constat ex Eva sine dubio procreandis. Itaque proponuntur ibi duae civitates in quas mundus dividitur, et sicut semini serpentis caput adest diabolus, ita ex opposito, semini pugnanti adversus diabolum caput aliquod et principium oportet attribuere. Ipse igitur est qui principaliter in oraculo censendus est annuntiari. Praeterea, quis non intelliget in his verbis: IPSE *conteret caput tuum, et* TU *conteres calcaneum eius,* singulare certamen inter Satanam ducem omnium malorum, et supremum quemdam bonorum principem infernali duci divinitus oppositum? (1). Accedit demum parallelismus ordinis ruinae cum ordine

(1) Nota quod *calcaneum Redemptoris* recte accipitur pro ipsius humanitate, vel pro corpore eius tam vero quam mystico. Hoc calcaneum contrivit Satanas in passione Christi, iuxta illud Luc. XXII-53: « Sed « haec est hora vestra, et *potestas tenebrarum* ». Cui etiam horae potestatis tenebrarum allusio fit apud eumdem Lucam (IV-13), cum dicitur

promissae reparationis, qui tam necessario agnoscendus est in hoc fundamentali vaticinio, ut si semel excludatur, nulla sat certa sententiae adversus diabolum latae appareat consequentia. Recole dicta superius, Thes. 41.

Verum ea quae ad annuntiatum semen pertinent, potius determinanda sunt ope sequentium oraculorum, quorum connexionem cum primo tanto accuratius declarare necesse est, quanto altius in ipsis exordiis adhuc consistimus. De continuitate enim prophetiae ratiocinandum est sicut de continuitate fluminis, quae cum sit maxime conspicua quando flumen iam pleno alveo per planities camporum excurrit, non ita visibilis est quando parvus adhuc rivulus de cacumine montis per varios anfractus descendit. Porro, evidens atque manifestum est quod sicubi in sequentibus promissionibus propheticis sermo sit de benedictione quadam per emphasim dicta, eademque ad omnes tribus et populos et cognationes terrae extendenda, procul dubio intelligi debebit de liberatione a malis quae ipso tentationis die in suis protoparentibus genus humanum incurrerat, adeoque de salute afferenda per eum de quo dictum est: IPSE CONTERET CAPUT TUUM. Cogita enim hominem quem nobis antiqua scriptura describit, in paradisi felicitate tamquam in umbra vitae, unde iustitia custodita in meliora conscenderet, prius collocatum; cogita eum dein exsulem effectum, omnibusque bonis primitivi status spoliatum, ut per miserias doloresque innumeros traheretur ad mortem sub dominatione diaboli possessoris sui: his, quaeso, in adiunctis, quae alia *excellens benedictio* eidem perdito homini reponebatur praeter eam quae in dissolutione operum Satanae consisteret? Unde

---

« Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo *usque ad* « *tempus* ». Sed et calcaneum quod est corpus mysticum, conatur conterere Satanas usquedum veniant tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum. Ante centum annos principalis dux hodiernae coniurationis antichristianae, ignorans forsitan voces antiquae prophetiae, animos addebat satellitibus suis per ipsissima verba quibus in paradiso annuntiata fuit lucta serpentis contra benedictum mulieris semen: *Ecrasons l'infâme,* hoc est, *conteramus infamem!*

dato quod haec ipsa benedictio statim ab initio legatur humano generi annuntiata, constat nullam aliam posse excogitari, quotiescumque in posterum sermo erit de benedictione per excellentiam in omnes hominum progenies refundenda. Hic igitur filum habes connectentem primum vaticinium cum iis quae proxime sequuntur in Genesi, (XXII-16, XXVI-1, XXVIII-13). Iteratis quippe vicibus dicitur ad Abraham, Isaac, et Iacob: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* In semine tuo, inquit. Ipsum est mulieris semen de quo supra, quod nunc dicitur oriundum ex progenie Semitica (1), annuntiaturque ut filius domus Abrahae, dignitate primogenitus.

Sed cum familia Abrahae inciperet fieri in gentem et populum (2), ecce insignior prodiit de ipso promisso semine prophetia. Iacob moriens vocat omnes filios suos, capita duodecim tribuum, ut annuntiet eis quae ventura sunt in novissimis diebus. Singulis autem benedicens benedictionibus propriis, cum ad Iudam pervenisset, dixit: *Iuda, te laudabunt fratres tui..., adorabunt te filii patris tui... Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Quod quidem vaticinium adeo manifeste est de eo *in quo benedicendae erant omnes cognationes terrae,* ut nomen Schelloh vel Schiloh quo vaticinans patriarcha utitur, habitum sit apud Iudaeos ut unum e propriis nominibus Messiae. « In Talmude, inquit Drak (3), « quaeritur: Quodnam est nomen Messiae? Et respondetur: « Schiloh est nomen eius ». Sed variae lectiones in aliquibus differunt. Septuaginta in vetustissimis exemplaribus habent: *Non deficiet princeps de Iuda, et dux de femoribus eius, donec*

(1) *Genes.* IX-26: « Benedictus Dominus Deus Sem... Dilatet Do« minus Iaphet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan ser« vus eius ».

(2) Initia transformationis familiae Abrahae in populum referenda sunt ad mortem Iacob. Cum ergo dicantur praedici ea quae in novissimis diebus eventura erant populo ex tunc incipienti, quomodo potuisset praetermitti id in quo reponebatur principalis spes domus Abrahae, imo ratio ac finis totius exsistentiae Gentis Israeliticae?

(3) Drack, Lexic. Hebraic.

veniat, cui repositum est. Aquila (Iudaeus, saec. II) vertit: *Non deficiet sceptrum a Iuda, et legislator de inter pedes eius, donec veniat cui repositum est, et ipsi coetus populorum.* Symmachus (Ebionita saec. II): *Non auferetur potestas a Iuda, donec veniat cui repositum est, et ipsi obedientia populorum.* Aliae versiones, sed multo recentiores, habent: *Donec veniat Pacificus,* vel *Tranquillator.* Hebraica lectio fert ad litteram: *Non deficiet virga de Iuda, et Mechokek e medio pedum eius, donec veniat Schelloh* (vel Schiloh) *et ei obedientia populorum.* Ortae sunt lectionum differentiae ex eo quod si legas Schiloh, vertendum erit *mittendus* vel *tranquillator,* prout a radice Schalah vel Schalahh derivatam vocem contendes. Si autem legas Schelloh, vertendum erit *is cuius,* vel *is cui* (est sceptrum). Locum parallelum vide apud Ezech. XXI-27. Verissimam autem et genuinam esse hanc ultimam lectionem, omnino convincor ex rationibus quas affert et congerit Lehmann ([1]). In ea quippe lectione conveniunt maior veterum Iudaeorum interpretum pars, ne exceptis quidem Septuaginta apud Iustinum, Dialog. cum Tryph. n. 120. Eidem videtur alludere Paulus Gal. III-19: « Quid igitur lex? Propter transgres- « siones posita est, donec veniret *semen cui* promiserat ». Denique ea lectione admissa, planissima est in vaticinio patriarchae sermonis consequentia et dictorum connexio.

Ad cuius rei intelligentiam nota praerogativam primogeniturae aetate patriarchali duo potissimum importasse: praeeminentiam super fratres, et ius ad duplicem portionem in bonis paternis. Haec duo iure nativitatis competebant Ruben filiorum Iacob natu maiori, et ideo vers. 3 dicitur: « Ruben primogenitus « meus... prior in donis, maior in imperio (esse debebas) ». Sed patriarcha, testamentum condendo propheticum, praerogativa primogeniturae privat Ruben propter incestum Gen. XXXV-22 commemoratum. Similiter Simeon et Levi qui ordine aetatis proxime succedebant, ratione sceleris in Sichimitas admissi, Gen. XXXIV, 25-30, reiiciuntur. Itaque, inter Iudam ordine nativitatis quartum,

([1]) *Le sceptre de la tribu de Juda entre les mains de J. C.,* pag. 75 et seq.

et Ioseph eodem ordine undecimum, dividentur primogeniturae iura. Ioseph enim qui succrevit in duas tribus Ephraim et Manasse, duplicem haereditatis portionem accepit. Illud autem quod in primogenitura erat praecipuum et magis excellens, reservatur et defertur Iudae: praeeminentiam dico respectu caeterorum fratrum sive aliarum tribuum Israel. Et quia insigne praeeminentiae erat sceptrum, optime consonant ista: *Iuda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui, non auferetur sceptrum de Iuda,* etc. Quapropter sceptri nomine, non quidem regiam auctoritatem, sed praeponderantiam tribus Iudaicae respectu tribuum duodecim, (qualis solebat competere primogenito respectu fratrum), praenuntiari manifestum est. Iam si animadvertas verum Abrahae et Israel primogenitum filium esse *benedictum semen* quod ratio erat et finis totius fecunditatis promissae patriarchis, intelliges etiam verum dominum sceptri domus Abrahae nullum alium esse praeter ipsum Messiam, adeoque sceptrum non fuisse datum Iudae nisi titulo depositi, ut scilicet veniente temporum plenitudine, transiret in manus Messiae cui sensu altiori et multo excellentiori modo manebat reservatum. Hinc optime intelligitur illud: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat is cui est repositum.* Ad haec, praenuntiatur non esse auferendum *ducem de femore Iudae.* In quo observabis hebraicum Mechokek generatim dicere eum qui decernit seu iubet: quare significat vel legislatorem cuius est legem condere, vel iudicem cuius est legem applicare. Prior sensus non convenit in praesenti, cum in populo Dei unus legislator semper agnitus sit Deus; posterior vero quadrat cum moribus gentis et contextu vaticinii. Significatur ergo non defuturos magistratus indigenas, per quos tribus Iudaica administrabitur secundum leges proprias populi Dei. Et cum praerogativa sceptri pertineat ad Iudam consideratum in ordine ad caeteras tribus Israel, permanentia ducis de femore eius spectat autonomiam tribus in seipsa absolute consideratae.

His praemissis, facile intelligitur quid de Messia vaticinium Iacob determinet: *Non auferendam praeeminentiam et autonomiam a Iuda donec Christus veniat.* Difficultas, si qua sit, versatur circa vocabulum *donec,* quod quandoque sumitur indefinite, ut Psalm.

CIX-2, et Matth. I-24, frequentius tamen finite ad signandum cessationem ac παυσιν, ut Petavius dicit. Est autem hic ratio positiva propter quam finite accipi debeat. Nam patriarcha annuntiat perventionem sceptri domus Abrahae ad eum cui tamquam vero domino reservabatur. Ergo oportet ut veniente domino, auferatur a depositario, seu melius, ut veniente eo cuius est verum regnum in omnes cognationes terrae, cesset figurativa praeeminentia domus Iuda in reliquas tribus Israel. Aliunde vero, cum permanentia sceptri et tribus autonomia per modum unius in vaticinio se habeant, oportet etiam ut vox *donec* quae finite accipi debet quoad primum, finite etiam accipiatur quoad secundum. Ideoque, ablato sceptro a Iuda, eodemque reposito in manus Messiae cui obedientia populorum, auferetur et iudex atque omnis autonomia gentis, ea scilicet simultaneitate quam patitur natura mutationum huiusmodi, quae non instantanee, sed per gradus fieri natae sunt atque compleri.

Sic igitur, ea quae Messiam spectant, (Gen. XLIX-10), determinantur quantum ad tria: **Primo** quidem, quantum ad progeniem et familiam e qua oriundus sit. **Secundo**, quantum ad tempus quo adveniet, vergente nimirum in definitivum interitum republica Iudaica. **Tertio**, quantum ad maximam mutationem quam in mundo efficiet ille cui erit obedientia gentium. Quam eamdem mutationem Balaam, ducentis circiter post annis, de excelsis Moab praenuntiabat, Num. XXIV. Sed et eam multo expressius praedixerunt posteriores vates, apud quos nota maxime characteristica regni Messianici est gentium omnium adunatio in unam catholicam sive universalem Ecclesiam.

Sed iam, praetermissis brevitatis gratia caeteris ad primam prophetiae periodum attinentibus, considerandum est qualiter omnia supradicta vaticinia, (quorum primum annis ante Christum plus quam quater millibus, ultimum vero mille circiter et sexcentis editum est), in persona Iesu miro ac vere stupendo modo fuerint adimpleta. **Ipse** certe Iesus est qui factus de muliere, vere filius hominis per excellentiam, regnum diaboli in mundo evertit, idololatriam destruxit, homines e turpitudinibus infernalis tyrannidis eripuit; cuius calcaneo per orbem universum etiam nunc

Satanas insidiatur. **Ipse** ex progenie Sem, Abraham, Isaac et Iacob. In ipso benedictae sunt omnes cognationes terrae, et hodiedum benedicuntur. Non enim dubium est quin sanctitatem et virtutes omnis generis in terras Iesus Christus attulerit; quin populi eius fide instituti, bonis insignibus, maxime spiritualibus, fuerint repleti; quin denique regnum eius sit vere universale, constans subditis ex omni lingua et natione quae sub coelo est. **Ipse** orbi illuxit eo praecise tempore quod in vaticinio Iacob fuerat determinatum. Natus est enim in ultimis annis Herodis I regis alienigenae, et vix duodecimum aetatis annum attigerat, quando Iudaea, (hoc est regnum Israel a praedominante tribu Iuda nomen accipiens), conversa est in provinciam Romani imperii. Cum de morte ei infligenda ageretur, universa Synagoga per os suorum principum conclamavit dicens: « Nobis non licet « interficere quemquam ». Et iterum: « Non habemus regem nisi « Caesarem ». Denique accidit ultima clades Ierusalem, superstite adhuc generatione coaeva Iesu, atque hoc modo vita Iesu Christi medium tenet locum in epocha quae currit a primis initiis cessationis ducis de femore Iudae, usque ad consummatam eversionem totius status Iudaici. **Ipse** tandem Iesus Christus fuit gentium expectatio. Nam circa tempus adventus eius « percre- « buerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut « eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur ». Ita Suetonius in Vesp. c. 4. Quibus gemina sunt ea quae scribit Tacitus, Hist. l. 4 § 13; Tertullianus, l. 2 de Divinat., etc. (1).

Mitto, fuisse etiam in Iesu adimpleta ea quae praenuntiantur a Moyse, Deuter. XVIII-15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus; ipsum audies. Ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum non videbo, ne moriar.* Advenit enim Iesus novus legislator, novique mediator foederis, in quo quidem Moysi recte comparatur. Verumtamen minister exstitit, non sicut Moyses in Sinai, foederis servitutis et terroris, sed gratiae et amoris. Unde

(1) Cf. de Champagny, *Rome et la Judée,* passim.

mirabantur homines in verbis gratiae quae procedebant de ore eius, et quocumque dirigebat gressus, ingentes multitudines ad se trahebat specie sua et pulchritudine sua, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam. Mitto demum, Iesum esse eum quem audire noluit maxima Iudaeorum pars; unde venerunt super illos mala a Moyse (Deuteron. XXVIII-55 et seq.) signanter annuntiata: « Servies inimico tuo quem immittet tibi « Dominus in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria, et po- « net iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. « *Adducet Dominus super te gentem de longinquo et de extremis* « *terrae finibus, in similitudinem aquilae volantis cum impetu,* « cuius linguam intelligere non possis... Donec te disperdat, et « conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi « atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. « *Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua quam dabit tibi* « *Dominus Deus tuus. Et comedes fructum uteri tui, et carnes* « *filiorum tuorum et filiarum tuarum quas dederit tibi Dominus* « *Deus tuus, in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus.* « *Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terrae* « *usque ad terminos eius...* In gentibus quoque illis non quie- « sces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi « Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam « consumptam moerore... Reducet te Dominus classibus in Ae- « gyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non vi- « deres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non « erit qui emat ».

His itaque omnibus ut par est ponderatis, manifestissime apparet dictas praenuntiationes, nonnisi ex ipsis splendoribus aeternitatis cui sunt omnia tempora praesentia, descendere potuisse. Quippe vel sola substantia prophetiae, fore ut surgeret aliquando vir qui destructa idololatria, religionem universalem introduceret in mundum, gentesque omnes, moribus, linguis, praeiudiciis, mutuisque inimicitiis tam profunde divisas in unum spirituale regnum congregaret: hoc ipsum, inquam, omnem antiquorum coniecturam et suspicionem transcendebat. Ast multum abest quin sola fuerit substantia facti praenuntiata. Mira-

bili enim fidelitate determinatur tanti operis modus. Determinatur in individuo, et repetitis per temporum intervalla oraculis, progenies e qua Salvator sit oriundus. Determinatur etiam tempus adventus eius, dato scilicet signo ex facto quod ab infinita pene causarum contingentium complicatione dependebat, definitivam dico Iudaicae reipublicae quae nondum tunc exsistebat, eversionem. Determinatur tandem et ad vivum describitur, Deuter. XXVIII-45, status rerum qui in hebraeorum gente Iesu Christi passionem et mortem consecutus est.

Ergo indubio prophetiae signo divina Christi missio confirmari dicenda est.

§ 2.

Secunda prophetiae periodus.

A temporibus Iudae Patriarchae progenitores benedicti seminis inter omnes stirpis Iudaicae propagines expresse designatos invenies. Nam, Ruth IV, 18-22, series generationum ducitur a Phares filio Iudae usque ad David, cui Psalm. LXXXVIII, 20-38, fit huiusmodi promissio: *Ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronus eius sicut dies coeli... Semel iuravi in Sancto meo, si David mentiar, semen eius in aeternum manebit,* etc. Ex quibus, aliisque quam plurimis constat praenuntiatum Messiam tanquam futurum ex progenie David, cum quo principium sumpsit illustrior periodus prophetiae. Nam sicut nos cum aliquem videmus a longe, prius deprehendimus esse corpus quam esse animal, et prius esse animal quam esse hominem: et prius esse hominem quam esse hunc numero hominem, ita illi antiqui patres a longe aspicientes incarnati Verbi mysterium, prius sub ratione magis confusa videbant, deinde minus ac semper minus confusa, donec labentibus saeculis, prophetica Messiae imago in suis ultimis lineamentis compleretur. Sane vero, si psalmos David posterioresque Isaiae et Ieremiae prophetias percurras, videbis tunc primum revelari Messiam sub novo quodam atque inexpectato respectu, qui vix antea per varias allegoriarum umbras fuerat indicatus. Quippe incipit apparere *vir dolorum,* et describi passio

illa quam futuram Gentibus stultitiam, Iudaeis autem scandalum pronuntiat apostolus. Psalmum 21um messianicum esse, imo in persona Messiae loquentis fuisse conscriptum, manifestissime apparet in secunda parte carminis, in qua ille ipse qui modo erat in profundo doloris immersus, mutato repente tono, praecinere incipit triumphum, in haec verba erumpens: *Apud te laus mea in Ecclesia magna... Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium... Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.* Nam ecquis ille est qui hic exhibetur tamquam excitaturus a longo somno, somno videlicet oblivionis et ignorantiae, populos universos, facturusque ut relictis idolis, in unam Ecclesiam magnam coadunati laudent et colant Deum universorum Dominum ac Patrem: quis, inquam, nisi ille de quo dictum est: *Et ipsi obedientia populorum* (Gen. XLIX-10), et iterum: *Ipse conteret caput tuum* (Gen. III-15)? Sed nunc attende qualiter Messias dicatur addicendus supplicio, cuius etiam supplicii species graphice describitur. Non enim potest intelligi effossio manuum et pedum (vers. 17) de quocumque vulnere illato, sed necessario agnoscenda est confixio in cruce; alioquin quae esset ista consequentia: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea?* Ut possint dinumerari ossa, profecto oportet ut corpus violenter extendatur et pendeat ex alto. Dinumeratio ergo ossium consequens effossionem manuum et pedum, patibulum crucis manifeste designat. Verum non illud solum praedicitur. Imo cum regius Psaltes ubique Messiam concelebret ut qui dominabitur a mari usque ad mare, et principes terrae sibi adversantes reget in virga ferrea, iudicans in nationibus, suaque maiestate implens omnem terram: nihilominus signanter etiam praenuntiat ipsum per ignominiosissimam mortem crucis intraturum esse in hanc gloriam suam. Sane, Psalm. XXI, ex ipso crucis patibulo intonat Messias hymnum triumphalem, et reminiscentia ac conversio populorum terrae palam proponitur in prophetia ut passionis fructus. Denique, id quod de cruce tamquam de universalis regni symbolo et instrumento dicunt Patres

Ecclesiae, primus David mille annis ante eventum enuntiavit ([1]). Nunc autem, omnia quae in Davidico vaticinio continentur, usque ad iota et apicem in Iesu Christo impleta inveniuntur: non solum quoad genus et circumstantias mortis, verum etiam quoad praenuntiata consectaria. Ergo rursus, eadem sit conclusio ac supra: certissimo nimirum prophetiae signo, divinam Iesu Christi missionem confirmari. Credibilius quippe esset Iliadem Homeri ex fortuito characterum concursu ortam esse, quam ex phantasia vatis vel casuali divinatione prodiisse oracula huiusmodi, quae cum sint de obiecto penitus singulari, inexcogitabili, humanoque

([1]) « David l'a vu de loin (scilicet Messiam), et l'a chanté dans ses « psaumes avec une magnificence que rien n'égalera jamais. Le Messie « lui a paru assis sur un trône plus durable que le soleil et que la lune. « Il a vu à ses pieds *toutes les nations* vaincues, et ensemble *bénites en « lui* (Psalm. LXXI, 5, 11, 17), conformément à la promesse faite à « Abraham. Il a élevé sa vue plus haut encore: Il l'a vu *dans les lu- « mières des saints, et devant l'aurore, sortant éternellement du sein* de son « Père, *pontife éternel* et sans successeur, ne succédant aussi à personne, « créé extraordinairement, non selon l'ordre d'Aaron. mais *selon l'ordre « de Melchisédech*, que la loi ne connaissait pas. Il l'a vu *assis à la droite « de Dieu*, regardant du plus haut des cieux *ses ennemis abattus*. Il est « étonné d'un si grand spectacle, et ravi de la gloire de son fils il l'ap- « pelle *son Seigneur* (Psalm. CIX)... Et encore que le règne de ce grand « Messie soit souvent prédit dans les Ecritures sous des idées magnifi- « ques. Dieu n'a point caché à David les ignominies de ce béni fruit « de ses entrailles... La croix paraît à David comme le trône véritable « de ce nouveau roi. Il voit *ses mains et ses pieds percés, tous ses os mar- « qués sur sa peau* par tout le poids de son corps violemment suspendu, « *ses habits partagés, sa robe jetée au sort, sa langue abreuvée de fiel et de « vinaigre, ses ennemis frémissant autour de lui, et s'assouvissant de son sang* « (Psalm. XXI et LXVIII). Mais il voit en même temps les glorieuses « suites de ses humiliations: *tous les peuples de la terre se resouvenir de « leur Dieu oublié* depuis tant de siècles; *les pauvres venir les premiers à « la table* du Messie, et ensuite, *les riches et les puissants, tous l'adorer et « le bénir;* lui présidant *dans la grande et nombreuse église*, c'est-à-dire, « dans l'assemblée des nations converties, et *y annonçant à ses frères le « nom de Dieu* et ses vérités éternelles (Psalm. XXI-26 et seq). David « qui a vu ces choses. a reconnu en les voyant, que le royaume de son « fils n'était pas de ce monde ». Bossuet, Discours sur l'histoire universelle, 2ème Partie, ch. 4.

sensui undequaque repugnante, eventu ipso ad amussim noscuntur comprobata.

Iam, post tempora David passio Messiae adeo clare proponitur in prophetia, ut evangelistas potius audire crederes quam vates. Insigne est inter alia multa id quod apud Isaiam legitur, c. LIII per totum ([1]). Huius vaticinii ineluctabilem vim sentiunt adversarii, et ideo nihil intentatum reliquerunt ut sibi persuaderent, non referri ad Messiam, sed vel de natione Iudaica dici, vel de prophetis generaliter consideratis, vel denique de solo Isaia. Verum prophetae contextus, Messiam, eumque solum manifeste designat. Resume dictorum seriem a capite praecedenti, vers. 7. Vates invitat Sion ad laudem et laetitiam, quia consolatus est Dominus populum suum, redemitque plebem quae sub spiritualibus Aegyptiis seu Assyriis captiva gemebat, hancque redemptionem esse salutem a Messia afferendam apertius ostendens, prosequitur: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terrae Salutare Dei nostri.* Iam, paucis interiectis de praedicatoribus, quibus praecipitur ut recedant de medio pollutae civitatis, et in toto mundo publicent bonum nuntium ([2]), rursus sine ambiguitate designatur Messias Salvator per haec verba: *Ecce... servus meus exaltabitur..., et sublimis erit valde... asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum,* (quippe velut prodigium inauditum et stupendum nimis manifestabitur in mundo). Denique, nullis interpositis, sic incipit Isaias: *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo,* etc. Agitur ergo absque dubio de eo qui hucusque dictus est salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum, exaltandus et sublimis futurus valde, expiaturus gentes, a regibus in silentio admirationis adorandus. Eo vel magis quod ne

([1]) Ad litteram in hebraico: « Sub oppressione mansit mitis et patiens, « et non aperuit os suum. Ductus est sicut agnus ad sacrificium, et sicut « ovis coram tondente non aperuit os. Sustollitur per violentiam et per « sententiam (iudicis). Quis supputabit durationem eius, quando de terra « viventium abscinditur, perculsus propter scelera populi mei? »

([2]) Cf. Act. XIII-46.

contrarietas characterum inter se adeo dissidentium, (ineffabilis scilicet gloriae et inauditae ignominiae), obstaret quominus unus idemque salvator in prophetia descriptus intelligeretur, ipse Isaias praemittit se locuturum de re humano sensu incredibili: *Quis,* inquit, *credidit auditui nostro!* hoc est, quis credet stupendum hoc quod ego narraturus sum? *Et brachium Domini cui revelatum est?* hoc est, potentiam ac virtutem quam Deus in opere redemptionis ostensurus est, quis mente assequetur? Ipsa ergo contradictio quae est inter glorias in fine c. 52 celebratas, et passiones doloresque initio c. 53 exponendos, novum suppeditat argumentum pro identitate personae utrobique descriptae. His positis, redit argumentum paulo supra expositum. Passio enim Iesu Christi, non quidem quoad supplicii speciem, sed quoad alias circumstantias, et praecipue quoad rationem immolationis expiatoriae, ita ad vivum hic depingitur, ut superflua sit omnis demonstratio. Insuper, quod praetereundum non est, consectaria dictae passionis multo illustriori modo apud Isaiam quam apud Davidem praenuntiantur. Vide c. 54um, et nota quomodo cohaeret cum praecedenti. Vide etiam sequentia usque ad 60um inclusive, et ne mireris magnificentiam verborum quasi non esset proportionata realitati quam in Ecclesia Christi oculis nostris conspicimus. Etenim, ut comparationem Augustini adhibeam, alio modo apparet aedificium in ipso aedificandi actu, quando adhuc superinducta lignorum et machinarum strue quodammodo obruitur; alio vero modo quando remotis machinis, in toto suo splendore incipit apparere. Idem dic de Ecclesia. Nunc obruitur machinis ad aedificationem necessariis, nam quaecumque circa ipsam fiunt, puta persecutiones, defectiones, scandala, aliaque eiusmodi, quasi quaedam machinae sunt ad structuram. His tamen non obstantibus, si quis paululum introspiciat hanc mirabilem domum, videbit in ea de integro verificari magnifica Isaiae, aliorumque prophetarum dicta.

Non tamen id solum quod Messiae passionem et eius passionis consectaria spectat, apud prophetas huius secundae periodi assignatum invenies. Sed quoad caetera etiam, quo magis appropinquat temporum plenitudo, eo magis benedictum *Germen*

(Is. IV-2, Ierem. XXXIII, Zach. VIII-12), in quodam quasi utero prophetiae, et per prophetiam in spe et expectatione mundi maturescit, ac voces de venturo Christo instantius sonant [1]. Vox

[1] « Les autres prophètes n'ont pas moins vu le mystère du Messie. « L'un voit *Béthleem, la plus petite ville de Juda,* illustrée par sa nais- « sance, et en même temps élevé plus haut, il voit une autre naissance. « par laquelle *il sort de toute éternité* du sein de son Père. L'autre voit « la virginité de sa mère, *un Emmanuel, un Dieu avec nous* sortir de ce « sein virginal, et un enfant *admirable* qu'il appelle Dieu. Celui-ci le « voit entrer *dans son temple:* cet autre le voit *glorieux dans son tombeau,* « où la mort a été vaincue. En publiant ses magnificences, ils ne taisent « pas ses opprobres. Ils l'ont vu *vendu;* ils ont su le nombre et l'emploi « des *trente pièces d'argent dont il a été acheté.* En même temps qu'ils « l'ont vu *grand et élevé,* ils l'ont vu *méprisé et méconnaissable au milieu* « *des hommes, l'étonnement du monde* autant par sa bassesse que par sa « grandeur, *le dernier des hommes, l'homme de douleurs chargé de tous nos* « *péchés, bienfaisant et méconnu, défiguré par ses plaies, et par là guérissant* « *les nôtres, traité comme un criminel, mené au supplice avec les méchants, et* « *se livrant comme un agneau* innocent paisiblement *à la mort; une longue* « *postérité naître de lui* par ce moyen, et la vengeance déployée sur son « peuple incrédule. Afin que rien ne manquât à la prophétie, ils ont « compté les années jusqu'à sa venue, et à moins de s'aveugler, il n'y « a plus moyen de le méconnaître.

« Mais ce que les prophètes ont vu le plus clairement, et ce qu'ils « ont aussi déclaré dans les termes les plus magnifiques, c'est la béné- « diction répandue sur les Gentils par le Messie. *Ce rejeton de Jessé* et « de David a paru au saint prophète Isaïe *comme un signe* donné de Dieu « *aux peuples et aux Gentils, afin qu'ils l'invoquent.* L'homme de douleur, « dont les plaies *devaient faire notre guérison,* était choisi *pour laver les* « *Gentils par une sainte aspersion,* qu'on reconnaît dans son sang et dans « le baptême. *Les rois* saisis de respect en sa présence *n'osent ouvrir la* « *bouche devant lui. Ceux qui n'ont jamais ouï parler de lui, le voient, et* « *ceux à qui il était inconnu sont appelés pour le contempler.* C'est *le témoin* « *donné aux peuples, c'est le chef et le précepteur des Gentils.* Sous lui *un* « *peuple inconnu se joindra au peuple de Dieu, et les Gentils y accourront de* « *tous cotés.* C'est *le juste de Sion, qui s'élèvera comme une lumière; c'est* « *son sauveur qui sera allumé comme un flambeau. Les Gentils verront ce* « *juste et tous les rois connaîtront cet homme tant célébré dans les prophé-* « *ties de Sion...* Son caractère essentiel est de joindre ensemble la « douceur avec l'efficace; c'est pourquoi cette voix si douce passera « en un moment d'une extrémité du monde à l'autre, et sans causer

est *Ioelis* (II-28 seq.) vaticinantis effusionem Spiritus in diebus novissimis, hoc est, in diebus Messiae qui ideo novissimi dicuntur, quia Lex a Messia introducenda ultimum ac definitivum signat statum generis humani ante mundi consummationem, seu « antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ». Vox *Michaeae* (V-2) designantis civitatem e qua egredietur qui sit dominator in Israel, cuius egressus ab initio et a diebus aeternitatis. Vox *Ieremiae* praenuntiantis qualiter Messias edocturus sit genus humanum adorare Deum in spiritu et veritate, imprimendo divinam legem in cordibus, et mentes ad invisibilia aeternaque bona convertendo (XXXI, 31-35). Sed qui in omnibus principatum tenet, ipse est *Isaias*. Videt et describit qualiter erit Messiae obedientia populorum (II, 2-5, XI, 1-10), item quis futurus sit status domus David, quando idem Messias adveniet (XI-1, coll. cum LIII-2). Ministerium similiter Messiae graphice describit, quoad locum ubi incipiet (IX, 1-7), quoad signa quibus confirmabitur (XXXV per totum), quoad rationem secundum quam exercebitur (LXI-1, seq.). Iudaeorum tandem obcaecationem et desolationem futuram evidentius annuntiat. Vide praesertim c. XXXIX. Postquam dictum est vae Ariel, h. e. Ierusalem: « Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate... quoniam « miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; « prophetas et principes vestros qui vident visiones operiet. *Et « erit vobis visio omnium sicut verba libri signati,* quem cum « dederint scienti litteras, dicent: lege istum, et respondebit: non « possum, signatus est enim... Et dixit Dominus: eo quod ap- « propinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, « cor autem eius longe est a me... Ideo ecce ego addam ut ad- « mirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo; « peribit enim sapientia a sapientibus eius, et intellectus pru-

---

« aucune sédition parmi les hommes, elle excitera toute la terre. *Il « n'est ni rebutant ni impétueux*, et celui que l'on connaissait à peine « quand il était dans la Judée, ne sera pas seulement le fondement *de « l'alliance du peuple,* mais encore *la lumière de tous les Gentils* ». Bossuet, ubi supra.

« dentium eius abscondetur... ». Quibus verbis profecto praedicitur populus Israel obcaecandus *circa obiectum principale totius prophetiae,* hoc est circa Messiam in quo alias (Dan. IX) dicitur implenda *visio* et *prophetia.* Accedit illud Oseae III·4: « Dies « multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine « sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim », omnino cohaerens cum iis quae iam cognovimus praenuntiata a Moyse Deut. XXVIII, et ab Isaia ubi supra, cum iis etiam quae infra afferentur ex Daniele IX·26.

Iam igitur conclusio quam in fine praecedentis paragraphi declaratam habes, multo maiori nunc pondere firmatur. Quo enim magis multiplicantur determinationes de Messia, quo a pluribus personis eduntur vaticinia, et per plures temporum differentias: eo magis ac magis removetur possibilitas fortuitae concordantiae vel coniecturalis cognitionis. Porro, inter tot ac tanta quae in hac secunda prophetiae periodo praedicta sunt, unum est quod specialissimam meretur considerationem, scilicet *fore ut ad Messiam passum et crucifixum congregarentur Gentes, et ab eodem Iudaei maxima ex parte sese averterent.* Sed si, ut dictum est, vel sola substantia veteris prophetiae circa universale seu catholicum Messiae regnum, omnem humanam suspicionem transcendebat, quanto magis praeter et contra omnem fidem erat deviatio Iudaeorum et obedientia Gentium, quae tamen simul praenuntiantur, et cum expressa oppositione unius ad alterum!

§ 3.

Tertia et ultima prophetiae periodus.

In hac periodo quae ab initio captivitatis currit, datur quasi ultimum signum adventus Regis: Ecce venit! Enumerantur quatuor imperia quae sibi invicem succedent usque ad tempora Messiae; quin et supputantur anni qui adhuc residui sunt (Dan. II, 36·46; IX, 21·27). Praedicitur novum templum sub Zorobabele erectum, praesentia ipsius Messiae fore illustrandum (Agg. II, 7·10, coll. cum Malach III·1). Dicitur filiae Sion: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super*

asinam et super pullum filium asinae (Zach. IX-9). Novus cultus, *incruentumque* sacrificium describitur quasi iam toto orbe, caeteris victimis repudiatis, foret celebratum (Malach. I-11). Exspirat demum Prophetia designando et indigitando praecursorem qui immediate praeparabit Messiae viam (Malach. III-1; IV, 4-6).

Verum de oraculo Danielis IX-21 specialiter dicendum est. Septuaginta hebdomades sunt hebdomades annorum. Evidens enim est quod hebdomades dierum non sufficiebant ad tot tantosque eventus, quales illi sunt qui ab angelo assignantur; porro praeter hebdomades dierum, non erant in usu apud Iudaeos nisi hebdomades annorum quas notissima Iubilaei institutio consecrabat (Levit. XXV-8 etc.). Angelus autem per hebdomades annorum tempora computavit ut numerus septuagesimus servari posset. Orabat quippe Daniel ut iuxta sermonem factum ad Ieremiam, non ultra septuagesimum annum captivitas extenderetur (IX-2). Sed dum peteret liberationem a captivitate Assyriorum, ecce adest angelus certiorem eum faciens de redemptione Messiae, ad quam prior illa liberatio se habebat ut typus ad antitypum (Isai. XLV). Ut ergo servaretur parallelismus, opposuit angelus septuaginta annorum hebdomades usque ad Messiam, septuaginta annis captivitatis Babylonicae. Initium computi est ab edicto Artaxerxis Longimani, *ut iterum aedificetur Ierusalem,* et hoc edictum est edictum de quo 2 Esdr. II, datum anno vigesimo [1]. Porro annus vigesimus Artaxerxis incidit in annum

[1] Apprime distinguendum est decretum de reaedificatione murorum Ierusalem a variis edictis quae pro aedificatione vel ornatu templi data sunt, anno primo Cyri (1 Esdr. I-1), anno secundo Darii (1 Esdr. IV-24), et anno septimo Artaxerxis (1 Esdr. VII-7). Initium computi septuaginta hebdomadarum est *exitus sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem... Et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum.* Et hoc decretum de instaurandis muris et turribus et portis, postremum omnium fuit, sub Artaxerxe anno vigesimo regni eius a Nehemia impetratum, ut constat evidenter ex 2 Esdr. II-III. Non ergo subscribendum est opinioni nunc antiquatae, quae computi initium ducebat ab edicto dato anno septimo Artaxerxis; nam in eo non agitur nisi de ornatu templi et victimis in eo offerendis (1 Esdr. VII, 7-26). Caeterum, non mirum si computum auctorum huius opinionis cum nostro fere

454 ante aeram vulgarem. Adde annos 490, id est septies septuaginta, et pervenies ad annum aerae vulgaris 36. Sed in medio hebdomadis septuagesimae occidendus dicitur Christus; unde tandem mors Messiae praedicitur futura eo circiter anno, qui fuit aerae vulgaris 32 vel 33. Et ex tunc deficiet hostia et sacrificium, Mosaica Lege in perpetuum abrogata. Ex tunc etiam praeparata aderit in causis eversio civitatis et templi, idque non solum ex parte iustitiae divinae quae excidium Ierusalem ordinavit in vindictam deicidii, verum etiam ex parte Iudaeorum qui ideo Romanos ad iracundiam provocaverunt, variis Pseudo-Christis gladio armatis adhaerendo, quia pacificum Messiam Iesum noluerunt agnoscere. De impletione tandem prophetiae et impossibilitate naturalis concordiae praedictionis cum eventu, superfluum esset disputare.

§ 4.

Consummatio prophetiae per Praecursorem.

Notatu dignum est quod annis circiter quingentis ante celeberrimam illam epocham quae erat *in fatis,* (ut vetus et constans ferebat opinio, cuius supralaudatus meminit Suetonius), penitus cessaverunt oracula in populo Israel. Et simile quid accidit cum populus congregatur ad recipiendum triumphatorem. Undique clamores audiuntur, sonantque confusae voces ut murmur aquarum multarum. Sed cum fit ultima iamiam adventantis annuntiatio, statim concidunt voces, succeditque silentium in signum reverentiae et suspensae exspectationis. Sic etiam postquam ab ipso mundi exordio, instanter, instantius, instantissime insonuisset

---

coincidebat quoad terminum ad quem. Ratio est quia ipsi sequebantur chronologiam prius receptam, in qua initium regni Artaxerxis referebatur ad annum 465 ante aeram vulgarem, cum tamen iuxta chronologiam reformatam, toto fere decennio sit anticipandum. Ideo apud ipsos, annus septimus Artaxerxis tribus tantum vel quatuor annis distabat a sede anni vigesimi in chronologia nunc recepta, quam sequimur.

Prophetia, appropinquante tandem temporum plenitudine, omnino siluit: ut scilicet omnium animi in ipsum venientem Regem intenderent, et conveniens servaretur distantia inter *praedictionum finem* et *initium impletionis earumdem.*

At vero, ut evidentius constaret quanta certitudine et infallibili praescientia fuerant omnia praenuntiata, ecce *in hoc ipso primo initio* ac veluti *limine Novi Testamenti,* apparet homo missus a Deo prophetice demonstrans personam iam praesentem in qua erat implenda *visio et prophetia.* Ille, inquam, homo est qui in eremo indigitans Iesum adhuc mundo incognitum, clamabat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi... Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Ille cui apud Malach. III-1, commissum legitur munus praeparandi viam ante faciem Domini, et perducendi ad suum terminum longissimam illam vaticiniorum seriem de qua supra. Ille demum qui seipsum definiebat dicens: *Ego vox clamantis.* Utique *vox* per quam praeterita tempora continuabantur cum futuris, vox in qua reviviscebant voces omnes editae *per os sanctorum qui a saeculo sunt, prophetarum eius.*

Et hoc est quod monstratum fuit quando nato Ioanne, antiqua prophetia quae a quinque, ut dictum est, saeculis silebat, recuperavit in persona Zachariae peremptae organa vocis, et iam finem dicendi factura, in una veluti peroratione resumpsit omnia dicta sua. Si quis enim diligenter consideret, videbit quod canticum *Benedictus* (Luc. I, 67-80) nihil aliud est quam quaedam veterum vaticiniorum *resonantia* simul et *consonantia,* congruens ortui illius de quo est scriptum: *Lex et prophetae usque ad Ioannem.* Nam: Benedictus Dominus Deus Sem (Gen. IX-26), quia visitavit (Gen. XXI-1), et redemptionem misit populo suo (Psalm. CX-9), et produxit cornu David (Psalm. CXXXI-17), sicut locutus est in visione sanctis suis (Psalm. LXXXVIII 20): ad salvandum nos de manu odientium, et redimendum nos de manu inimici (Psal. CV-10): ad faciendam misericordiam super Iacob (Is. XIV-1), et memorem esse testamenti sui (Psalm. CX-55): ad dandam veritatem et misericordiam quae iuravit Abrahae et Iacob patribus nostris a diebus antiquis (Mich. VII-20): quod possideremus portas

inimicorum nostrorum (Gen. XII-17), et sine timore malae bestiae (Is. XXXV-9), de manu mortis liberati (Os. XIII-14), serviremus ipsi (Psalm. XXI-31), ut populus sanctus (Is. LXIII-12), in iustitia sempiterna (Dan. IX-24). Et tu, puer, angele Dei exercituum, praeparabis viam ante faciem Domini (Malach. III-1), ut videat omnis caro salutare Dei (Is. XL-5), per quod finem accipiet peccatum et delebitur iniquitas (Dan. IX-24): quia miserens visitavit nos (Zach. X, 3-6), cui nomen est Oriens (Zach. VI-12), illuminare eos qui ambulabant in tenebris, et habitabant in regione umbrae mortis (Is. IX-2); et erit iste pax (Mich. V-5).

Vide ergo quam stupenda unitate omnia constent, et quam recto itinere prophetia tendat ad Christum, non declinans neque ad dexteram neque ad sinistram. Vide quam sit mirabilis ordo ille religionis sese absque ruptura evolventis ab Adam ad Moysen, et a Moyse ad Christum. **A Deo aeterno factum est istud, et est mirabile in oculis nostris!**

§ 5.

Bene itaque Augustinus, epist. ad Volusianum, n. 15-16: « Quem non moveat ad credendum tantus ab initio ipse rerum « gestarum ordo, et ipsa connexio temporum praeteritis fidem « de praesentibus faciens, priora posterioribus et recentioribus « antiqua confirmans? Eligitur unus ex gente Chaldaeorum, pie- « tate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tantam « saeculorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, « atque in eius semine omnes gentes habiturae benedictionem « praenuntiantur. Hic unum Deum verum colens universitatis « creatorem, gignit filium senex de coniuge quam spe pariendi « penitus destitutam sterilitas aetasque iam fecerat. Propagatur « ex illo numerosissimus populus multiplicatus in Aegypto, quo « illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis effectisque « crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Aegypti « servitute gens valida horrendis signis atque miraculis, pulsis- « que impiis gentibus, in terra promissionis perducta et consti- « tuta regno etiam sublimatur. Deinde praevalescente peccato,

« sacrilegis ausibus Deum verum qui eis tanta beneficia contu-
« lerat saepissime offendens, variisque flagellata cladibus et pro-
« speritatibus consolata, usque in Christi incarnationem declara-
« tionemque perducitur. Quem Christum Dei Filium, Deum in
« carne venturum, moriturum, resurrecturum, in coelum ascen-
« surum, praepollentissimo suo nomine in omnibus gentibus di-
« catos sibi populos habiturum, inque illo remissionem peccato-
« rum salutemque aeternam futuram esse credentibus, omnia
« gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia,
« templum, et cuncta omnino sacramenta sonuerunt (1). Venit et
« Christus. Complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passio-
« nibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia praeconia pro-
« phetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo
« congregatos. Impleti autem Spiritu Sancto loquuntur repente
« linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, praedicant
« saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praete-
« ritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur.

(1) Considerandum quod non solum oraculis vocalibus fiebat prophetica praeparatio, sed etiam caeremoniis Legis Mosaicae, observantiisque quam plurimis quae omnes in figura venturi Christi disponebantur. Quin imo, fiebat per eventus historicos sub dispositione divinae providentiae. Qui modus est adhuc sublimior, quia arguit interventum divinitatis non solum quantum ad praescientiam futuri, sed etiam quantum ad rationem significandi rem praevisam; homo quippe accommodat ad significandum solas voces, Deus autem eventus ipsos. Sic exempli gratia, quaecumque gesta sunt in Cain et Abel significaverunt Christum et populum Iudaeorum, necem Christo intentandam a deicidis fratribus, inde secuturam maledictionem gentis, statumque dispersionis per totam terram cum indelebili signo perfidiae sub quo, sicut Cain, a destructione protegitur. Sic iterum, mysterium Christi praelineabant ea quae gesta legimus per Noe inebriatum, per Cham irridentem et hac de causa maledictum, per Sem et Iaphet cum pietate patrem operientes et ideo benedictos. Significabant ista, opprobria Christi amore inebriati et sic pendentis in cruce, impietatem massae Iudaeorum conviciantium crucifixo, annuntiantiumque cum derisione passiones eius atque ignominias, et ex adverso, pietatem primitiarum ex Iudaeis necnon et plenitudinis Gentium, reverentium opprobria Domini sui, accedentiumque ad Christum pro nobis passum, faciebus aversis, quasi detestantium scelus deicidarum, etc. Cf. Augustinum, l. 12 et 22 c. Faustum.

« Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate « mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus « crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema « dilatantur... Revelatae veritatis quae diu promissis mysticis ve- « labatur, sacrificio succedente, illa sacrificia quibus hoc figura- « batur, templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infideli- « tatem gens ipsa Iudaeorum a sedibus exstirpata, per mundum « usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, ac « sic testimonium prophetiae qua Christus et Ecclesia praenun- « tiata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis « adversariis profertur, ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse « credituros. Templa et simulacra daemonum, ritusque sacrilegi, « paulatim atque alternatim secundum praedicta prophetica sub- « vertuntur. Haereses adversus nomen Christi, sub velamento « tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctae reli- « gionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia sicut « leguntur praedicta, ita cernuntur impleta, atque ex his iam tot « et tantis, quae restant exspectantur implenda. Quae tandem « mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate permota, « contra huius divinae auctoritatis lumen culmenque contendat? »

Haec sunt quae gentili homini ad fidem reducendo ante annos mille et quadringentos scribebat Augustinus. Sed quid splendoris divinissimo huic prophetiae signo superaddidisse nunc dicam nova saecula quae abhinc decurrerunt? Ei namque proprium est ut nedum processu temporum obfuscetur, maiore potius in dies evidentia inclarescat: ratione scilicet evolutionis eventuum qui a primis initiis olim praenuntiati, et in libris N. T. adhuc magis determinate signati, tanto manifestius ostendunt numinis interventum, quanto longius ab aetate editorum vaticiniorum receditur.

Sane vero, in ipsis mundi incunabulis futura praedicebatur mulier e qua nostra salus oriretur, sicut e muliere perhibetur orta in paradiso nostra perditio (1). Et haec mulier quae singulari locutione in vaticinio adhibita, aliqualiter iam designabatur

(1) Cf. supra, Thes. 41.

ut virginali partu decoranda, evidentius apud Isaiam innotescebat his verbis: *Dabit Dominus ipse vobis signum, ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Porro ipso tempore quod in messianicis prophetiis fuerat praestitutum, legitur salutata ab angelo virgo obscura de pago Galilaeae: salutata, inquam, velut benedicta inter omnes mulieres, cui ex virtute Altissimi fecunditas donaretur ut pareret Messiam Redemptorem. Quae etiam de annuntiato sibi partu nequaquam dubitans, repentina annuntiatione non exaltatur, sed exultante spiritu eius in Deo salutari suo: *Respexit,* inquit, *humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vide nunc scripturam hanc impletam in oculis nostris. Vide mulierem quam prima mundi aurora venturam perspexerat, in plena luce cultus Ecclesiae catholicae nunc eminentem; imagines eius in toto orbe veneratas, beatitudinem eius semper instantius praedicatam, sanctuaria eius frequentia populorum ubique celebrata, et mundo declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protestante, omnes eius praerogativas quasi ultimis amotis velis splendidius coruscantes.

Praedixerant prophetae fore ut esset Messiae obedientia gentium, et hanc ipsam gentium congregationem in messianico regno symbolice describens Isaias aiebat: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos; vitulus et ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas* (1). Vere novum ac stupendum hoc prodigium est, quod in iisdem pascuis reperiantur animalia quibus tam contrarios instinctus natura contulit, quod inter se amico foedere iungantur velut ad unum ovile pertinentia, et ad unius parvuli imperium quaquaversum deducantur! Atqui quo magis saecula procedunt, eo etiam magis propheticus iste sermo inclarescit, dum scilicet magis magisque adimpletur id quod dictum fuerat a Christo: *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimo-*

(1) Isai. XI, 6-7.

nium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio (1). O quam gloriosa in dies proveniunt huic civitati Dei, intra cuius moenia ad terminos orbis dilatata inhabitatur de omnibus progeniebus terrae! *Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Et cum sint omnes tam diversae originis, tamen omnes coalescunt in unum corpus, et omnes unam fidem profitentur, et omnes unius vocem sequuntur pastoris, qui bene sub typo pueri parvuli exhibetur in prophetia, quia nulla humana potentia, nulloque naturali fretus praesidio, prodigiosum hunc gregem gubernat et continet. Sic igitur, ex successione temporum novus huic prophetiae accedit splendor, prout semper magis magisque extenditur prodigium in vaticiniis annuntiatum, et post mortem Christi in adventu Spiritus Sancti statim inchoatum: dum scilicet una nunc Christi Ecclesia per orbem diffusa loquitur linguis omnium gentium, sicut in promulgatione Novae Legis linguis omnium gentium loquebatur unus homo.

Praedixerant prophetae fore ut Iudaei dispergerentur in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos eius, diesque multos sederent sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim, donec in ovile Christi intraret plenitudo gentium, et postmodum, id est in fine mundi, omnis Israel salvus fieret (2). Quibus vaticiniis clare significabatur conservandum fore populum hunc in dispersione sua impermixtum caeteris gentibus, idque praeter et contra omnes leges in aliis omnibus constanter observatas. Ipse enim est verus Cain qui eiectus e suis sedibus in nefandi sceleris poenam, dixit ad Dominum: « Ecce eiicis me hodie a facie terrae, et a facie tua « abscondar, et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur qui « invenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: nequaquam « ita fiet. *Posuitque Dominus Cain signum ut non interficeret eum* « *omnis qui invenisset eum* » (3). Atqui stupendam hanc Iudaici populi conservationem tam asseveranter tamque repetitis vicibus

(1) Matth. XXIV-14.
(2) Deut. XXVIII-64; Osee III, 4-5; Rom. XI, 25-26.
(3) Genes. IV, 14-15.

a quadraginta iam saeculis praenuntiatam, oculis nostris conspicimus, et tanto in dies mirabiliorem, quanto longius a dispersione tempus iam effluxit.

Praedixerant prophetae, templum fore dissipandum, auferendam hostiam et sacrificium, et usque ad consummationem et finem duraturam desolationem (1). Insuper Christus signanter asseruerat non relinquendum lapidem super lapidem qui non destrueretur (2). Quae omnia sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta usque in praesentem diem. Nam post tempora Iuliani imperatoris qui ut vaticinia nostra falsa demonstraret, templi Iudaeorum instaurationem aggressus est, sed prodigiis divinitus editis quorum omnes meminerunt coaevi auctores (3), debuit ab incepto desistere, non fuit iteratum tentamen. Imo usque nunc Iudaei qui sunt Hierosolymis, in sacco et cinere singulis sabbatis veniunt prope locum ubi fuit sanctuarium et ingens gloria Israel, plorantes et ingeminantes lamentationem Ie-

(1) Dan. IX, 26-27.

(2) Marc. XIII-12.

(3) « Subsequenti nocte quae ad incipiendum opus iam sola restabat, « (Rufini verbis utor, l. 1, c. 38), *terrae motus ingens oboritur, et non « solum fundamentorum saxa longe lateque iactantur, verum etiam totius « loci pene aedificia complanantur. Porticus quoque publicae, in quibus Iu- « daeorum multitudo quae operi videbatur insistere commanebat, ad solum « deductae, omnes Iudaeos qui reperti sunt oppressere.* Postquam terrae « motus conquievit, qui supererant Indaei, tum imperatoris mandatis « quibus parere nefas erat pressi, tum complaciti operis perficiendi de- « siderio stimulati, rursus instare operi. Ac dum denudare fundamenta « et aedificare apparant, metuendi flammarum globi, prope fundamenta « ex Ammiano Marcellino, vel ex fundamentis ipsis secundum Chryso- « stomum ac Sozomenum, crebris assultibus erumpentes, (Ammiani « verbis utor, lib. 23, init.). *fecere locum exustis aliquoties operantibus « inaccessum; adeo ut plurimis fodientium consumptis, caeteri fuga sa- « lutem comparare coacti sint.* Iidem ignes ex Chrysostomo lapides etiam « loci illius combussere, quos nimirum terrae quassus nocte non excus- « serat... Socrates aliud prodigium ignis e coelo delapsi narrat, qui, « cum frequens convenisset ad spectanda tot monstra Iudaeorum mul- « titudo, iis praesentibus omnia opificum instrumenta consumpsit, mal- « leos, scalpra, secures, ascias, etc. ». Apud Migne, Patr. graec., Tom. 33, col. 95.

remiae prophetae: « Demolitus est tabernaculum suum, oblivioni « tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum, et in op- « probrium et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem. « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, « tradidit in manu inimici muros turrium eius. Cogitavit Dominus « dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum, et non « avertit manum suam a perditione ».

Praedixerant prophetae novum sacrificium, id est, incruentam oblationem quae, Iudaicis repudiatis victimis, ab ortu solis usque ad occasum in omni loco offerretur Maiestati Dei [1]. Et nunc mystica oblatio altaris christiani ubique terrarum, omni die, omni hora celebratur, in Oriente et in Occidente, in novo mundo et in antiquo, in mari et in terra, in civitatibus et pagis et locis etiam desertis, de qua re plura diximus ubi de sacrificio Missae.

Praedixerant prophetae, regnum Messiae fore perpetuum: *Potestas eius,* inquit, *potestas aeterna quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.* Et rursus angelus ad Mariam: *Regni eius non erit finis.* Praedixerant etiam, hoc regnum fore in lucta perpetua cum principe tenebrarum usque ad definitivam potestatis adversae eversionem: *Ipse conteret caput tuum, et tu conteres calcaneum eius.* Et iterum: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed Christus utrumque horum uno oraculo comprehendens, necnon et formam ac visibile caput huius regni sui indigitans atque instituens: *Tu es Peirus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Quod sane usque nunc splendidissimo eventu sub omnium oculis impletum perspicitur. Cui enim conspicua non est cathedra Petri, supra quam tota de integro fundatur Ecclesia? Quis etiam ignorare potest hanc ipsam Ecclesiam ita sustinuisse impetum portarum inferi, ut vere de ea dictum accipiatur quod in evangelio legimus: *Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit, fundata enim erat supra petram?* Nam potestates

[1] Malach. I-11.

saeculi, nunc sub regimine protectionis, nunc sub regimine tolerantiae, nunc sub regimine apertae persecutionis, omnes suas machinas adversus catholicam converterunt. Tanta etiam fuit vel ab initio irruentium haeresum colluvies atque hostilium doctrinarum inundatio, ut enarrari vix possit. Cogita haereses antiquas quibus singula capita fidei christianae impugnata sunt. Cogita haeresim protestantium quae fundamentum ipsum ecclesiasticae constitutionis atque auctoritatis tanta vi impetiit. Cogita philosophismum, liberalismum, materialismum modernorum, cum omni apparatu diariorum, libellorum, et aliorum seductionis mediorum sine numero. Sed et adhuc evidentius nostro aevo apparet Ecclesia omni ope temporali destituta, contra quam occultarum sectarum furor magis magisque exercetur. Accesserunt causae ruinae intestinae, scandala dico et depravatos mores tam fidelium quam eorum qui videbantur columnae esse, praesertim vero dirum illud Occidentis schisma, materiale quidem, sed inevitabilis periculi. Accedit etiam naturalis illa rerum humanarum inconstantia, necnon et temporis edacitas quae instituta diutius absque mutatione consistere non permittit. Ista est pluvia, haec sunt flumina, validi venti et tempestates atroces, quae in ecclesiasticum aedificium undique irruerunt. Et non cecidit; imo vero in persecutionibus semper crevit et epurata est Ecclesia. Haereses non solum devictae sunt, sed hoc etiam emolumentum attulerunt, ut dogmata liquidius proponerentur, instantius praedicarentur, et strictius definirentur. Vinculum unitatis inter assultus dissolventium elementorum sic firmatum est, ut consensio totius corporis cum capite Petro, splendidior nunc eluceat quam in principio. Nil demum valuit ingenita illa rerum humanarum caducitas, nisi ut caeteris institutionibus collabentibus, Catholicae stabilitas comparatione contraria emineret. In his igitur habes, praeter ingens miraculum morale, impletionem prophetiae in dies semper magis illustrem, magisque conspicuam.

Quid alia commemorem oracula de martyrum Christi passionibus, et immortali odio quo ipsum Christi nomen in vera Christi Ecclesia mundus prosequitur? Dixerat quippe Magister: *Occident vos et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.*

Et rursus: *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me.* Quid si ipsa defectio a centum fere annis notata in multis qui christiano charactere signantur, novam confirmationem veritatis prophetiarum suppeditet? Nam Paulus, 2 Thessal. II-3, deterrens fideles sui temporis ne putarent iam instare iudicii diem, apostasiam magnam futuram praedicit quae antichristo praeparabit viam: *Nisi venerit discessio primum,* ἡ αποστασία, *et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis..., ille iniquus quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Et Christus ipse dixerat, Luc. XVIII-8: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et alibi describens tempora quae ante iudicium erunt, Luc. XVII-25: *Primum oportet* (Filium hominis) *reprobari a generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth; edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant, et aedificabant. Qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de coelo, et omnes perdidit; secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.*

Ergo omnibus modis missio Iesu Christi in mundum, ac per hoc, solemnis attestatio qua se Deum et Dei Filium asseruit, divino prophetiae signo communita apparet. Ergo ipsa eius divinitas est evidenter credibilis, et firmissima atque indubitata fide credenda.

THESIS LVIII.

Fundamentale christianae religionis dogma evidenter etiam credibile faciunt facta miraculosa quae in libris Novi Testamenti referuntur, speciatim vero ineffabilis ex omni parte perfectio ipsius Iesu Christi, qui in nobis habitavit plenus gratiae et veritatis, omnemque humanae naturae proportionem supra modum excedens, terras pertransivit.

§ 1.

Haec assertio, quod ad facta evangelica attinet, iam satis constat ex praemissis in Quaest. 44, praesertim ubi ostensum est qua ratione veritas et vis probativa miraculorum Christi luculenter demonstretur nobis per nostrae fidei adversarios.

Et vere, si ea quae ibi exposita sunt in mentem revoces, non erit tibi dubium quin vel solus procedendi modus a doctissimis viris adhibitus, sit instar victricis apologiae. Etenim miracula evangelica sunt de ordine factorum; factorum, inquam, quae vel spendore suae veritatis, vel quacumque alia ex causa, eam in mundo habuerunt celebritatem cui nulla alia comparari potest. Quod Iesus Christus suscitaverit mortuos, quod caecis visum, claudis gressum, mutis loquelam restituerit, quod seipsum exhibuerit dominum cui tota natura obedit ad nutum, quod mortuus sit et sepultus, quod in sepulcro ab infensissimis inimicis caute custoditus e manibus eorum die tertio elapsus sit, quod vivus visus sit a suis discipulis in circumstantiis diversissimis, quod apparuerit coram plus quam quingentis fratribus simul, non ut umbra a mago quopiam evocata, verum in solida realitate solidae veritatis: haec non sunt theoriae abstractae quae rationibus metaphysicis vel asseruntur vel refutantur, sed res ordinis sensibilis, experimentalis, undequaque positivi, quas discutere oportet ponderatione testimoniorum. Quippe quaestio integra in hoc est: Apostoli, seu primi praedicatores fidei christianae annuntiaverunt mundo legem Iesu Christi; pro signo dederunt

eiusdem Iesu Christi miracula, potissimum vero gloriosam eius a mortuis resurrectionem. Et qui tunc erat mundus, adeo vicinus eventibus ipsis, omnia media habens revocandi ad trutinam factorum veritatem, testimonio apostolorum vel eorum qui eis proxime successerunt, convictus est. Tum ipse vicissim testimonium perhibuit, et hoc testimonium sanguine martyrum obsignatum (1), roboratum silentio adversariorum (2), in maxima traditionis luce positum, de ore in os et de manu in manum venit usque ad nos. Nihil ei ademptum ex longa successione annorum, sed adhuc vivens atque integrum est in Ecclesia magna per totum orbem dispersa, quae non alia est ab Ecclesia apostolicorum temporum, sed una eademque, haud secus ac flumen pleno alveo per campos excurrens idem est cum fonte qui descendit e cacumine montis. Quaeritur ergo utrum receptibile sit testimonium eiusmodi, praecisione facta ab omni praeconcepta theoria de impossibilitate miraculi, ad quam tota negatio rationalistica, ultimato tandem reducitur.

Sicut autem procedendi modus, ita et intrinseca rationum inanitas suo modo attestatur fundatissimam evangelicorum factorum subsistentiam. Quocumque enim te vertas, sive extrinsecum criterium consideres, sive intrinsecum, character historicus evangelii undequaque resplendet, et percellit etiam lippientes oculos. Sane si vel sola ratio habeatur status politici in Iudaea tempore Christi, et circumstantiarum *prorsus singularium* in quibus se evolvit historia Novi Testamenti, iam satis superque apparet inventorem quempiam qui aut testis oculatus non fuisset, aut a testibus oculatis eventuum notitiam immediate non accepisset,

(1) Cf. apologiam Quadrati apud Eusebium, Hist. eccl. l. 4, c. 3.

(2) Sane, nihil omnino in antiquis fidei inimicis reperitur contra materialem veritatem miraculorum Christi. Nihil in Iudaeorum libris, puta in Talmude, praeter aniles fabulas quae nulli unquam adversario usui esse potuerunt. Nihil etiam apud Celsum (Saec. II), et Iulianum apostatam (Saec. IV), nisi repetitio culumniae quae in evangelio refertur : *In Belzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Ait Celsus apud Origenem, l. 1 cont. Cels. n. 38, *illum* (Christum) *clam educatum, cum in Aegypto suam locasset operam, artesque efficiendi miracula didicisset, hinc reversum esse denique, et propter illa miracula se pro Deo venditasse.*

non potuisse in plerisque non turpiter errare, et ad omnem fere passum non impingere in scopulum. Scilicet, praeter traditiones suas quarum erant tenacissimi, retinebant Iudaei vestigia dominationis Graecorum, quorum per multos annos ante Christum exstiterant tributarii. Dominationi autem Graecorum recens successerat dominatio Romana post expeditionem Pompeii in Oriente. Et Iudaea quidem prius in regnum imperio foederatum sub Herode I constituta, mox mortuo Herode, in quatuor tetrarchias sub singulis principibus fuerat divisa. Rursus post decem annos Iudaea proprie dicta quae Archelao obtigerat, a Caesare adiungebatur provinciae Syriae sub Romani procuratoris auctoritate, dum interim in *statu quo* remanebant Galilaea, Abilina, et Ituraea. Porro tot et tantae et tam continuae mutationes, habita etiam ratione universalis expectationis Regis Messiae, necnon et animositatis Iudaeorum contra Romanos, creaverant statum sui generis cui nullus alius in historia comparari potest. Denique paulo post mortem Christi, sub Tito et Vespasiano, in excidio Ierusalem tanta incidit mutatio ut praeteritorum temporum nullum vestigium remanserit. Hinc est quod si scriptores N. T. non fuissent oculati testes, impegissent in scopulos omnis generis, maxime cum in evangelio innumera haec adiuncta temporum et locorum et personarum, non ex proposito et data opera describantur, sed obiter, ubi fert historiae Christi expositio, quasi per accidens. Qua in re vel sola narratio passionis, quod attinet ad iudicium Christi, splendidam suppeditat demonstrationem ([1]). His

([1]) Certe, tria illa tribunalia ad quae eodem die adducitur Christus, ex una quidem parte attestantur maximam complicationem status politici in Iudaea pro tempore illo; ex alia vero commonstrant summam fidelitatem evangelii, ubi istae tres diversae iurisdictiones sic procedunt, et tales inter se relationes servant, ut ab initio ad finem appareat evidenter, ultra quam dici potest, narratio plene historica, a veris testibus exarata.

Omnia profecto quae dicuntur de Caipha et collegis eius quam maxime quadrant cum iis quae de summo pontificatu, inclinatis iam Iudaeorum rebus et ad interitum properantibus, Iosephus refert. Et primo quidem intuitu viderentur falli evangelistae cum *pontifices* seu *sacerdotum principes* in plurali commemorant, quia iuxta Legem unus tantum

demum si addas, non in sola Iudaea circumscribi historiam N. T., sed eam pro theatro habere praecipuas Graeciae, Italiae, et

---

sacerdos supra caeteros habebat principatum. Nunc autem, Iosepho teste in l. 18 Antiquit. c. 3, ad Romanorum arbitrium tunc temporis deponebantur et assumebantur pontifices : « Praetor, inquit, in Iudaeam « missus est Valerius Gratus, qui Ananum pontificatu privavit, et eum « Ismaeli Phabi filio tribuit, atque hunc non multo post abdicavit, et id « munus Eleazaro Anani pontificis filio commisit ; uno autem post anno « sacerdotium huic ademptus Simoni Camithi filio tradidit, cumque is « dignitatem non ultra anni spatium tenuisset, Iosephus cui etiam Cai- « phae nomen fuit, ei successit. Et Grato quidem, his actis, Romam « reverso successit Pontius Pilatus ». Hinc igitur factum ut cum pontifice qui actu praesidebat, connumerarentur ii qui summi sacerdotii dignitate aliquando aucti, eius honorem quadantenus retinebant.

Quaecumque etiam in causa Christi per Concilium seu Synedrium aguntur, adamussim concordant cum constanti usu Romanorum relinquendi subiectis populis plenam libertatem in rebus pure religiosis. Synedrium apud evangelistas habet in sua potestate custodiam pro servitio templi ; per suos satellites apprehendit Iesum, et regulariter iudicium exercet in crimine blasphemiae ; solvit constitutam traditori pecuniam, quae non in moneta romana per denarios, nec graeca per mnas vel drachmas, sed in moneta antiqua per argenteos computatur, quoniam de templi thesauro sumpta est. Equidem, ad strictum legalitatis apicem, iure gladii quod cum iure imperii necessario connexum est, destituuntur, et ideo signanter dicunt ad Pilatum : *Nobis non licet interficere quemquam.* Facile tamen eis a Pilato licentia offertur exsequendi sententiam secundum praescripta suae religionis, et si hac licentia uti nolunt, rationes iam pluries in superioribus expositae in perfecta harmonia inveniuntur cum omnibus historiae documentis.

Coram Pilato accusatur Christus his verbis : *Commovet populum incipiens a Galilaea usque huc.* Confer nunc ea quae testatur Iosephus l. 18 Antiquit c. 1, de Iuda Galilaeo qui paucis ante annis *populum ad defectionem concitaverat*, et novae sectae apud suos auctor exstiterat : *hominum scilicet qui caeteroquin cum pharisaeis sentiunt, sed libertatem sic amant ut eam mordicus tueantur, Deum unum pro rectore et domino habentes.* Hinc tibi apparebit qua de ratione Iudaei coram Pilato Galilaeam commemorant traducentes Iesum ut ducem agitationis quae ibi pro independentia fervescebat.

Adhuc, ubi Pilatus iubet Iesum remitti ad Herodem, obiter de Herode notat Lucas : *qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus*, hoc dicendi modo significans, tam Herodem quam Pilatum non adfuisse nisi ex qua-

Asiae minoris partes, ubique autem reperiri in determinationibus geographicis et politicis accuratissimam dicendi rationem [1]; si praesertim consideres fabularum inventores necessitate absoluta cogi ad consistendum in quadam confusa generalitate, dum contra, evangelia nostra ita ad vivum cuncta describunt ut res sub oculis ponant, eoque candidae sinceritatis tenore insigniuntur, quem in nullo alio historico reperire est: intelliges profecto, non relinqui locum rationabili dubio quoad miraculosa facta quae in evangelicis referuntur documentis.

§ 2.

Sed non in solis languidorum curationibus aut mortuorum suscitationibus nostri stat summa argumenti. Ecce tibi aliquid longe mirabilius quod est Iesus Christus ipsemet, prout ex alto suae ineffabilis perfectionis cunctis generationibus humanis innotescit, et velint nolint, iismetipsis qui in via negationis ad extrema pervenerunt. Proponetur autem ratio integra sub forma quam adhibebat Augustinus in libro de vera religione, cap. 3, hoc modo:

Si interrogaretur quilibet sapiens, puta Plato vel alius recta solum ratione utens, et status ac virium, caeterarumque conditionum humanae naturae apprime conscius: si, inquam, interrogaretur de viro aliquo qui olim in pleno lumine historiae Deum se hominem factum asseverans, hanc personam ita digne, decen-

---

dam accidentali causa. Et re quidem vera, Pilatus seu praeses ordinariam sedem habebat in Caesarea, ut ex multis fontibus scimus, et speciatim ex Iosepho l. 18, c. 3; sed propter extraordinarium concursum in festo paschae, e Caesarea se contulerat Ierusalem ut ordini invigilaret. Et simili modo Herodes e Galilaea venerat, ut Iudaicae religionis quam titulo proselyti colebat, observantias impleret.

Et haec quidem, exigui speciminis instar. Qui plura vult, consulat inter alia, egregium opus Henrici Wallon: *De la croyance due à l'Evangile*.

[1] Cf. ad exemplum, navigationem Pauli a Caesarea in insulam Melitam, et inde Romam, Act. XXVII-XXVIII.

ter, et divine sustinuisset, ut licet eius vita in maxima publicitate et quodam quasi culmine observationis ex tunc mansisset exposita, nunquam tamen post tot etiam saecula desiisset credibiliter videri verus Deus:

Cuius tanta fuisset plenitudo sanctitatis, ut omnes particulares temporum et locorum differentias transcendens, exemplar praebuerit omnibus numeris absolutum, quod apud Graecos, Romanos, Barbaros, Iapones, Sinenses, Indos, eamdem semper habuisset sanctificantem efficaciam, eademque inseruisset insignium semina virtutum:

Cui etiam vere lucis hominum nomen competeret, utpote qui mundo in tenebris sedenti attulisset circa Deum et res aeternas fulgoris lucernam *qua sola usque nunc* ipse mundus illuminaretur, potuissetque persuadere homiuibus, « non corporeis oculis « sed pura mente veritatem videri..., ad quam percipiendam ni« hil magis impedire quam vitam libidinibus deditam...; quamo« brem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem « et eodem modo semper se habentem pulchritudinem »:

Qui iterum, adeo bonus, adeo serenus, adeo beneficus generi humano quondam illuxisset, ut exemplo undequaque singulari, adhuc reficeret lassos venientes ad se, adhuc fatigatis animis requiem daret, adhuc turbatos ac formidantes erigeret, adhuc in se confidentibus pacem largiretur exsuperantem omnem sensum:

Quem demum, licet ab hominum oculis iam a saeculis ereptum, pars nihilominus generis humani perenni et actuoso et efficaci amore prosequeretur, pars vero inexterminabili ac semper recrudescente odio; qui vere hic manens in aeternum, non visibili praesentia, sed spirituali efficacia, eamdem semper ac dum viveret, sustineret contradictionem, ab iisdem semper peccati formis et a singulis ipsarum eodem constanter modo lacessitus:

« Si inquam, de tali viro interrogaretur quilibet prudens, « responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi « quem forte ipsa Dei Virtus atque Sapientia ab ipsa rerum na« tura exceptum... tanta honestaret gratia, tanta firmitate robo« raret, tanta denique maiestate subveheret... De honoribus vero

« eius frustra se consuli, cum facile possit aestimari quanti ho-
« nores debeantur Sapientiae Dei, qua gestante et gubernante,
« ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium,
« et quod supra homines esset mereretur » (1). Imo, cum ipse de sua vera et propria divinitate solemnem, ut supponitur, dedisset attestationem, pro vero Deo homine facto indubitata fide esset habendus.

Atqui omnia haec de Iesu Christo in facie omnium generationum verificata sunt, et semper verificantur.

Sane vero, vixit Iesus Christus, non aetate quadam ignota, sed maxime historica, eaque celebratissima inter omnes epochas antiquitatis. Vixit sub dominatione Romana, in regione quae communicabat cum orbe universo, imo, erat tunc temporis quasi quoddam centrum universi. Nam Iudaei degebant ubique terrarum, et per singulos annos in solemnibus festis paschae et pentecostes e cunctis partibus Hierosolymam confluebant; unde reduces in propria, notitiam eorum quae in Palestina agebantur secum asportabant. Hinc effectum est ut omnium quae gesta sunt in tribus vitae Christi publicae annis, speciatim vero in passione, resurrectione, et promulgatione legis evangelicae, totus veluti mundus testis exstiterit: « Parthi et Medi, et Aelamitae, et qui
« habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et
« Asiam, Phrygiam et Pamphiliam, Aegyptum et partes Lybiae
« quae est circa Cyrenen, et advenae Romani » (2). Insuper apostoli statim profecti ad praedicandum ubique *ea quae viderant oculis suis, quae perspexerant et contrectaverant de Verbo vitae,* non angulos adibant cubiculorum, sed plateas, et celeberrimos consessus, et maximas urbes: puta Antiochiam, Athenas, Corinthum, Ephesum, Romam. « Cum duodecim apostoli, inquit Leo
« M. Serm. 82, cap. 3, imbuendum evangelio mundum, distribu-
« tis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus
« princeps apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur impe-
« rii, ut lux veritatis quae in omnium gentium revelabatur sa-

(1) Aug. l. c.
(2) Act. II-9, seq.

« lutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus ef-
« funderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc urbe non
« essent? aut quae unquam gentes ignorarent quod Roma didi-
« cisset?... Ad hanc ergo urbem tu, beatissime Petre apostole,
« venire non metuis, et... silvam istam frementium bestiarum et
« turbulentissimae profunditatis oceanum constantior quam cum
« supra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam times
« Romam, qui in Caiphae domo expaveras sacerdotis ancillam ». Itaque trophaeum crucis Christi statim ab initio Romanis arcibus caeterisque tam Orientis quam Occidentis celebrioribus centris illatum, quasi *in vertice montium* plantabatur; ibique postea mansit per saecula tamquam signum elevatum in nationibus, cui usque nunc contradicitur. Nusquam enim a summa publicitate initiorum excidit Iesus Christus, et si quis recte consideret, intelliget nihil intentatum relictum fuisse, ut a divinitatis sede deturbaretur: adhuc consilium inire Scribarum doctissimos ut capiant eum in sermone, adhuc ad eum accedere Sadducaeos qui dicunt resurrectionem non esse ([1]), adhuc per mundi ambitum verificari id quod in Ierusalem die Scenopegiae accidisse narrat Ioannes (VII-11). *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: quia bonus est. Alii autem dicebant: non, sed seducit turbas.*

Porro, post tot et tantas inquisitiones, observationes, oppositiones nemo ad hanc usque diem valuit explicare vitam Iesu Christi, eum ad puri hominis proportionem decurtando, sed mansit ipse Iesus Christus *aenigma insolubile,* seclusa veritate divinitatis. Dum ex inverso, si qui unquam homines divinos honores affectaverint, vel a posteris fuerint ad qualecumque numinis culmen elati, tanta evidentia patet absurditas ut ne primam quidem discussionem ferat. « Omnia tentamina, inquit Strauss, In-
« trod. n. XXIII, hactenus proposita ad delineandum biographiam
« Iesu vere historicam, irrita fuerunt et inania ». Quo non obstante, alter antichristianae scientiae coryphaeus dicere non timet, hunc Iesum cuius biographia vere historica non datur, in

([1]) Matth. XXII-15 et seq.

tantum evasisse lapidem humanae societatis angularem, ut impossibile esset tollere nomen eius de hoc mundo, quin mundus ipse convelleretur usque ad ima sua fundamenta [1]. Evidentia enim facti constringitur, nec potest omnino eludere testimonium humanae conscientiae, quae etiam libidinibus ac concupiscentiis evigorata, etiam falsis diis exancillata, quoties resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patiens respicit in divinam hanc figuram qua evangelium resplendet, vel invita dicit : ecce quomodo nascitur, vivit, loquitur, agonizat, et moritur verus Deus factus homo.

Quid si nunc iugem ac perennem vim consideres ad convertenda corda, reformandasque animas? Iure optimo rationalistae dicunt neminem hominum posse ex sese totaliter emergere supra conditiones medii in quo nactus est exsistentiam, transcendendo scilicet omnes particulares determinationes stirpis, regionis, vel temporis: ideoque omnem hominem fore semper filium familiae suae, populi sui, et saeculi sui. At vero Iesus Christus heri et hodie, ipse in toto mundo suam usque nunc respectu hominum cuiusvis generis, actuosam efficacitatem servat. Ipse *non fictus Orpheus,* ut verbis utar Clementis Alexandrini, Exhort. ad Gent., qui in cithara et lyra et cantu, hoc est, sanctissimae divinaeque vitae ac passionis mysteriis feras indomitas semper mansuefacit, e vitiorum coeno homines educens, exemplumque eis praebens nusquam antiquatum, quo in omne bonum contendant et ad omnem moralem perfectionem informentur.

[1] Renan, *Vie de Jésus*, ch. 25 : « Repose maintenant dans ta gloire, « *ait alloquens Iesum*... Pour des milliers d'années le monde va relever « de toi. Drapeau de nos contradictions, tu seras le signe autour duquel « se livrera la plus ardente bataille. Mille fois plus vivant, mille fois « plus aimé depuis ta mort que durant les jours de ton passage ici-bas, « tu deviendras à tel point la pierre angulaire de l'humanité, qu'arra- « cher ton nom de ce monde, serait l'ébranler jusqu'aux fondements. « Entre toi et Dieu on ne distinguera plus. Pleinement vainqueur de la « mort, prends possession de ton royaume, où te suivront par la voie « royale que tu as tracée, des siècles d'adorateurs ». Crederes audire daemonia ab obsessis corporibus exeuntia, et clamantia : *Scio te qui sis, Sanctus Dei* (Luc. IV-34).

Caeteri hominum, quantum ex se est in tenebris sedentes et regione umbrae mortis, indigent lumine quo in hac ignorantiae nocte circa res aeternas illuminentur. Iesus Christus vero apparuit inter nos quasi natus in Dei secreto Deique gloria, et in dies magis semper ac magis comprobatur, eos omnes qui *huic luci hominum* oculos claudunt, velut in densissima caligine positos hac illac errare manu tentantes, et incassum quaerentes viam (1). Caeteri hominum indigent confortatione, auxilio, pace. Iesus Christus vero dixit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos,* sed et solus talia dicere potuit quin eo ipso ceu dementia captus haberetur; cuius salutaris influxus usque nunc erigit iacentes, et lassos reficit interius, et ad omnem tribulationem ferendam semper adiuvat pusillanimes. Caeteri hominum mortui sunt et dormiunt in sepulcris suis. Mortui sunt, inquam, in corde posterorum. Nam pro Socrate, pro Platone, pro Cakya-Mouni quis forsitan audeat mori, quis contemnat divitias, quis renuntiet deliciis, quis relinquat patrem et uxorem et filios et agros, quis custodiat vias duras? Sed ex quo Iesus Christus resurgens ex mortuis in coelum ascendit, consurrexerunt martyres sine numero, pro eo « ludibria et ver-« bera experti, insuper et vincula et carceres. Lapidati sunt, « secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuie-« runt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, af-« flicti...., in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis et « in cavernis terrae ». Neque hoc per accidens fuit in uno aut altero saeculo, in una aut altera parte terrae tantum. Plenus enim est mundus monumentis eorum qui ei dederunt testimonium illius caritatis qua maiorem nemo habet, sed nec habere potest, et usque hodie ubique inveniuntur, quos nihil ab eo separaret, nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius. Caeteri hominum mortui sunt, et dormiunt in sepulcris suis. Quo fit ut simul cum amore exstincta sit et omnis invidia nominis eorum; contra mortuos

(1) Cf. Jouffroy, *Nouveaux Mélanges*, *Mémoire sur l'organisation des sciences philosophiques*, 2 partie, p. 139, seq.

enim quis conaretur? Sed vidit infernus sepulcrum Christi viventis, et gloriam sensit resurgentis. Ideo duellum quondam inceptum continuatur per saecula; quin imo, quo magis properatur ad saeculorum consummationem, eo ardentior evadit lucta contra eum de quo prophetizans senex Simeon dixit: *positus est hic in signum cui contradicetur.*

Quicumque enim vel leviter attendet ad ea quae in toto mundo nunc peraguntur, facile intelliget nihil aliud esse in quaestione praeter Christum, eiusque causam. Quod ut manifestius tibi appareat, accipe passionis narrationem, prout iacet in evangelio. Ubicumque Caiphae et totius concilii Synagogae occurrit mentio, cogita occultam illam et praevalentem in toto orbe sectam massonicam, quae a medio saeculo XVIII initia duxit ([1]), habetque in vexillo suo scriptum: Conteramus Iesum Nazarenum, eradamus eum de terra viventium et nomen eius non memoretur amplius! Quando nominatur Herodes cum exercitu suo, cogita legionem eorum, quorum, ut apostolus dicit, deus venter est; quique in suis theatris, foliis, picturis, et quibuscumque conventibus, bestialiter spernunt atque irrident Christum. Cum Pilatum legis, eos intellige qui hodie in plerisque regionibus rei publicae praesunt, in sublimitate constituti. Sub Caesaris quoque nomine cogita democratiam, et loco Barabbae pone eos qui socialismi sive anarchiae iura tuentur. In his habes clavem intelligentiae: in his rationem historiae vere scientificae, id est, per altissimas causas. Et modernus quidem Pilatus vellet in pace relinquere Christum, sed timet Caipham simul et Caesarem, quia sicut antiquus Caiphas fingebat curare interesse Caesaris, ita nunc massonica secta dicit: si hunc dimittis, non es amicus democratiae! Fluctuat ergo modernus Pilatus, quandoque remittens Iesum ad Herodem, quandoque terrens de Barabba, quandoque castigans et flagellans eum in quo non invenit causam, dum sperat se exigentiis coniuratorum facturum satis quin ad extrema devenire cogatur. Finaliter tradet Sanctum voluntati eorum, et tunc consummabitur mysterium iniquitatis, quando revelatus erit « homo

([1]) Cf. Barruel, *Mémoires pour servir à l'histoire du Jacobinisme.*

« peccati filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra « omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei « sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.... Quem Dominus « Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione ad- « ventus sui...., ut iudicentur omnes qui non crediderunt ve- « ritati » (1).

Haec igitur et alia multa si consideres, videbis Iesum Christum tantum excedere omnes humanae naturae proportiones, quantum coeli a terra exaltantur. Ideo rursus, evidenter credibilis est attestatio qua se asseruit in carne assumpta, **super omnia Deum benedictum in saecula.**

(1) Thess. II-3 et seq.

INDEX

PAG.

PROOEMIUM 3

PARS PRIMA

DE IPSO INCARNATIONIS MYSTERIO

Huius partis divisio in tria capita 13

CAPUT PRIMUM

QUAEST. I. **De convenientia incarnationis.**

QUAEST. I. — THESIS I. Incarnatio de sui ratione nullam habet in quacumque hypothesi disconvenientiam cum divinis attributis; sed absolute dicenda est convenire Deo, et non dedecere eius Maiestatem 16

THESIS II. Fuit etiam convenientissima incarnatio in ordine ad reparationem generis humani lapsi. Imo, ut divinae iustitiae pro peccato condigne satisfieri posset, omnino requirebatur. 21

THESIS III. Quamvis, peccato non exsistente, sua adhuc incarnationi fuisset convenientia, ad factum tamen quod attinet, probabilius dicitur hoc divinum opus in reparationem humanae naturae lapsae ita ordinatum, ut vi praesentis decreti, si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset 31

PAG.

THESIS IV. Conveniens demum fuit ut incarnatio nec statim fieret ab origine mundi, nec etiam differretur in finem saeculorum, sed in medio temporum perficeretur, sicut reipsa effecta est 45

CAPUT SECUNDUM

QUAEST. II-XV. **De modo unionis Verbi incarnati.**

Comprehendit quaestiones de modo unionis secundum se, de persona assumente, et de natura assumpta.

§ 1. DE IPSA UNIONE HYPOSTATICA.

QUAEST. 2. — Necessitas praeviae disputationis de natura et supposito 54
Principia S. Thomae 57
Principia ab aliis theologis propugnata . . . 86
Principia heterodoxa 96
Quaestionis partitio 98
THESIS V. Unio Verbi incarnati facta est in persona, non autem in natura. 99
THESIS VI. Haeretica est sententia eorum qui unionem incarnationis in persona, sed non in supposito seu hypostasi factam esse dixerunt. Item eorum qui posuerunt, partes naturae humanae a se invicem separatas uniri Filio Dei accidentaliter. Sed fide catholica tenendum est, unionem divinitatis ad humanitatem esse *hypostaticam*, id est, *secundum subsistentiam*. Adeoque recte dici potest, personam Christi post incarnationem esse compositam, in quantum una et eadem in duabus naturis subsistit. 110
THESIS VII. Non explicatur unio incarnationis per hoc quod Verbum assumpsit naturam cui omnia adsunt positiva hypostasis creatae constitutiva, et sola deest ad personae rationem assumptionis negatio. — Item nec per hoc quod humanitas propriam habens exsistentiam, sed modalitate personalitatis destituta,

PAG.

formaliter coniungitur Verbo per quemdam, ut aiunt, unionis modum substantialem. — Item nec per hoc quod personalitas Verbi est loco illius termini quo alias, iuxta Caietanum, natura creata ultimo terminatur et fit suppositum. — Sed explicatur per hoc quod humanitas sic communicatur Verbo, ut in illo exsistat et non in semetipsa; quatenus scilicet, esse personale Filii Dei supplet vices creatae exsistentiae, sive proprii actus essendi qui eidem humanitati naturaliter debebatur . . 123

THESIS VIII. Unio hypostatica sumpta pro relatione innascente inter duo unita, est in sola natura humana realiter, in Verbo autem secundum rationem tantum 159

THESIS IX. Unio incarnationis, etsi facta non sit per gratiam habitualem, est donum supernaturale per excellentiam; ipsam nulla merita, nec ipsius Christi, nec alterius cuiusvis, praecedere potuerunt; dici tamen potest Christo naturalis, in quantum est in humanitate ipsius ex virtute naturae divinae a primo instanti conceptionis sive nativitatis 163

Conclusio in qua tota quaestio breviter recapitulatur. 165

§ 2. DE PERSONA ASSUMENTE.

QUAEST. 3. — THESIS X. Personae divinae propriissime et primario convenit denominatio assumentis, naturae autem nonnisi secundario, et ratione personae cum qua est realiter idem: quod quidem omni ex parte adhuc maneret verum, etiamsi per impossibile non essent relationes quibus in Deo supposita multiplicantur . . 170

THESIS XI. Solus Filius secundum Scripturas homo factus est, non autem Pater nec Spiritus Sanctus, adeoque fides catholica manifeste docet, unam personam divinam posse sine alia naturam creatam assumere. Sed quoad huius veritatis expositionem, nulla reperiri potest inter varias sententias differentia, quia

PAG.

omnes indiscriminatim dicere debent, uniri humanitatem cum esse Verbi, quod est ipsum esse divinum distincto atque incommunicabili modo habitum per relationem filiationis . . 172

SCHOLION. *Loquendo de potentia absoluta, nihil repugnantiae est in hoc quod plures personae divinae unam numero naturam assumant, vel e converso, una persona plures naturas.* . . . 181

THESIS XII. Habita ratione finis incarnationis, conveniens fuit ut Verbum incarnaretur, potius quam Pater vel Spiritus Sanctus . . . 182

§ 3. DE NATURA ASSUMPTA ET COASSUMPTIS PERFECTIONIBUS AC DEFECTIBUS

QUAEST. 4. — THESIS XIII. Humana natura prae aliis omnibus naturis fuit a Filio Dei assumptibilis. . 184

SCHOLION, *ubi de effato Patrum: Verbum assumpsisse quidquid in natura nostra, ut Creator, inseruit* 187

QUAEST. 5. — THESIS XIV. Filius Dei assumpsit verum corpus, scilicet carnem ex stirpe Adae propagatam, et similiter animam. eamque intellectivam seu rationalem 189

QUAEST. 6. — THESIS XV. Simul tempore facta est assumptio totius humanitatis et omnium partium eius. Sed ordine naturae, recte dicitur Verbum assumpsisse corpus mediante anima, animam mediante spiritu, et partes mediante toto. . 194

QUAEST. 7. — THESIS XVI. Fuit in anima Christi gratia habitualis; fuerunt etiam virtutes et dona, iis solum exceptis quae cum statu comprehensoris componi absolute non possunt. . . . 197

THESIS XVII. In Christo, eoque solo, est absoluta et perfecta habitualis gratiae plenitudo. Unde gratia eius vero quodam sensu dicitur esse infinita, et sicut nunquam potuit adaugeri, ita nunquam per gratiam cuiuslibet purae creaturae poterit adaequari 205

QUAEST. 8. — THESIS XVIII. Christus est secundum diversos gradus caput omnium qui vel actu vel potentia supernaturalem vitam participant. Caeteris

PAG.

tamen paribus, plenius et perfectius est caput hominum, quam sit angelorum. Denique gratia capitis in eo, non re, sed ratione tantum differt a gratia habituali qua anima eius in seipsa sanctificatur 212

QUAEST. 9-12. — THESIS XIX. In Christo a primo instanti suae conceptionis fuit scientia beata qua divinitas in seipsa videtur. Fuit insuper in eo haec scientia secundum summum gradum perfectionis qui dari potest in actuali ordine rerum. Per eam denique anima Christi cognoscit omnia quae Deus scit scientia visionis. . . . 219

THESIS XX. Praeter scientiam beatam, fuit ab initio in anima Christi scientia infusa, per quam absque dependentia a phantasmatibus cognovit omnes res naturalis ordinis, necnon et omnia mysteria gratiae quae unquam facta sunt vel fient. Agnoscendum etiam in eo est tertium genus scientiae, scilicet acquisitae, in qua sola profecit secundum naturae ordinem, mensuram aetatis, et rerum experientiam. . 229

SCHOLION *et conclusio circa modos scientiae quos habuit anima Christi* 239

THESIS XXI. Vana sunt argumenta quae novi exegetae ex historia evangelica depromunt contra veram et catholicam doctrinam de omniscentia animae Christi. Sed et apertam haeresim prae se ferunt opiniones quas e rationalistis acceperunt, de positivo errore in quo fuisset idem ipse Christus circa mox venturam consummationem saeculi, et de progressiva evolutione per quam pervenisset ad conscientiam filiationis divinae vel vocationis messianicae. 242

QUAEST. 13. — *Praevia declaratio circa potentiam animae Christi.* 251

THESIS XXII. Anima Christi, ut instrumentum coniunctum Verbo, habuit per modum habitus potentiam ad faciendum omnia miracula ordinabilia ad incarnationis finem. Specialiter vero, et eadem de causa, eius potestati omnis dispositio proprii corporis totaliter subdebatur. 253

PAG.

QUAEST. 14-15. — THESIS XXIII. Christus convenienter assumpsit pro statu viae defectus qui consequuntur ex peccato communi totius naturae, et non repugnant plenitudini scientiae et gratiae: illos scilicet omnes et solos qui ad passibilitatem tam corporis quam animae pertinebant 263

THESIS XXIV. Speciali miraculo tribuendum non est quod in Christo, simul cum fruitione beata fuerint dolores tam exteriores quam interiores, iidemque tam in parte sensitiva quam in parte superiori. Sed horum coexsistentia connaturaliter consequebatur ad statum quem habuit Christus in terris, secundum quod unicuique virium permittebatur id agere et pati quod sibi proprium erat, quin bonum vel nocumentum unius potentiae redundaret in aliam. 274

NOTA *de Christo comprehensore quantum ad animam, et viatore quantum ad corpus* 283

CAPUT TERTIUM

QUAEST. XVI-XXVI. **De consequentibus unionem.**

Hic sermo est de iis omnibus quae PER LOGICAM DEDUCTIONEM *erui possunt ex hac generali praemissa:* HUMANITAS EST UNITA VERBO SECUNDUM HYPOSTASIM 285

§ 1. DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE COMPETUNT CHRISTO TAM SECUNDUM RATIONEM ENTIS, QUAM SECUNDUM RATIONEM UNITATIS.

QUAEST. 16. — THESIS XXV. Ex hoc quod humanitas et divinitas unitae sunt in uno Verbi supposito, consequitur quod concreta utriusque naturae vere et proprie de se invicem praedicantur. Consequitur etiam quod idiomata sive proprietates naturae tam divinae quam humanae, adiective significata, possunt indifferenter praedicari de quibuslibet nominibus supponentibus

PAG.

pro hypostasi: sive nomen de quo dicuntur det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen *Christus;* sive solum naturam divinam, sicut hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei;* sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen *homo*, vel *Iesus*. Non tamen ea quae sunt unius naturae possunt praedicari de alia, secundum quod in abstracto significantur . . 286

THESIS XXVI. Loquendo de iis quae conveniunt Christo secundum fieri, haec est vera: *Deus factus est homo;* falsa autem ista: *Homo factus est Deus* 292

SCHOLION *in quo expenduntur varia quaesita circa modos loquendi* 293

QUAEST. 17. — THESIS XXVII. Ex hoc quod secundum fidem catholicam una est Dei et hominis hypostasis, consequitur Christum esse simpliciter unum, et nullo modo duo, sicut auctores primae opinionis apud Magistrum posuerunt. Rursus, contra auctores etiam tertiae opinionis consequitur, non aliud in eo haberi esse exsistentiae secundum quod ab aeterno est Deus Verbum, et aliud secundum quod in tempore factus est homo 297

QUAEST. 18. — THESIS XXVIII. Ex hoc quod duae naturae integrae et inconfusae in uno Verbi supposito conveniunt, sequitur esse in Christo duas naturales voluntates non contrarias, divinam scilicet et humanam; ipsamque humanam, tam quae rationis quam quae sensualitatis dicitur, fuisse in omnibus subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati 303

THESIS XXIX. Cum eo ordine quo humana voluntas sub divina infallibiliter continebatur, optime stat libertas arbitrii. Quin imo, si solum consideraretur speciale divinitatis regimen in voluntatem assumptam, nequidem libertas contrarietatis censenda foret fuisse intrinsece ablata. Sed quia ex alio titulo auferebatur, id est, ex beatitudine animae, simpliciter dicendum est nullam fuisse in Christo libertatem a necessitate, respectu eorum quae per di-

PAG.

vinam legem vel iubebantur vel prohibebantur 310

THESIS XXX. Ex praemissis consequitur quod cum vellet Deus absoluta voluntate beneplaciti redemptionem hominum per liberam satisfactionem in morte crucis, eo ipso dicendus est non imposuisse Christo praeceptum patiendi. Sed ipsum beneplacitum divinae voluntatis metaphorice dicitur in evangelio praeceptum sive mandatum, secundum quod apud nos homines praeceptum solet esse signum voluntatis in superiore exsistentis. 314

QUAEST 19. — THESIS XXXI. Sicut duas voluntates, ita duas operationes secundum totidem operatrices naturas oportet in Christo confiteri. Sed quia « agit utraque forma cum alterius commu- « nione quod proprium est », dum divinitas regit operationem humanitatis, eaque utitur, ac humana vicissim operatio specialem ex divinitate unita sortitur efficaciam, recte Sancti Patres, ad exprimendam hanc ordinis unitatem, operationem in Christo *theandricam* seu *deivirilem* praedicaverunt. 323

SCHOLION. — *Ad operationem theandricam maxime pertinet satisfactio qua Christus condigne satisfecit pro peccatis nostris, necnon et meritum quo generi humano meruit restitutionem gratiae* 329

§ 2. DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO PER COMPARATIONEM AD DEUM PATREM.

QUAEST. 20. — THESIS XXXII. Christus secundum naturam humanam est subiectus Patri, imo et sibi ipsi prout una cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina praeest ac dominatur. Quare toti Trinitati salutare offerre sacrificium, et iustam pro peccatis satisfactionem potuit exhibere . 333

QUAEST. 21. — THESIS XXXIII. Christo secundum quod est homo, et humanam voluntatem habens, competit orare. Oravit autem tam pro se quam pro aliis, et omnis oratio eius fuit exaudita . 336

PAG.

SCHOLION *de oratione dominica* 339

QUAEST. 22. — THESIS XXXIV. Christus constitutus est in Ecclesia summus sacrorum minister et sacerdos in aeternum. Est autem ipsemet hostia sacerdotii sui, cuius effectus in vera peccatorum expiatione, et in adeptione bonorum aeternorum consistere dicendus sit 341

QUAEST. 23. — THESIS XXXV. Christus qui est Filius Dei naturalis, nullo modo dici potest adoptivus . . 344

QUAEST. 24. — THESIS XXXVI. Christus secundum quod homo, fuit praedestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis. Considerando autem praedestinationem ex parte termini, dicendum est praedestinationem eius fuisse causam et exemplar praedestinationis nostrae 350

§ 3. DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM, QUANTUM AD EA QUAE CONVENIUNT CHRISTO PER COMPARATIONEM AD NOS.

QUAEST. 25. — *Praenotiones de adoratione latriae, duliae, hyperduliae* 353

THESIS XXXVII. Una est adoratio Christi Dei et hominis ex parte rei adoratae. Debetur autem ei propter divinitatis excellentiam adoratio latriae, qua in eius hypostasi et ipsa coadoratur humanitas 356

THESIS XXXVIII. Sicut adoratio dirigitur ad humanitatem ut ad rem non tam adoratam quam coadoratam in persona Verbi, sic et ad partes humanitatis. Recte autem Verbum incarnatum proponitur specialiter adorandum secundum ipsas partes in quibus peculiare consideratur documentum vel symbolum amoris eius erga nos. Unde dicendum est legitimum esse cultum quem Sacratissimo Cordi defert Ecclesia 560

THESIS XXXIX. Colendae sunt sacrae imagines, et eodem quidem cultu quo coluntur exemplaria, terminatione licet transitiva tantum et relativa. Hinc adoratione latriae adoranda est imago Christi. Adorandum pariter, praeter caetera passionis instrumenta, ipsum

PAG.

lignum crucis in quo Salvator pro nobis affixus est 365

QUAEST. 26. — THESIS XL. Christus secundum quod homo est primus et summus mediator noster apud Deum 374

PARS SECUNDA

DE HIS QUAE DEUS INCARNATUS EGIT ET PASSUS EST

Divisio huius partis in quatuor capita 377

CAPUT PRIMUM

QUAEST. XXVII-XXXIX. **De his quae pertinent ad ingressum Christi in mundum.**

Praemittitur allegoria de Virgine matre, ex Luc. X-38 et seq. 379

QUAEST. 27. — THESIS XLI. De Virgine matre generaliter tenendum est, quod in ordine reparationis eum locum tenet quem tenuit Eva in ordine perditionis. Nam sicut ex insigni oraculo Geneseos edocemur, totius redemptionis nostrae ratio in quadam recirculatione contra diabolum consistere dicenda est: quatenus omne id quod machinatus fuerat Satanas ad ruinam generis humani, illud ipsum ordine contrario divinitus dispositum est ad salutem. Quo fit ut novo Adae, id est Christo, indissolubili nexu ad dissolvenda diaboli opera coniungi debuerit nova Eva, id est, Maria 380

THESIS XLII. Gratia Virginis omnem aliam gratiam, non hominum modo, verum etiam angelorum, longe exsuperat. Quippe, recti ordinis convenientiae omnino exigebant ut mulier non acquireret ad Deum relationem matris ad filium, nisi mediante proportionata coniunctione secundum spiritum. Ideo haec una sublimis ac prorsus singularis maternitas est, in qua cognatio sanguinis spiritualem unionem consequitur, et vicissim unio spiritualis intimitati corporalis cognationis plane commensuratur 398

PAG.

COROLLARIUM. *Pro certo tenendum, originalem gratiam in Maria penitus fomitem abstulisse, et ideo in ipsa sicut in Domino Iesu Christo, non fuerunt nisi naturales et indetrectabiles defectus qui perfectioni sanctitatis omnino non repugnant* 404

QUAEST. 28. — THESIS XLIII. Fide catholica tenendum est Beatam Mariam permansisse virginem ante partum, in partu, et post partum 409

QUAEST. 29. — THESIS XLIV. Oportuit Mariam ante conceptionem Filii Dei desponsari Ioseph, cum quo vero matrimonio fuit coniuncta 415

QUAEST. 30. — THESIS XLV. Quia demum necesse fuit secundum ordinem a divina Sapientia praestitutum, ut incarnationis exsecutio a Virginis consensu dependeret, ipsaque Virgo Verbum Dei prius mente conciperet quam corpore, ideo id quod in ea erat generandum, ei debuit per angelum annuntiari 418

QUAEST. 31-34. — De Christi conceptione *quantum ad materiam ex qua,* deque eius genealogia 422

De Christi conceptione *quantum ad principium activum* 426

De modo, ordine, instantaneitate conceptionis Christi 427

QUAEST. 35-36. — THESIS XLVI. Beata Virgo, cum sit Mater Christi secundum temporalem eius nativitatem, Dei genitrix vere dicitur et est. Imo in hoc nomine *Deiparae* tota recapitulatur fides incarnationis. 430

SCHOLION I *de circumstantiis nativitatis Christi quoad tempus et locum* 434

SCHOLIS II *de manifestatione Christi nati, et de mysteriis in ea latentibus* 438

QUAEST. 37. — THESIS XLVII. Conveniens fuit ut Christus circumcideretur, et quadragesimo die in templo secundum legis consuetudinem praesentaretur 444

QUAEST. 38-39. — De baptismo *per quem initiatum est publicum ministerium Christi apud populum Israel.* 446

Conclusio 447

PAG

CAPUT SECUNDUM

QUAEST. XL-XLV. **De his quae pertinent ad progressum vitae Christi in hoc mundo.**

Partitio capitis 448
QUAEST. 40-42. — De conversatione, tentatione, et doctrina Christi. . . . . *ibid.*
QUAEST. 43-45. — De miraculis Christi 452
Quod veritatem necnon et vim probantem miraculorum Christi luculenter demonstrat nobis Deus in inimicis nostris 453
Quod argumenta quibus ex ipsa sacri textus relatione ostensionem divinitatis in Christi miraculis elevare conantur, vana sunt et inania 458
Quod duplici de causa miracula per Christum facta eius divinitatem ostenderunt 465

CAPUT TERTIUM

QUAEST. XLVI-LII. **De exitu Christi ex hoc mundo.**

Capitis partitio 468
QUAEST. 46. — THESIS XLVIII. Convenientissimum fuit ut reparatio nostra, quae finis fuit adventus Christi in mundum, fieret per eius passionem, passionem autem crucis . . . . . *ibid.*
THESIS XLIX. Christus passus est omne genus passionis humanae, et dolor eius fuit maximus inter dolores praesentis vitae, tametsi ratio superior in ipso in summa iucunditate contemplationis excelsa divinitatis semper inhabitans, inalterabili essentialis beatitudinis gaudio semper frueretur 472
SCHOLION *de circumstantiis passionis quoad tempus et locum* 478
QUAEST. 47. — THESIS L. In causis efficientibus passionis Christi, aliter et aliter numerantur tum Iudaei a diabolo moti, tum ipse Christus secundum quod homo, tum denique Pater, imo tota Trinitas 483

PAG.

QUAEST. 48. — THESIS LI. Passio Christi causavit salutem nostram per modum satisfactionis, per modum meriti, per modum sacrificii, per modum redemptionis, ac demum per modum efficientiae 485

THESIS LII. Christus ex rigore iustitiae satisfacere et mereri nequaquam potuit. Quo tamen non obstante, satisfactio eius ac redemptio fuit ex sua intrinseca dignitate, non solum aequivalens et condigna, verum etiam superabundans, imo infinita 495

QUAEST. 49. — THESIS LIII. Passio Christi praecessit ut quaedam universalis causa remissionis peccatorum, quam necesse est singulis applicari ad propriorum deletionem peccatorum. Valet autem ad liberationem ab omni malo, perfectamque beatitudinem *certo ordine* consequendam. Et quia ordo iste in hoc maxime consistit, ut per prius constituamur in via ad regnum coelorum, constat merita Christi non excludere merita et satisfactiones nostras, quae recte dicuntur niti meritis et satisfactionibus eius 502

SCHOLION. *Pro omnibus hominibus mortuus est Christus, et ideo redemptio eius est universalis quoad sufficientiam, tametsi passionis fructus, nec ad omnes proveniat quoad efficaciam, nec etiam proveniat aequali modo ad eos ipsos qui re et actu participes eius efficiuntur* 507

QUAEST. 50-52. — THESIS LIV. Christus est vere mortuus per animae separationem a corpore, manente interim unione disiunctarum partium ad suppositum Verbi. Fuit etiam sepultus ad veritatem mortis magis comprobandam, et tribus diebus tribusque noctibus, secundum Scripturas permansit in sepulcro. Denique statim ac in cruce expiravit, descendit ad inferos, et per praesentiam animae suae penetravit in limbum Patrum quos ipso instanti aeternae gloriae effecit participes 510

PAG.

CAPUT QUARTUM

QUAEST. LIII-LIX. **De exaltatione Christi post hanc vitam.**

Capitis partitio 517

QUAEST. 53-54. — De resurrectione Christi *secundum se*, tum *quoad qualitates resurgentis*, tum *quoad causalitatem respectu iustificationis et resurrectionis nostrae*. . . . . *ibid.*

QUAEST. 55. — THESIS LV. Convenienti ordine et sufficientissimis argumentis manifestata est mundo resurrectio Christi 519

QUAEST. 57-59. — De Christi ascensione, sessione ad dexteram Patris, et iudiciaria potestate 533

PARS TERTIA

DE CREDIBILITATE MYSTERII INCARNATIONIS

Huius tertiae partis ratio et obiectum 541

THESIS LVI. Christus in terris degens, verum se esse Deum disertis ac perspicuis testimoniis declaravit. Idemque post ipsum praedicaverunt missi ab eo apostoli 542

THESIS LVII. Supradictas de Christi divinitate attestationes evidenter credibiles faciunt in primis prophetiae messianicae, quae ab antiquissimis temporibus multifariam multisque modis editae, in una persona Iesu Christi mirabiliter fuerunt adimpletae 576

THESIS LVIII. Fundamentale christianae religionis dogma evidenter credibile etiam faciunt facta miraculosa quae in libris N. T. referuntur; praesertim vero ineffabilis ex omni parte perfectio Iesu Christi, qui in nobis habitavit plenus gratiae et veritatis, omnemque humanae naturae proportionem supra modum excedens, terras pertransivit 607

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O P., S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., Vic. Ger.

SMCL
3 5151 00244 5443

BQ
6861
Q62B4
1922

52742

Billot, Ludovico.

BQ
6861
Q62B4
1922
Billot, Ludovico.
De verbo incarnato.

52742